BREVIARUM SANCTAE LUGDUNENSIS ECCLESIAE. PRIMAE...

*Lione Diocesi, Demasso, Mathieu Ogier


Digitized by Google


BIBLIOTEC
T. EMANUELE
32
4 B
22
FONDO
EBORENSE



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

BREVIARIUM SANCTÆ LUGDUNENSIS ECCLESIÆ.

PRIMÆ GALLIARUM SEDIS.

PARS ÆSTIVALIS.



LUGDUNI,
Ex Typographia. P. VALFRAY, *& Veneunt*
Apud { JOANNEM BAPT. DE-VILLE. ET PETRUM VALFRAY, } in vico Mercatorio.

M. DC. XCIII.
CUM PRIVILEGIO.



CAMILLUS
DE NEUVILLE

DEI ET SANCTÆ SEDIS Apostolicæ gratiâ, Archiepiscopus & Comes Lugdunensis, Galliarum Primas, Regiorum ordinum Commendator, Lugduni Prorex, &c.

CLERO LUGDUNENSI salutem in Christo IESU.



X QUO ad hujus diœcesis gubernationem vocavit nos benignitas Dei; Eò consilia omnia Referenda esse censuimus, Ut si quid Lugdunensi Ecclesiæ de pristino splendore forsan decessisset, ad eam quasi postliminiò rediret totum. Quocirca occasiones, ad suas eidem Ecclesiæ prærogativas constanter asserendas, cum oblatæ fuerunt arripuimus: idque studuimus, non solùm ut commune sibi cum nonnullis aliis Ecclesiis nomen Primatialis retineret; sed etiam ut juris à quo cæteræ regni Ecclesiæ sunt exclusæ; possessionem ordinariâ Prima-

 ûts

tûs functione tueretur. Eodem *pertinet quod cum anno labentis sæculi quinto supra quinquagesimum D. D. Decanus & Canonici Comites, nostræ Cathedralis Ecclesiæ; Cæterorumque Collegiorum hujus urbis Canonici: nobis exposuissent novam Breviarii ad usum Lugdunensis hujus diœceseos, Editionem necessariò curandam videri: tum ut id genus librorum qui perrari erant, occurreretur inopiæ: tum ut errata quæ in postremas editiones irrepserant emendarentur. Continuò Prima convocavimus prædictarum Ecclesiarum capita, ad omnes vias quibus ad id perveniri posset indagandas; virosque nostrorum Rituum & morum consultos, ei Breviario corrigendo & in meliorem redigendo formam jam tum præfecimus. Quæ verò consuetudo psallendi memoriter, apud nos multis jam sæculis viguit, Breviarium istud diù remorata est; maturè ponderatum fuit quid addendum quid detrahendum; libratis tandem momentis divinum hoc opus perfectum, est, & Cleri nostri expectationi factum est satis.*

CUMQUE idem Clerus hujus Breviarii sic absoluti typos novos deposceret: nobis illud prælegi placuit. Exinde quæsivimus ab iisdem D.D. Decano & Canonicis Comitibus, nostræ Cathedralis Ecclesiæ, quis illorum sensus, quodve judicium? illorum tandem suffragiis ultrò adhæsimus, fecimusque ac facimus potestatem præli, pro ea quâ fungimur Pontificis auctoritate.

VOLUMUS

VOLUMUS autem & præcipimus ut ij omnes qui anteâ recitabant & inpostèrùm recitabunt Officium Lugdunense ; hoc utantur Breviario & non antiquo.

PORRO cum in Rubricis, Psalmi Pœnitentiales *& Litaniæ Sanctorum præscribuntur ad recitandum statis diebus ; erga illos qui privatim recitant; id consilii solùm non præcepti vim obtinere declaramus. At eodem præcepti modo retineri volumus in Choro, quo hactenus observata sunt.*

DATUM in Castro nostro de Neuville ad Ararim propè Lugdunum. die vigesima quarta Octobris anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo.

CAMILLUS, Archiepiscopus Lugdunensis.

Per Illustrissimum & Reverendissimum D. Dominum Archiepiscopum Præfatum.

BASSET.

DE ANNO
ET EJUS PARTIBUS.

ANnus menses habet duodecim, hebdomadas duas & quinquaginta; & diem unum; dies verò trecētos sexaginta quinque, & ferè sex horas; tanto enim temporis intervallo Sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt: hinc annus ille intercalaris, Bissextus, vel Bissextilis dicitur.

De Anni correctione, Ejusque necessitate, ac Kalendario Gregoriano.

QUod dictum est, Annum continere trecentos & sexagintaquinque dies, & ferè sex horas, intelligendū est, sex horas non esse integras, cùm ad earum complementum aliqua minuta deficiāt.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365. contineret integras sex horas; & factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem: qui causam dederunt, ut Æquinoctium vernum sedem suā mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII. non solùm Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, à qua jam à Concilio NICÆNO, decem circiter diebus in anno correctionis 1582. præcedendo recesserat, quod à Cōcilio ad xij Kal. Aprilis fuerat constitutum, & xiv. Lunam Paschalem suo in loco reposuit: sed viam quoque tradidit, & rationem, qua cavetur, ut in posterum & Æquinoctium vernum, & xiv. Luna Paschalis à propriis sedibus nūquā removerētur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad xij. Kalend. Aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582. eximerentur, ut post quartā diem Octobris sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idē error vitaretur, ne à xij. Kalend. Aprilis Æquinoctium vernū recederet, statuit idem Gregorius, Bissextū quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis; qui quamvis Bissextiles anteà semper fuerint, qualem etiam esse voluit annū 1600.

anno

anno correctionis proximum, post eum tamen, qui deinceps consequentur, cētesimi; non omnes Bissextiles essent, sed in quadrigentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transfigerētur; quartus verò quisque cētesimus esset Bissextilis, ita ut annus 1700. 1800. 1900. Bissextiles non sint, anno verò 2000 more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29. continente; idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem in quagringentis quibusque annis perpetuò conservaretur.

Quatuor Tempora.

QUatuor Tempora celebrantur quarta & sexta Feria, ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Dominicā Pentecostes, post Festū Exaltationis sanctæ Crucis.

Nuptiæ Quando Celebrari non possint, juxta Decretum Concilii Tridentini.

A Dominica prima Adventus usque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè, sancta Synodus solemnitates nuptiarum prohibet. In aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.

De cyclo Decennovennali Aurei numeri.

CYclus decen-novennalis Aurei numeri, est revolutio numeri 19. annorum ab 1. usque ad 19. qua revolutione peracta, iterùm ad unitatem reditur. Verbi gratia: Anno 1577. numerus cycli decenno-vennalis, qui dicitur Aureus, est 1. anno sequenti 1678. est 2. & ita deinceps in sequentibus annis, uno semper ampliùs usque ad 19. qui Aureus numerus cadet in annum 1595. post quem iterùm ad unitatem redeūdū est, ita ut anno 1596. Aureus numer9 sit rursus 1. & anno 1597. sit 2. &c.

Igitur ut Aureus numerus quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens tabella Aureorum numerorum, cujus usus incipit ab anno correctionis 1582. inclusivè, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cujuslibet anni post annum 1582. reperietur hoc modo.

15. 16. 17. 18. 19. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

Anno 1582. tribuatur primus numerus tabellæ, qui est 6. secundus autem, qui est 7. sequenti anno 1583. & ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cujus Aureum numerum quæris, perveniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quē annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quæsitum.

DE EPACTIS, ET *Noviluniis.*

Epacta nihil aliud est, quàm numerus dierum, quibus annus Solaris communis dierum 365. annum communē Lunarem dierū 354. superat: ita ut Epacta primi anni sit 11. cùm hoc numero annus Solaris communis Lunarē annum communem excedat: atque adeò sequenti anno Novilunia contingant 11. diebus priùs, quàm anno primo. Ex quo fit, Epactam secundi anni esse 22. cùm eo anno rursum annus Solaris Lunarem annum superet 11. diebus, qui additi ad 11. dies primi anni, efficiunt 22. ac proinde, finito hoc anno, Novilunia contingere 22. diebus priùs, quam primo anno: Epactam autem tertii anni esse 3. quia si rursus 11. dies ad 22. adjiciantur, efficietur numerus 33. à quo si rejiciantur 30. dies, qui unam Lunationem Embolismalem constituūt relinquentur 3. atque ita deinceps Progrediūtur enim Epactæ omnes per cōtinuū augmentum 11. dierum, abjectis tamen 30. quando rejici possunt. Solùm quando perventum erit ad ultimam Epactam Aureo numero 19. respondentem, quæ est 29. adduntur 12. ut abjectis 30. ex composito numero 41. habeatur rursus Epacta 11. ut in principio. Quod ideò fit, ut ultima Lunatio Embolismica, currente Aureo numero 19. sit tantum 29. dierum. Si enim 30. dies contineret, ut aliæ sex Lunationes Embolismicæ, non redirent Novilunia post 19. annos Solares ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur, cōtingerentque unò die tardiùs quàm ante 19. annos. De qua re, plura invenies in libro novæ rationis restituendi Kalendarij Romani. Sunt autē novendecim Epactæ, quot & Aurei numeri, respondebātque ipsis Aureis numeris ante Kalendarii correctionem eo modo, quo in hac tabella dispositæ sunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ante Kalendarii correctionem.

Aur. n.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.
Epact.	xj.	xxij.	iij.	xiiij.	xxv.	vi.	xvij
	8.	9.	10.	11.	12.	13.	
	xxviij.	ix.	xx.	i.	xij.	xxiij.	
	14.	15.	16.	17.	18.	19.	
	iv.	xv.	xxvi.	vii.	xviii.	xxix.	

Quia verò cyclus decennovennalis Aurei numeri imperfectus est, cùm Novilunia post 19. annos Solares non præcisè ad eadem loca redeant, ut dictum est, imperfectus etiam erit hic cyclus.

clus 19. Epactarum. Quamobrem ita emendatus est, ut in posterum loco Aurei numeri, & dictarum 19. Epactarum, utamur 30. numeris Epactalibus ab 1. usque ad 30. ordine progredientibus, quamvis ultima Epacta, sive quæ ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc * propterea quod nulla Epacta esse possit 30. Variis autem temporibus ex his 30. Epactis respondent decem & novē Aureis numeris variæ decem & novem Epactæ, prout Solaris anni, ac Lunaris æquatio exposcit: quæ quidem decem & novem Epactæ progrediuntur, ut olim, per eumdem numerū 11. adduntur quæ semper 12. illi Epactæ, quæ respondet Aureo numero 19. ut habeatur sequens Epacta respondēs Aureo numero. 1. ob rationem paulò antè dictam. Id quod sequēs tabella perspicuum faciet, quæ continet Aureos numeros, & Epactas inter se respōdentes ab anno correctionis 1582. post detractionem x. dierum, usque ad annum 1700. exclusivè. Quamvis autem vulgares Epactæ mutentur in Martio, re ipsa tamen in principio anni mutandæ sunt unà cùm Aureo numero, in cujus locum hæ nostræ Epactæ succedunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab Idibus Octobris anni correctionis. 1582. (*detractis prius decem diebus*) *usque ad annum* 1700. *exclusivè.*

Aur.n.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	
Epact.	xxvj.	vij.	xviij.	xxix.	x.	xxj.	
	12.	13.	14.	15.	16.	17.	
	ij.	xiij.	xxiv.	v.	xvj.	xxvij.	
	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.
	viij.	xix.	i.	xij.	xxiij.	iv.	xv.

Itaque si Epacta quoque anno proposito invenienda sit, quærēdus est Aureus numerus illius anni in superiori ordine illius tabellæ, quæ illi tempori, in quo propositus annus continetur, congruit. Mox enim sub Aureo numero in inferiori ordine tabellæ reperietur Epacta anni propositi, vel certè hoc signum * Ubi ergo illa Epacta vel signum * in Kalendario inventum fuerit, eo die Novilunium fiet. Invenietur autem Aureus numerus vel ex antecedente canone, vel ex tabella Epactarum proposito tempori cōgruēte, tribuendo primum Aureum numerum illius tabellæ illi anno, à quo usus tabellæ incipit, & secundum Aureum numerum sequenti anno, &c. Eodē modo reperietur Epacta sine Aureo numero, si prima Epacta tabellæ tribuatur illi anno à quo ejus usus incipit, & secunda Epacta sequenti anno, &c.

Exemplum Anno correctionis 1582. Aureus numerus est 6. nempe primus primæ tabellæ; cujus usus incipit ab Idibus Octobris dicti anni 1582. detractis priùs x. diebus. Erit ergo tunc Epacta xxvj. quæ sub Aureo num. 6. collocatur: fietque Novilunium die 27. Octobris & 26. Novembris, & 25. Decembris. Item anno 1583. jam correcto Aureus num. est 7. cui in eadem tabella supposita est Epacta vij. quæ toto eo anno in Kalendario Novilunia indicabit: ut in Januario die 24. in Februar. die 22. in Martio die 24. &c.

Tabella litterarum Dominicalium ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. (detractis priùs x. diebus) usque ad annum 1700. exclusivè.

c	b	A g	f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A
g f	e	d	c	b A	g	f	e	d c	b	A	g	f e	d

Usus hujus tabellæ hic est. Anno correctionis 1582. post Idus Octobris (detractis priùs x. diebus) tribuatur littera c, primæ cellulæ, & sequenti anno 1583. littera b, secundæ, & anno 1484. dentur litteræ A g, tertiæ cellulæ, & sic deinceps aliis annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dummodo minor sit, quam annus 1700. dabit litteram Dominicalem propositi anni. Quæ si unica occurrerit, annus erit communis; si verò duplex, Bissextilis: & tunc superior littera Dominicam diē ostendet in Kalēdario à principio anni usque ad Fèstum S. Mathiæ Apostoli; inferior autem ab hoc Festo usque ad finem anni. Exempli gratia; Sit invenienda littera Dominicalis anno 1587. Numera ab anno 1582. quem tribue primæ litteræ c, usque ad annum 1587. tribuendo singulis cellulis singulos annos (computando geminas litteras quascumque, superiorē & inferiorem, pro una cellula) caderque annus 1587. in litteram d, quæ sextum locum in tabella occupat. Est ergo toto eo anno littera Dominicalis d, annusque cōmunis est, cùm littera simplex occurrat. Rursus sit investiganda littera Dominicalis anno 1616. Numera ab anno 1581. ut dictum est, usque ad annum 1616. redeundo ad principiū tabellæ, postquam eam percurreris, pervenie sque ad duas hasce litteras, c, b. septimo loco positas, Est ergo annus ille Bissextilis, cùm duplex littera

littera occurrat, superiorque littera c, Dominicam diem indicabit à principio anni illius usque ad festum sancti Mathiæ, inferior autem b, in reliqua parte anni.

DE INDICTIONE.

INdictio est revolutio 15. annorùm ab 1. usque ad 15. qua revolutione peracta, iterùm reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus cycli à Januario in Bullis Pontificiis. Et quoniam Indictionum frequens usus est in Diplomatibus, & scripturis publicis, facilè annum Indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus ex sequenti tabella, cujus usus perpetuus est: initium tamen sumit ab anno correctionis 1582.

Tabella indictionis ab anno correctionis 1582.

10.	11.	12.	13.	14.	15.	1.
2.	3.	4.	5.	6. 7.	8.	9.

Nam si anno 1582. tribuas primum numerum, qui est 10. & sequenti anno 1583. secundum numerum, qui est 11. & sic deinceps usque ad annum propositum, redeundo ad principiũ tabellæ, quotiescumque eam percurrens, cadet annus propositus in Indictionem, quæ quæritur.

DE FESTIS MOBILIBUS.

QUoniam ex decreto sacri Concilii Nicæni, Pascha, ex quo reliqua Festa mobilia pendent, celebrari debet die Dominico, qui proxime succedit xiv. Lunæ primi mensis; (is verò apud Hæbræos vocatur primus mensis, cujus xiv. Luna vel cadit in diem verni Æquinoctii, quod die 21. mensis Martii contingit, vel propiùs ipsum sequitur; efficitur, ut si Epacta cujusvis anni inveniatur, & ab ea in Kalendario notata inter diẽ octavum Martii inclusivè, & quintum Aprilis inclusivè (hujus enim Epactæ xiv. Luna cadit vel in diem Æquinoctij verni, id est, in diem 21. Martij, vel cum propiùs sequitur) numerentur inclusivè deorsum versus dies quatuordecim, proximus dies Dominicus diem hunc xiv. sequens (ne cum Judæis conveniamus, si fortè dies xiv. Lunæ caderet in diem Dominicum) sit dies Paschæ.

Exemplum. Anno 1605. Epacta est x. & littera Dominicalis b. Et quoniam invenimus Epactum x. inter diem 8. Martii, & 5. Aprilis inclusivè positam esse è regione diei 21. Martii, à quo inclusivè si deorsũ versus numerentur 14. dies, in-

veniemus xiv. Lunam die 3. Aprilis, quæ est Dominica, cum è regione illius sit littera Dominicalis b. Ne igitur cum Judæis conveniamus, qui Pascha celebrãt die xiv. Lunæ, sumenda est littera Dominicalis b, quæ sequitur xiv. Lunam, nempe ea quæ è regione diei 10. Aprilis collocatur: atque eo anno Pascha celebrandum erit die 10. April. Itẽ anno 1604. Epacta est xxix. & duplex littera Dominicalis d, c, cùm annus ille sit Bissextilis. Si igitur ab Epacta xxix. quæ è regione diei 1. Aprilis ponitur inter diem 8. Martii & 5. Aprilis inclusivè, numerentur dies 14. cadet xiv. Luna in diem 14. Aprilis. Et quia tunc currit posterior littera Dominicalis, nempe c, quæ post diem 14. Aprilis, id est, post xiv. Lunam collocata est è regione diei 18. Aprilis, celebrabitur eo anno Pascha die 18. Aprilis.

Cæterùm ut faciliùs omnia Festa mobilia inveniantur. compositæ sunt duæ sequẽtes tabulæ Paschales, una antiqua, & nova altera. Ex antiqua ita Festa mobilia reperientur. In latere sinistro tabulæ accipiatur Epacta currens, & in linea litterarum Dominicaliũ sumatur littera Dominicalis currens, infra tamen Epactam currentem: ita ut si littera Dominicalis currens reperiatur è regione Epactæ currentis, assumenda sit eadem littera Dominicalis proximè inferior.; Nam è regione hujus litteræ Dominicalis omnia Festa mobilia continentur.

Exemplum. Anno 1606. Epacta est xxi. & littera Dominicalis A. Si igitur in tabula antiqua sumatur littera Dominicalis A. quæ primò infra Epactam xxi. occurrit, reperietur è regione hujus litteræ Dominica Septuagesimæ die 22. Januarii, dies Cinerum 8. Februarii, Pascha 26. Martii, Ascensio Domini 4. Maij, Pentecostes 14. Maij, & festum Corporis Christi 25. Maij. Dominicæ autem inter Pentecosten & Adventũ eo anno erunt 28. & Adventus celebrabitur die 3. Decemb. Et sic de cæteris. Item anno 1605. Epacta est x. & littera Dominicalis b, quæ in tabula reperitur è regione Epactæ x. Quare sumenda est alia littera b, quæ proximè infra Epactam invenitur, è regione cujus invenies Septuagesimam die 6. Februarij, diem Cinerum 23. Februarij, Pascha 10. Aprilis, &c.

Notandum autẽ est, quòd quemadmodũ in anno cõmuni, cadente littera Dominicali è regione Epactæ in tabula antiqua, sumitur eadem littera proxima infra Epactam, ut diximus: ita quoque in anno Bissextili, si alterutra duarũ litterarum Dominicalium tunc currentium

tium è regione Epactæ reperiatur, assumendæ sunt aliæ duæ similes litteræ proximæ inferiores, ut Festa mobilia inveniantur.

Ex tabula verò Paschali nova ita eadem Festa mobilia reperientur. In cellula litteræ Dominicalis currentis quæratur Epacta currens Nam è directo omnia Festa mobilia deprehendentur. Ut anno 1609. in cellula litteræ Dominicalis d, tunc currentis è regione Epactæ xxiv. quæ eodem anno currit, habetur Septuagesima die. 15. Febrarij, dies Cinerum 4. Martij, Pascha 19. Aprilis, &c.

Sed sive antiqua, sive nova tabula Paschali utamur, invenienda sunt omnia Festa mobilia in annis Bissextilibus per litteram Dominicalem posteriorem, quæ nimirum currit post festum S. Mathiæ Apostoli, ne scilicet ambigamus, utra duarum litterarum pro hoc aut illo Festo indagando accipienda sit: ita tamen, ut Septuagesimæ, & diei Cinerum invētæ in Januario aut Februar. addatur unus dies. Quod ideò fit, quia ante diem sancti Mathiæ currit prior littera Dominicalis, quæ in Kalēdario posteriorem semper sequitur: post festum autem S. Mathiæ in Februario, licet posterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita dies 24 Februarii dicatur 25. & dies 25. dicatur 26. &c. Quòd si dies Cinerum cadat in Martium, nihil addendū est, quia tunc & littera posterior currit, & dies mensis propriis numeris respondent, cum dies intercalaris Februario sit additus, Immò nisi per posteriorem litteram investigarentur, nō inveniretur rectè Septuagesima in anno Bissextili currente Epacta xxiv vel xxv. & littera Dominicali d, c, ut in secundo ac tertio exēplo perspicuum fiet pro annis 4088. & 3784. exempli gratia Anno 2096. Bissextili, Epacta erit v. & litteræ Dominicales A g. Si igitur per posteriorem litteram, quæ est g, Festa mobilia investigentur, reperietur Septuages. die 11. Febr. & dies Cinerum, 28. Febr. Si autem addatur unus dies, cadet Septuagesima in diem 12. Febr. quæ est Dominica, & dies Cinerum in diem 29. Febr. quæ est Feria quarta. Pascha autem, & reliqua Festa in eos dies cadent, qui in tabula expressi sunt. Item anno 4088. Bissextili Epacta erit xxiv. & litteræ Dominicales d, c. Si igitur per litteram c, quæ posterior est, inquirantur Festa mobilia, invenietur Septuagesima die 21. Februarij, & si addatur unus dies, cadet in diem 22 Febr. quæ est Dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10. Martij: quare nihil additur, &c. Rursus

anno.

anno 3784. Bissextili, Epacta erit xxv. & litteræ Dominicales d, c. ergo iterùm per posteriorem c, reperietur Septuagesima die 21. Februarij, hoc est, addita 1. die 22. Quòd si per priorem litteram d, in utroque horum duorum annorum agendū esset, nihil efficeretur, cum infra Epactas xxiv. & xxv. littera d, indicet Septuag. die 15. Febr. quod falsum esset, cùm eo anno posterior littera c, Pascha offerat die 25. Aprilis, ac proinde Septuagesima die 22. Febr. celebranda sit, ut liquidò constat, si à die Paschæ, Dominicæ retrò numerentur usque ad Septuagesimam.

In priori porrò tabula Paschali antiqua reformata, Epactis ad sinistra n præposuimus Aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem Kalendarij collocari solebant, ut ex iis Festa mobilia invenirentur. Hoc autem idcircò à nobis factum est, ut Pascha, ceteraque Festa mobilia, à Concilio Nicæno usque ad annum 1582. quilibet indagare possit. Eodem autē prorsus artificio ex Aureis numeris ita distributis Festa mobilia eruuntur, quo ex Epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quando Festa hæc celebrata fuerint anno 1450. Quoniam eo anno Aureus numerus fuit 7. & littera Dominicalis d, si Aureus numerus 7. in sinistro latere accipiatur, & prima littera d, infra eum occurrens, reperietur è regione hujus litteræ d, Septuagesima die 1. Februarij, dies Cinerum 18. Februarij, Pascha die 5. Aprilis, &c.

Adventus Domini celebratur semper die Dominico, qui propinquior est festo S. Andreæ Apostoli, nempe à die 27. Novembris inclusivè usque ad diem 3. Decembris inclusivè: ita ut littera Dominicalis currens, quæ reperitur in Kalendario à die 27. Novembris usque ad diem 3. Decembris, indicet Dominicam Advētus. Ut verbi gratia, si littera Dominicalis est g, Dominica Adventus cadet in diem 2. Decembris; quia ibi est littera, g, in Kalendario, &c.

Ad finem tandem tabularum Paschaliū apposita est tabula temporaria multorū annorum, è regione quorum omnia festa mobilia inveniuntur: quæ quidem tabula ex tabulis Paschalibus excerpta est, ex quibus infinitæ aliæ erui possunt pro quibuscumque annis.

TABULA

TABULA PASCHALIS
ANTIQUA REFORMATA.

Aureus num.		Cyclus Epactarum.	Litteræ Dom.	Septuagesima.	Dies Cinerum.	Pascha.	Ascensio.	Pentecostes.	Corpus Christi.	Dominicæ post Pentecosten.	Prima Dominica Adventus.
16		xxiij	c	Ian.	Febr.	Mart.	Apr.	Maij	Maij	—	—
5		xxij	d	18	4	22	30	10	21	28	29 N
		xxj	e	19	5	23	1 Mai	11	22	28	30
13		xx	f	20	6	24	2	12	23	28	1.D.
2		xix	g	21	7	25	3	13	24	28	2
		xviij	A	22	8	26	4	14	25	28	3
10		xvij	b	23	9	27	5	15	26	27	27.N
		xvj	c	24	10	28	6	16	27	27	28
18		xv	d	25	11	29	7	17	28	27	29
7		xiv	e	26	12	30	8	18	29	27	30
		xiij	f	27	13	31	9	19	30	27	1.D.
15		xij	g	28	14	1 Apr.	10	20	31	27	2
4		xj	A	29	15	2	11	21	1.Iu.	27	3
		x	b	30	16	3	12	22	2	26	27 N
12		ix	c	31	17	4	13	23	3	26	28
1		viij	d	1 Feb.	18	5	14	24	4	26	29
		vij	e	2	19	6	15	25	5	26	30
9		vj	f	3	20	7	16	26	6	26	1.D.
		v	g	4	21	8	17	27	7	26	2
17		iiij	A	5	22	9	18	28	8	26	3
6		iij	b	6	23	10	19	29	9	25	27 N
		ij	c	7	24	11	20	30	10	25	28
14		j	d	8	25	12	21	31	11	25	29
3		*	e	9	26	13	22	1.Iu.	12	25	30
		xxix	f	10	27	14	23	2	13	25	1.D.
11		xxviij	g	11	28	15	24	3	14	25	2
		xxvij	A	12	1 Mar.	16	25	4	15	25	3
19	25.	xxvj	b	13	2	17	26	5	16	24	27.N
8	xxv	xxiv	c	14	3	18	27	6	17	24	28
			d	15	4	19	28	7	18	24	29
			e	16	5	20	29	8	19	24	30
			f	17	6	21	30	9	20	24	1. D.
			g	18	7	22	31	10	21	24	2
			A	19	8	23	1 Iu.	11	22	24	3
			b	20	9	24	2	12	23	23	27 N
			c	21	10	25	3	13	24	23	28

TABULA PASCHALIS.

Litteræ Domin.	Cyclus Epactarum.	Septuagesima.	Dies Cinerum	Pascha.
D	23.	18. Jan.	4. Feb.	22. Mar.
	22. 21. 20. 19. 18. 17. 16.	25. Jan.	11. Feb.	29. Mar.
	15. 14. 13. 12. 11. 10. 9.	1. Feb.	18. Feb.	5. Apr.
	8. 7. 6. 5. 4. 3. 2	8. Febr.	25. Feb.	12. Apr.
	1. *29. 28 27. 26. xxv. 25. 24.	15. Feb.	4. Mar.	19. Apr.
E	23. 22.	19. Jan.	5. Feb.	23. Mar.
	21. 20. 19. 18. 17. 16. 15.	26. Jan.	12. Feb	30. Mar.
	14. 13. 12. 11. 10. 9. 8.	2. Febr.	19. Feb.	6. Apr.
	7. 6. 5. 4. 3. 2. 1.	9. Febr.	26. Feb.	13. Apr.
	* 29. 28. 27. 26. xxv. 25. 24.	16. Feb.	5. Mar.	20 Apr.
F	23. 22. 21.	20. Jan.	6. Feb.	24. Mar.
	20. 19. 18. 17. 16. 15. 14.	27. Jan.	13. Feb.	31 Mart.
	13. 12. 11. 10. 9. 8. 7.	3. Febr.	20. Feb.	7. Apr.
	6. 5. 4. 3. 2. 1. *	10. Feb.	27. Feb.	14. Apr.
	29. 28. 27. 26. xxv. 25. 24.	17. Feb.	6. Mar.	21. Apr.
G	23. 22. 21. 20:	21. Jan.	7. Feb.	25. Mar.
	19. 18. 17. 16. 15. 14. 13.	28. Jan.	14. Feb.	1. Apr.
	12. 11. 10. 9. 8. 7. 6.	4. Feb.	21 Feb.	8. Apr.
	5. 4. 3. 2. 1. * 29.	11 Feb.	28. Feb.	15. Apr.
	28. 27. 26. xxv. 25. 24.	18. Feb.	7 Mar.	22. Apr.
A	23. 22. 21. 20. 19.	22. Jan.	8 Feb.	26. Mar.
	18. 17. 16. 15. 14. 13. 12.	29. Jan.	15. Feb.	2. Apr.
	11. 10. 9. 8. 7. 6. 5.	5. Febr.	22. Feb.	9. Apr.
	4. 3. 2. 1. * 29. 28.	12. Feb.	1. Mar.	16. Apr.
	27. 26. xxv. 25. 24.	19. Feb.	8. Mar.	23. Apr.
B	23. 22. 21. 20. 19. 18.	23. Jan.	9. Feb.	27. Mar.
	17. 16. 15. 14. 13. 12. 11.	30. Jan.	16. Feb.	3. Apr.
	10. 9. 8. 7. 6. 5. 4.	6. Feb.	23. Feb.	10. Apr.
	3. 2. 1. *29. 28. 27.	13. Feb.	2. Mar.	17. Apr.
	26. xxv. 25. 24.	20. Feb.	9. Mar.	24. Apr.
C	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17.	24. Jan.	10. Feb.	28. Mar.
	16. 15. 14. 13. 12. 11. 10.	31. Jan.	17. Feb.	4. Apr.
	9. 8. 7. 6. 5. 4. 3.	7. Feb.	24. Feb.	11. Apr.
	2. 1. * 29. 28. 27. 26. xxv.	14 Feb.	3. Mar.	18. Apr.
	25. 24.	21. Feb.	10. Mar.	25. Apr.

NOVA

NOVA REFORMATA.

Ascensio.	*Pentecostes.*	*Corpus Christi.*	*Dominica inter Pent. & Adventum.*	*Prima Dominica Adventus.*
30. Aprilis.	10 Maij.	21 Maij.	28	29 Nov.
7 Maij.	17 Maij.	28 Maij.	27	29
14 Maij.	24 Maij.	4 Junij.	26	29
21 Maij.	31 Maij.	11 Junij.	25	29
28 Maij.	7 Junij.	18 Junij.	24	29
1 Maij.	11 Maij.	22 Maij.	28	30 Nov
8 Maij.	18 Maij.	29 Maij.	27	30
15 Maij.	25 Maij.	5 Junij.	26	30
22 Maij.	1 Junij.	12 Junij.	25	30
29 Maij.	8 Junij.	19 Junij.	24	30
2 Maij.	12 Maij.	23 Maij.	28	1 Decemb.
9 Maij.	19 Maij.	30 Maij.	27	1
16 Maij.	26 Maij.	6 Junij.	26	1
23 Maij.	2 Junij.	13 Junij.	25	1
30 Maij.	9 Junij.	20 Junij	24	1
3 Maij.	13 Maij.	24 Maij.	28	2 Decemb.
10 Maij.	20 Maij.	31 Maij.	27	2
17 Maij.	27 Maij.	7 Junij.	26	2
24 Maij.	3 Junij.	14 Junij.	25	2
31 Maij.	10 Junij.	21 Junij.	24	2
4. Maij.	14 Maij.	25 Maij.	28	3 Decemb.
11 Maij.	21 Maij.	1 Junij.	27	3
18 Maij.	28 Maij.	8 Junij.	26	3
25 Maij.	4 Junij.	15 Junij.	25	3
1 Junij.	11 Junij.	22 Junij.	24	3
5 Maij.	15 Maij.	26 Maij.	27	27 Nov.
12 Maij.	22 Maij.	2. Junij.	26	27
19 Maij.	29 Maij.	9 Junij.	25	27
26 Maij.	5 Junij.	16 Junij.	24	27
2 Junij.	12. Junij.	23 Junij.	23	27
6 Maij.	16 Maij.	27 Maij.	27	28 Nov.
13 Maij.	23 Maij.	3 Junij.	26	28
20 Maij.	30 Maij.	10 Junij.	25	28
27 Maij.	6 Junij.	17 Junij.	24	28
3 Junij.	13 Iunij.	24 Junij.	23	28

TABULA

TABULA
TEMPORARIA.

Anni Domini.	*Littera Dominical.*	*Aur. Numer.*	*Epacta.*	*Septuagesima.*	*Dies Cinerum.*	*Pascha.*
1693	d	3	xxiij	18 Jan.	4 Febr.	22 Mart.
1694	c	4	iv	7 Feb.	24 Febr.	11 Aprilis
1695	b	5	xv	30 Jan.	16 Febr.	3 Aprilis
1696	A g	6	xxvj	19 Feb.	7 Mart.	22 Aprilis
1697	f	7	vij	3 Feb.	20 Febr	7 Apr.
1698	e	8	xviij	26 Jan.	12 Febr.	30 Mart.
1699	d	9	xxix	15 Feb.	4 Mart.	19 Apr.
1700	c	10	ix	7 Feb.	24 Febr.	11 Apr.
1701	b	11	xx	23 Jan.	9 Febr.	27 Mart.
1702	A	12	j	12 Feb.	1 Mart.	16 Apr.
1703	g	13	xij	4 Feb.	21 Febr.	8 Aprilis
1704	f e	14	xxiij	20 Jan.	6 Febr.	23 Mart.
1705	d	15	iv	8. Feb.	25 Febr.	12 Apr.
1706	c	16	xv	31 Jan.	17 Febr.	4 Apr.
1707	b	17	xxvj	20 Feb.	9 Mart.	24 Apr.
1708	A g	18	vij	5 Feb.	22 Febr.	8 Aprilis
1709	f	19	xviij	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.
1710	e	1	*	16 Feb.	5 Mart.	20 Apr.
1711	d	2	xj	1 Feb.	18 Febr.	5 Apr.
1712	c b	3	xxij	24 Jan	10 Febr.	27. Mart.
1713	A	4	iij	12 Feb.	1 Mart.	16 Aprilis
1714	g	5	xiv	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.
1715	f	6	xxv	17 Feb.	6 Mart.	21 Apr.
1716	e d	7	vj	9 Feb.	26 Febr.	12 Apr.
1717	c	8	xvij	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.
1718	b	9	xxviij	13 Feb.	2 Mart.	17 Aprilis
1719	A	10	ix	5 Feb.	22 Febr.	9 Apr.
1720	g f	11	xx	28 Jan.	14 Febr.	31 Mart.
1721	e	12	j	9 Feb.	26 Febr.	13 Apr.
1722	d	13	xij	1 Feb.	18 Febr.	5 Apr.
1723	c	14	xxiij	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.
1724	b A	15	iv	13 Feb.	1 Mart.	16 Apr.
1725	g	16	xv	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.

FESTO

FESTORUM MOBILIUM

Anni Domini	*Ascensio Domini.*	*Pentecostes.*	*Corpus Christi.*	*Indict.*	*Dñica post Pent.*	*Dñica 1. Adventus.*
1693	30 April.	10 Maii.	21 Maii.	1	28	29 Nov.
1694	10 Maii	30 Maii.	10 Junii.	2	25	28 Nov.
1695	12 Maii.	22 Maii.	2 Junij.	3	26	27 Nov.
1696	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	4	24	2 Dec.
1697	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii	5	26	1 Dec.
1698	8 Maii	18 Maii.	29 Maii.	6	27	30 Nov.
1699	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	7	24	29 Nov.
1700	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	8	25	28 Nov.
1701	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	9	27	27 Nov.
1702	25 Maii.	4 Junii.	15 Junij	10	25	3 Dec.
1703	17 Maii.	27 Maii.	7 Junii	11	26	2 Dec.
1704	1 Maii.	11 Maii	22 Maii.	12	28	30 Nov.
1705	21 Maii.	31 Maii.	11 Junii	13	25	29 Nov.
1706	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii	14	26	28 Nov.
1707	2 Junii.	12 Junii.	23 Junii	15	23	27 Nov.
1708	17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	1	26	2 Nov.
1709	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	2	27	1 Dec.
1710	29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	3	24	30 Nov.
1711	14 Maii	24 Maii.	4 Junii.	4	26	29 Nov.
1712	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	5	27	27 Nov.
1713	25 Maii.	4 Junii.	15 Junij.	6	25	3 Dec.
1714	10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	7	27	2 Dec.
1715	30 Maii.	9 Junii.	20 Junii.	8	24	1 Dec.
1716	21 Maii.	31 Maii.	11 Junii.	9	25	29 Nov.
1717	6 Maii.	16 Maii.	27 Maii.	10	27	28 Nov.
1718	26 Maii.	5 Junii.	16 Junii	11	24	27 Nov.
1719	18 Maii.	28 Maii.	8 Junii.	12	26	3 Dec.
1720	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	13	27	1 Dec.
1721	22 Maii.	1 Junii	12 Junii	14	25	30 Nov.
1722	14 Maii.	14 Maii.	4 Junii	15	26	29 Nov.
1723	6 Maii.	6 Maii	27 Maii.	1	27	28 Nov.
1724	15 Maii.	25 Maii.	15 Junii	2	25	3 Dec.
1725	10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	3	27	2 Dec.

DUÆ

DUÆ TABELLÆ
EX RUBRICIS GENERALIBUS
EXCERPTÆ.

In quarum prima statim videri poterit, de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die Festa occurrant.

In secunda verò, quomodo Officium præcedens concurrat in Vesperis cum Officio sequentis diei.

Ex utraque Tabella hoc ordine reperietur quod quæritur.

Primùm inveniatur numerus positus in quadrangulo illo, in quo Festa, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt; deinde legatur Regula, juxta dictum numerum descripta & ex ea clarè videbitur quid sit agendum.

Exempli gratia. Quadrangulus in quo sibi invicem occurrunt Duplex primæ Classis, & Dominica primæ Classis, erit qui est in angulo superiori primæ Tabellæ in quo signatus est numerus. 1. quia si ad eum tam Duplex, quàm Dominica prædicta ex eorum locis recto tramite pergerent; in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem juxta dictum numerum apposita sic habet.

1. *Translatio de primo, Officium de secundo.* Id est, duplex primæ Classis prædictum transferatur, & Officium fiat de Dominica primæ Classis: quia cum in his regulis dicitur, De primo seu præcedenti, intelligitur de Festo in superiori parte Tabellæ apposito, ut Duplex prædictum; Cùm verò de secundo vel sequenti, intelligitur de Festo in inferiore parte sub numeris apposito ut Dominica prædicta.

In aliquibus autem quadrangulis nullus appositus est numerus, vel quia nullus occursus neque concursus esse potest vel quia in propriis locis adnotatur in Breviario, quid sit agedum. Scire autē oportet quæ sint Duplicia primæ Classis, & dupl. majora; & quæ Dominicæ & Feriæ majores dicantur.

DUPLICIA PRIMÆ CLASSIS.

In quibus nulla fit commemoratio quorumcumque Festorum occurrentium,

Nativitas Domini.
Circumcisio.
Epiphania.
Pascha cum tribus antecedentibus & duobus sequentibus diebus.
Ascensio Domini.
Pentecoste cum duobus sequentibus diebus.
Festum Trinitatis.
Festum Corporis Christi.
Nativitas S. Joannis Baptistæ.
Assumptio B. Mariæ Virginis.
Festum omnium Sanctorum.
Dedicatio Propriæ Ecclesiæ.
Patronus vel Titulus Ecclesiæ.

DUPLICIA MAIORA.

In quibus non fit commemoratio de Simplicibus nisi per ix. Lect. Ad Matut. sed non dicitur de eis. Orat. Ad Missam maj.

Conceptio, Purificatio, Annuntiatio, Nativitas } B. Mariæ.
Festum Ss. Apost. Petri & Pauli.

DOMINICÆ MAIORES.

dividuntur in duas Classes.

DOMINICÆ PRIMÆ Classis.

Prima Adventus.
Septuagesimæ.
Prima Quadragesimæ.
Passionis.
Palmarum.
Paschæ.
Octavæ Paschæ seu in Albis.
Pentecostes.
Oct. Pentecostes sive Trinitatis.

DOMINICÆ SECUNDÆ Classis.

Secunda, Tertia, Quarta } Adventus.
Dominicæ } Sexagesimæ, Quinquagesimæ.
Secunda, Tertia, Quarta } Quadragesimæ.

Hæ omnes Dominicæ, nunquam omittuntur quocumque Festo adveniente.

Feriæ majores de quibus semper fit commemoratio.

Adventus.
Quadragesimæ.
Quatuor Temporum.
Secunda, Quarta } Rogationum.

SI OCCURRAT eodem Die.

	Vigilia.	Feria major.	S. Maria in Sabbato.	Simplex sive *iii. Lect.*	Semiduplex majus vel minus.	Dies Octavæ.	Dies infra Octavam.	Duplex minus.	Duplex majus.	Duplex primæ Classis.	Dominica per annum.	Dominica major primæ & 2. Classis.
Duplex primæ Classis, &	6	4	0	6	2	4	6	2	2	8	4	1
Duplex majus.	4	4	0	6	2	4	6	2	8	1	4	1
Duplex minus,	4	4	0	4	2	4	4	8	1	1	4	1
Dies infra Octavam,	4	4	0	4	3	3	7	3	3	5	3	3
Dies Octavæ,	4	4	0	4	2	7	4	3	3	3	4	3
Semiduplex maj. & minus	4	4	0	4	8	1	4	1	1	1	4	1
Simplex sive *iii. Lect.*	3	3	3	0	3	3	3	3	3	5	3	3
S. Maria in Sabbato,	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria major,	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	0	0
Vigilia.	0	5	6	4	3	3	3	3	3	5	0	0

1. Translatio de primo, Officium de secundo.
2. Officium de primo, Translatio de secundo.
3. Cōmemoratio de primo Officiū de secundo.
4. Officium de primo commem. de secundo.
5. Nihil de primo, Officium de secundo.
6. Officium de primo, nihil de secundo.
7. Officium de digniori, commemoratio de minus digno.
8. Officium de digniori, Translatio de minus digno.

Notandum, quòd Duplex quodcumque, etiam Patroni, & Tituli Ecclesiæ, vel Dedicationis ejusdem, occurrens in Vigiliis Nativitatis Domini & Pentecostes, in die Circumcisionis, in die Octava Epiphaniæ, in Feria iv. cinerum & à Feria iv. in majori Hebdomada, inclus. usque ad Oct. Paschæ inclusivè. In Ascensione Domini in Pentecoste, & per Octavam. In Festo Corporis Christi, in Festo Assumptionis B. Virginis, & omnium SS. Transfertur.

Infra Oct. Epiphan. fit tantùm de Patrono vel Titulari Ecclesiæ, & ejusdem Dedicatione, cum commemor. Octavæ: alia Festa transferuntur post Octavam.

De Octava Nativit. Domini Epiphan. & Corporis Christi, semper fit commemoratio quocumque Festo in illis occurrente.

De aliis Octavis, quæ non sunt in Kalendario nil fit à Feria iv. Cinerum usque ad Dom. Oct. Paschæ seu in Albis, & à Vigil. Pentecost. usque ad festum Trinitatis inclus. & à die 17. Decēb. usque ad Epiphaniā.

De Translatione Octavarum vide Rubricam de Translat. Fest. num. 1.

Si occurrat ut Patronus vel Titulus Ecclesiæ descriptus sit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Ecclesia fit tantùm de Patrono vel Titulari absque commemor. aliorum. Qui si in dicto Kalendario descripti sunt sub Officio

ficio Duplici, vel Semiduplici, transferuntur in primam diem simili Officio non impeditam, & de iis fiat secundum qualitatem Officij. Si verò in Kalendario omnes sint tanquam Festum Simplex, de aliis nil fit.

De Feriis Adventus, & Quadragesimæ, quando de eis non fit Officium, fit commemoratio per Lectionem in Matut. vel orat. in Missa quocumque festo adveniente. De Quatuor Temporibus Feria ij. & iv. Rogationum, ac Vigilia, non fit commemorat. in Festis Duplicib. 1. Classis, sed in cæteris omnibus. Si verò aliqua Vigilia occurrat in Adventu, Quadragèsima & Quatuor Temporibus, vel in diebus Festorum Duplicium primæ Classis Patroni vel Dedicationis Ecclesiæ de ea nihil fit omnino.



QVANDO

QVANDO CONCVRRIT.

	Dominica primæ Classis.	Dominica secundæ Classis.	Dñica minore seu per annum.	Duplici primæ Classis.	Patrono vel titulo Ecclesiæ.	Duplici majore.	Duplici minore.	Semiduplici mai. vel mi.	Simplici seu iij. Lect.	Die Octavæ.	Die infra Octavam.	S. Maria in Sabbato.
ominica primæ Classis cum,	0	0	0	1	1	1	1	3	3	3	3	0
Dominica secundæ Classis.	0	0	0	1	1	1	1	1	3	1	3	0
ominica minor seu per annũ	0	0	0	1	1	1	1	1	3	1	3	0
Duplex primæ Classis,	3	3	3	4	4	3	3	3	3	3	3	3
Patronus sive titulus Ecclesiæ,	3	3	3	4	0	3	3	3	3	3	3	3
Duplex majus.	3	3	3	1	1	4	3	3	3	3	3	3
Duplex minus.	3	3	3	1	1	1	4	3	3	3	3	3
emiduplex maj. vel minus,	1	3	3	1	1	1	1	4	3	3	3	3
Dies Octavæ.	1	3	3	1	1	1	1	3	3	3	3	3
Dies infra Octavam.	1	1	1	1	1	1	1	1	2	1	0	0

1. Totum de sequenti, nihil de præcedenti.

2. Totum de præcedenti, nil de sequenti.

3. Totum de præcedenti processio de sequenti.

4. Totum de digniori, processio de minus digno.

Simplex, & S. Maria in Sabbato, Feria, & Vigilia non concurrunt.

Notandum quod Festa SS. Trinitatis, Corporis Christi. Transfigurationis, sunt omnino completa, id est, habent primas & secundas Vesperas, processionem, & Hymnum ad Completorium. : similiter & Festa B. Mariæ Virginis, nisi concurrant cum Festis Domini nostri Jesu Christi ut Festum ad Nives cum Transfiguratione.

Notandum quoque quod in primis Vesperis diei Octavæ Ascensionis & Corporis Christi Officium fit de Octava nisi fuerit festum Duplex primæ Classis, vel Duplex majus.

In secundis Vesperis diei Octavæ Paschæ, de sequenti Festo fit tantùm processio nisi fuerit; Duplex majus. Tunc enim fieret totùm de sequenti, nihil de præcedenti.

PER

PERMISSION ET MANDEMENT de Monseigneur l'Archevêque & Comte de Lyon, Primat de France, Commandeur des ordres du Roy, & son Lieutenant general au Gouvernement de Lyon, Pays de Lyonnois, Forest & Beaujolois, &c.

NOus mandons & permettons aux Sieurs Jean-Baptiste Deville, & Pierre Valfray, Marchands Libraires de cette Ville, d'imprimer ou faire imprimer le Breviaire que nous avons fait nouvellement revoir & corriger selon l'usage de nôtre Eglise de Lyon, avec défences à tous autres d'imprimer & debiter ledit Breviaire. Fait à Neufville le 20. Decembre 1692.

L'ARCHEVEQUE, de Lyon.

JANUARIUS.

Cyclus Epact.	Litteræ Dom.		Dies mensis.	
*	A	Kal.	1	Circumcisio Domini,& Oct. Nativ. ejusdem. *Duplex prima Classis.*
xxix	b	iiij	2	Octava S.Stephani Protomart. *semiduplex mi. Com.* S.Clari Confess.
xxviij	c	iij	3	Octava S.Joannis Apost. *semid. mi. Commem.* S.Genovefæ virg. *in Miss.*
xxvij	d	Prid.	4	Octava SS.Innocentium *semid. mi.*
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ *iij.Lect.*
25xxv	f	viij	6	Epiphania Domini. *Dupl.* 1.*Classis.*
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphanię. *iij.Lect.*
xxiij	A	vj	8	De Octava.
xxij	b	v	9	De Octava.
xxj	c	iiij	10	De Octava.
xx	d	iij	11	De Octava.
xix	e	Prid.	12	De Octava.
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ. *semid.mai.*
xvij	g	xix	14	Felicis Presbyt. & Conf. *iij.Lect.Com.* S.Pauli primi Eremitæ. *Commem. minor. fidel. Defunctorum.*
xvj	A	xviij	15	Hilarii Episc.& Confess. *iij.Lect.*
xv	b	xvij	16	Marcelli Papæ & mart. *iij.Lect.*
xiv	c	xvj	17	Antonii Abbatis *sem.mai. Co.*SS.Speosippi, Eleosippi & Meleosippi.m.
xiij	d	xv	18	Cathedra S.Petri Romæ *iij.Lect. Com.*
xij	e	xiv	19	S.Priscæ Virg.& m.*Primum Septuag.*
xj	f	xiij	20	Fabiani & Sebastiani mart. *dupl.min.*
x	g	xij	21	Agnetis Virg. & mart. *semid. mi.*
ix	A	xj	22	Vincentii mart. *semid.mai.*
viij	b	x	23	Barnardi Episc.& Conf.Lugd. *iij.Lect.*
vij	c	ix	24	Timothei Apost. *iij.Lect.*
vj	d	viij	25	Conversio S.Pauli Apost. *semid. mai. Com.*S.Præjecti Episc.& mart.*in Miss.*
v	e	vij	26	Polycarpi Episc. & mart. *iij.Lect.*
iv	f	vj	27	Joan.Chrysost.Episc. & Conf.*iij.Lect.*
iij	g	v	28	Agnetis secundò *iij. Lect.*
ij	A	iiij	29	Francisci Salesii Episc.& Conf. *semid.*
j	b	iij	30	*mai. Com.* S.Valerii Episc. & Conf.
*	c	Prid.	31	

FEBRUARIUS.

Cyclus Epact.	*Littera Dom.*		*Dies mensis*	
xxix	d	Kal.	1	Ignatij Episc. & mart. *iij. Lect.*
xxviij	e	iv	2	PURIFICATIO B.M. VIRG. *duplex mai.*
xxvij	f	iij	3	Blasij Episc.& mart. *iij.Lect. In maj.Ecclesi.semid.maj.Com.* S.Lupicini Episc. Lugd.& Conf. *in Missa.*
25.xxvj	g	Prid.	4	
25.xxiv	A	Non.	5	Agathæ Virg. & mart. *semid. mi.*
xxiij	b	viij	6	
xxij	c	vij	7	
xxj	d	vj	8	*Primum Quadrag.*
xx	e	v	9	Apolloniæ Virginis & mart. *iij. Lect.*
xix	f	iv	10	
xviij	g	iij	11	Desiderij Episc. & mart. *iij. Lect.*
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	Stephani Episc.Lugd.& Conf. *iij.Lect.*
xv	c	xvj	14	Valentini Interamnensis Episc. atque Valentini Presbyt. Romani, martyrum. *iij. Lect.*
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	Onesimi Apost. *iij. Lect.*
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	
vij	d	viij	22	Cath.S.Petri Antioch. *iij.Lect.ult.Sept.*
vj	e	vij	23	Vigilia. *Carnis abstinentia.*
v	f	vj	24	MATTHIÆ APOSTOLI. *dupl. mi.*
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	Baldomeri Subdiacon. Lugd. & Confess. *iij. Lect.*
j	c	Prid.	28	

In anno bissextili, Februarius est dierum 29. & Festum S. Matthiæ *celebratur* 25.Februarij: *& bis dicitur,* Sexto Kalendas, *id est, die* 24. *& die* 25. *& littera Dominicalis quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem: Ut si in Januario littera Dominicalis fuit* A, *mutatur in præcedentem, quæ est* g, &c. *& littera* F, *bis servit* 24.*&* 25. *Quando verò in anno bissextili dies vigesquarta venerit in Sabbato; tunc etiam ipsa die* 24. *celebratur festum* S.Matthiæ, *& festivatur, secundùm usum Lugdunensis Ecclesiæ.*

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
*	d	Kal.	1	
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	
xxvj	A	iij	5	
25.xxv.	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Thomæ Aquinatis Conf. *semid. mi. In quibusdam Ecclesiis tantùm.*
xxiij	d	viij	8	
xxij	e	vij	9	
xxj	f	vj	10	
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	Gregorij Papæ & Confess. *semid.maj.*
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	*Ultimum Quadrag.*
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	Josephi sponsi B.M. Virg. *duplex mai.*
xj	b	xiij	20	Joachim Patris B. M. V. *semid. mai.*
x	c	xij	21	*Com.*S.Benedicti Abb.*Æquinoct.Vern.*
ix	d	xj	22	*Primum Pascha.*
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO B. M. VIRGINIS. *Duplex. mai.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis	
xxix	g	Kal.	1	
xxviij	A	iiij	2	Nicetii Episc. Lugd. & Cõf. *semid.mai.* *Cõ.* S. Francisci de Paula Cõf. *in Missa.*
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	Ambrosii Episc. & Conf. *semid. mai.*
25. xxiv	d	Non.	5	
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iiij	10	
xviij	c	iij	11	Leonis I. Papæ & Confess. *iij. Lect.*
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	
xv	f	xviij	14	Tiburtii, Valeriani, & Maximi, mart. *iij. Lect.*
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	Gebuini Episc. Lugd. & Conf. *iij. Lect.*
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	
vij	g	x	22	Ippipodii mart. Lugd. *iij. Lect.*
vj	A	ix	23	Georgii mart. *semid. mai. Comm.* SS. Felicis, Fortunati & Achillei mart. Lugdunensium.
v	b	viij	24	Alexandri & soc. mart. Lugd. *iij. Lect.*
iv	c	vij	25	Marci Evangel. *dupl. mi. Com.* S. Rustici Episc. Lugd. & Conf. *Vltimum Pascha.*
iij	d	vj	26	*Primum Rogationum.*
ij	e	v	27	
j	f	iv	28	Vitalis mart. *iij. Lect.*
*	g	iij	29	Petri mart. *iij. Lect.*
xxix	A	Prid.	30	

Cyclus Epact.	Litteræ Dom.		Dies mensis	
xxviij	b	Kal.	1	PHILIPPI ET JACOBI APOST. *duplex mi. Commem.* S. Andeoli mart. *in Missa.*
xxvij	c	vj	2	Athanasij Episc. & Confess. *iij. Lect.*
xxvj	d	v	3	INVENTIO SANCTÆ CRUCIS. *dupl. mi. Commem.* SS. Alexandri Papæ, Eventij, & Theoduli mart.
25.xxv	e	iv	4	
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	Prid.	6	Joannis ante Portam Latinam. *semiduplex mai.*
xxij	A	Non.	7	
xxj	b	viij	8	
xx	c	vij	9	Gregorij Nazianzeni Episc. & Conf. *iij. Lect. Commem.* Translat. S. Nicolai Episc. & Confess. *in Missa.*
xix	d	vj	10	Gordiani, & Epimachi mart. *iij. Lect. Primum Pentecost.*
xviij	e	v	11	
xvij	f	iv	12	Pancratij, Nerei, & Achillei mart. *iij. Lect.*
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	
xij	d	xvj	17	
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	
ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	Urbani Papæ & mart. *iij. Lect.*
iij	f	vij	26	
ij	g	vj	27	
j	A	v	28	
*	b	iv	29	
xxix	c	iij	30	*Ultimum Rogationum.*
xxviij	d	Prid.	31	

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis	
xxvij	e	Kal.	1	
25. xxvj	f	iv.	2	Pothini Primi Lugd. Episc. & 47. m. Lugd. *dupl. mi.* *Com.* SS.Marcellini Petri & Erasmi.
25.xxiv	g	iii	3	Blandinæ Virg.& mart.Lugd.*iij.Lect.*
xxiij	A	Prid.	4	*Comm.* S.Limphardi. Presb.& Cõf.
xxij	b	Non.	5	
xxj	c	viii	6	Claudii Episc.& Confess. *semid.mai.*
xx	d	vij	7	*Comm.* S.Agobardi Episc. Lugd. &
xix	e	vj	8	Confess. *in Missa.*
xviij	f	v	9	Primi & Feliciani mart. *iij.Lect.*
xvij	g	iv	10	Basilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii mart. *iij.Lect.*
xvj	A	iii	11	Barnabæ Apost. *iij.Lect.*
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	Ragneberti mart. *iij.Lect. Com.* S.Antonii de Padua *in Missa.* *Vltimum Pentecost.*
xiij	d	xviii	14	Basilii Magni Episc.& Conf. *iij.Lect.*
xij	e	xvij	15	
xj	f	xvj	16	Cyrici & Julittæ mart. *iij. Lect. In*
x	g	xv	17	*maj. Eccles. semid. maj.*
ix	A	xiv	18	Marci & Marcelliani frat.m. *iij.Lect.*
viij	b	xiij	19	Gervasii & Prothasii mart. *iij.Lect.*
vij	c	xij	20	Eucherii. 1. Lugd.Episc.*semid.mai.*
vj	d	xj	21	
v	e	x	22	Albani & socior. mart. *iij.Lect. Comm.* S.Consortiæ Virg. *in Missa.*
iv	f	ix	23	Vigil. *Iejun. Com.*S.Boniti Ep.& C.
iii	g	viij	24	NATIV.S.JOAN.BAPT. *duplex* 1.*Classis.*
ii	A	vij	25	De Octava S.Joannis.
i	b	vj	26	Joannis & Pauli mart.*semid. mai. in maj.Ecclesia.Alibi sem.mi.Cõ.* Octavæ.
*	c	v	27	Irenæi Lugd.Episc. & soc.mart. *dupl. mai. Translatum fuit ad diem* 23.*Novemb. de mandato Ill. & Rev.Camilli de Neufville Archiepisc.*
xxix	d	iv	28	De Octava S.Joannis. *Com.* Vigiliæ & S.Leonis Pap. & C.*in Miss. jejuniũ.*
xxviij	e	iij	29	PETRI ET PAULI APOST. *duplex mai.*
xxvij	f	Prid.	30	Celebritas S.Pauli Apost.*semid.mi.* *Com.* S. Martialis Episc.& mart. *in Miss.*

JULIUS

JULIUS.

Cyclus Epact.	*Littera Dom.*		*Dies mensis*	
xxvj	g	Kal.	1	Octava S. Joannis Baptistæ *semid. mi. In majori Ecclesia, dupl. min. Commem.* S. Domitiani Abbatis.
25.xxv	A	vj	2	Visitatio B. Mariæ Virg. *dupl. min. Com.* SS. Processi & Martiniani. mart.
xxiv	b	v	3	De Octav. Apost. Petri & Pauli *iij. Lect.*
xxiij	c	iv	4	De Octava Apost. *iij. Lect. Com.* Transl. S. Martini Episc. & Confess.
xxij	d	iij	5	De Octava *iij. Lect.*
xxj	e	Prid.	6	Octava Apost. Petri & Pauli *sem. mi.*
xx	f	Non.	7	Transl. S. Thomæ Episc. & m. *iij. Lect.*
xix	g	viij	8	*In majori Ecclesia.* Angelorum Custodũ & Raphaëlis Archãg. *dupl. mai.*
xviij	A	vij	9	*In majori Ecclesia,* Consecratio majoris Altaris Ecclesię Lugd. *dupl. mai.*
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum mart. *iij. Lect.*
xvj	c	v	11	Translatio S. Bened. Abbatis *iij. Lect.*
xv	d	iv	12	Vivẽtioli Episc. Lugd. & Cõf. *iij. Lect.*
xiv	e	iij	13	
xiij	f	Prid.	14	Bonaventurę Episc. & Conf. *semid. mi.*
xij	g	Idib.	15	
xj	A	xvij	16	
x	b	xvj	17	Sperati & socior. ejus mart. *in majori Ecclesia semid. maj.* Alibi *iij. Lect.*
ix	c	xv	18	Symphorosæ cum septẽ fil. m. *iij. Lect.*
viij	d	xiv	19	
vij	e	xiij	20	Margaritæ Virg. & mart. *semid. mai.*
vj	f	xij	21	Praxedis Virg. *iij. Lect.*
v	g	xj	22	Mariæ Magdalenæ *duplex mi.*
iv	A	x	23	Apollinaris Episc. & mart. *iij. Lect.*
iij	b	ix	24	Vigilia. *Com.* S. Christinæ Virg. & m. *Carnis abstinentia.*
ij	c	viij	25	JACOBI APOSTOLI. *duplex minus Com.* S. Christophori & Cucufati mart.
j	d	vij	26	Annæ Matris B. Mariæ Virg. *dupl. mi.*
*	e	vj	27	
xxix	f	v	28	Pantaleonis mart. *iij. Lect. In maj. Ecclesi. semid. maj. Comm.* S. Peregrini Lugd. Presbyt. & Conf.
xxviij	g	iv	29	Felicis Papæ, Simplicii, Faustini & Beatricis m. *iij. Lect. Com.* Marthæ V.
xxvij	A	iij	30	Abdon & Sennen mart. *iij. Lect.*
25.xxvj	b	Prid.	31	Translatio. S. Germani Episc. & Confess. *iij. Lect. Com.* S. Ignatii Conf.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
25.xxiv	c	Kal.	1	Petri ad vincula. *semid. mai.* *Commemor.* SS. Machabæorum Mart.
xxiij	d	iiij	2	Stephani Papæ & Mart. *iij. Lect.*
xxij	e	iij	3	Revelat. seu invent. Corp. s. Stephani Protomart. *in maiori Eccles. duplex mai.* Alibi *semid. majus.*
xxj	f	Prid.	4	Adventus seu translat. S. Justi Lugd. Episc. & Confess. de eremo. *iij. Lect.*
xx	g	Non.	5	S. Mariæ ad Nives. *duplex min. Comm.* S. Dominici Confess.
xix	A	viij	6	Trāsfig. Dñi *dup. mi. Cō.* SS. Xisti, &c. m.
xviij	b	vij	7	Donati Episc. & mart. *iij. Lect.*
xvij	c	vj	8	Cyriaci & soc. mart. *iij. Lect. Com.* S. Severi Presb. & Confess.
xvj	d	v	9	Vigilia *jejunium.* [Lugd. Ep.
xv	e	iv	10	LAURENTIJ MART. *dup. mi. Cō.* S. Arigij
xiv	f	iij	11	Tiburtij mart. *iij. Lect.*
xiij	g	Prid.	12	Trāl. S. Andeoli m. *iij. Lect. In maj. Eccl. sem. maj. Cō.* S. Claræ. virginis.
xij	A	Idib.	13	Hyppoliti & socior, mart. *iij. Lect.*
xj	b	xix	14	Vig. *jejun. Com.* S. Euseb. Presb. & Cōf.
x	c	xviij	15	ASSUMPT. B. M. VIRG. *duplex* I. *Classis.*
ix	d	xvij	16	ROCHI CONFES. *semid. mai. Com.* Oct.
viij	e	xvj	17	De Oct. *Commemor.* S. Mammetis m.
vij	f	xv	18	De Oct. *Commemor.* S. Agapiti m.
vj	g	xiv	19	De Octava. *Cōm.* S. Badulphi Abbatis.
v	A	xiij	20	De Oct. *Comm.* S. Bernardi Abbatis.
iv	b	xij	21	De Octava. *Cōm.* S. Philiberti. Abbatis.
iij	c	xj	22	Octav. Assumpt. B. M. V. *sem. mai. Com.* SS. Timot. & Symphor. m.
ij	d	x	23	Vigilia *Com.* SS. Minervi & Eleazari cum 8. filiis m. Lugdunensibus. *Carnis abstinentia.*
j	e	ix	24	BARTHOL. AP. *dupl. mi. Cō.* S. Genesij m.
*	f	viij	25	LUDOVICI REG. FRANC. ET CONF. *semid. mai. Comm.* SS. Eusebij Vincent. &c. mart.
xxix	g	vij	26	
xxviij	A	vj	27	
xxvij	b	v	28	Augustini Episcopi & Confess. *semid. mai. Comm.* SS. Juliani & Hermetis m.
xxvj	c	iv	29	Decol. S. Joannis Baptistæ. *duplex mai. Commemor.* S. Sabinæ m.
25. xxv	d	iij	30	Felicis & Adaucti mart. *iij. Lect.*
xxiv	e	Prid.	31	Paulini Episc. & Conf. *iij. Lect.*

SEPTEMBER.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis	
xxiij	f	Kal.	1	Prisci Lugd. Episc. & Confess. *iij. Lect.* *Com.* S. Ægidii Abbatis.
xxij	g	iiii	2	Justi Lugd. Episc. & Confes. *semi dupl. maj. Com.* S. Elpidii Lugd. Ep. & C.
xxj	A	iii	3	
xx	b	Prid.	4	Marcelli Lugd. Presb. & mart. *iij. Lect.*
xix	c	Non.	5	
xviij	d	viii	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vj	8	NATIV. B. M. VIRG. *dupl. maj. Comm.* S. Adriani mart.
xv	g	v	9	De Octava Nativitatis.
xiv	A	iv	10	De Octava *Commem.* S. Nicolai de Tolentino. *In Missa.*
xiij	b	iii	11	De Octava *Com.* S. Patientis Lugd. Ep. & Conf. Prothi & Hyacinthi mart. *in Missa.*
xij	c	Prid.	12	De Octava. *Comm.* S. Sacerdotis Lugd. Episc. & Confes.
xj	d	Idib.	13	De Octava.
x	e	xviij	14	Exaltat. S. Crucis *sem. maj. In maj. Eccl.* Cornelii & Cypriani m. & Pont.
ix	f	xvij	15	Octava Nativitatis *semid. maj. Comm.* Alpini Lugd. Episc. & Conf. & SS. Nicomedis & Valeriani. m. *In majori Ecclesia.* Dedicatio Ecclesiæ S. Stephani. *duplex. 1. Class.*
viij	g	xvi	16	Eufemiæ, Luciæ & Geminiani mart. *iij. Lect.*
vij	A	xv	17	
vj	b	xiv	18	Ferreoli mart. *iij. Lect.*
v	c	xiii	19	
iv	d	xii	20	Vigilia. *Iejunium.*
iij	e	xi	21	MATTHÆI APOST. ET EVANG. *dup. mi.*
ij	f	x	22	Mauricii & socior. mart. *iii. Lect.*
i	g	ix	23	Theclæ Virg. & Mart. *iii. Lect.*
*	A	viii	24	Andochii, Thyrsi & Felicis m. *iii. Lect.*
xxix	b	vij	25	Lupi Episc. Lugd. & Conf. *iii. Lect.*
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Cosmæ & Damiani mart. *iii. Lect.*
25. xxvj	e	iv	28	Annemundi Lugd. Episcop. & mart. *semiduplex maj.*
25. xxiv	f	iii	29	DEDIC. S. MICHAELIS ARCHANGELI. *duplex. minus.*
xxiii	g	Prid.	30	Hieronym. Presb. & Conf. *semid. ma.*

OCTOBER.

OCTOBER.

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis.	
xxii	A	Kal.	1	Remigij & Germani Epiſc. & Confeſſ. *iij. Lect.*
xxi	b	vi	2	Leodegarij Epiſc. & mart. *iij. Lect.* SS. Angelorum Cuſtodum. *duplex minus fuit celebratum in majori Eccleſia 8. Iulij.*
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Franciſci Confeſſ. *iij. Lect.*
xviii	e	iii	5	Apollinaris Epiſc. & Confeſſ. *iij Lect.*
xvii	f	Prid.	6	Fidis Virg. & Mart. *iij. Lect. Commem.* S. Brunonis Confeſſ.
xvi	g	Non.	7	Marci Papæ & Confeſſ. *iij. Lect.*
xv	A	viij	8	
xiv	b	vii	9	Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij mart. *ſemid. maj.*
xiii	c	vi	10	
xii	d	v	11	
xi	e	iv	12	Eugendi Confeſſ. *iij. Lect.*
x	f	iij	13	Geraldi Confeſſ. *iij. Lect.*
ix	g	Prid.	14	Calixti Papæ & Confeſſ. *iij. Lect. Com.* Tranſitus ſeu depoſitio S. Juſti Epiſc. Confeſſ. *in Miſſa.*
viii	A	Idib.	15	Antiochi Epiſc. Lugd. & Conf. *iij. Lect.*
vii	b	xvii	16	
vi	c	xvi	17	Florentij Epiſc. & Confeſſ. *iij. Lect.*
v	d	xv	18	Lucæ Evangeliſtæ *duplex mi.*
iv	e	xiv	19	
iii	f	xiii	20	
ii	g	xii	21	Viatoris Confeſſ. *iij. Lect. Commemorat.* SS. Urſulæ & ſoc. mart.
i	A	xi	22	
*	b	x	23	
xxix.	c	ix	24	
xxviii	d	viii	25	Criſpini & Criſpiniani mart. *iij. Lect.*
xxvii	e	vii	26	Remigij Lugd. Epiſc. & Conf. *iij. Lect.*
xxvi	f	vi	27	Vigilia. *Jejunium.*
25. xxv	g	v	28	SIMONIS ET JUDÆ APOST. *duplex. min.*
xxiv	A	iv	29	
xxiii	b	iii	30	
xxii	c	Prid.	31	Vigil. *Jejun. Com.* S. Quintini. *in Miſſa.*

NOVEMBER.

NOVEMBER.

Cyclus Epact.	*Littera Dom.*		*Dies mensis*	
xxj	d	Kal.	1	FESTUM OMNIUM SANCTORUM. *duplex. majus.*
xx	e	iv	2	Euſtachii & ſocior. ejus mart. *iij. Lect. Commemoratio major omnium fidelium Defunctorum.*
xix	f	iij	3	
xviij	g	Prid.	4	Caroli Epiſc. & Confeſ. *ſemid. maj. In maj. Eccleſ. Duplex maj.*
xvij	A	Non.	5	
xvj	b	viij	6	
xv	c	vij	7	
xiv	d	vj	8	Quatuor coronatorum mart. *iij. Lect.*
xiij	e	v	9	Theodori mart. *iii. Lect.*
xij	f	iv	10	
xj	g	iij	11	MARTINI EPISC. ET CONFES. *ſemid. maj. Com.* S. Verani Lugd. Epiſc.
x	A	Prid.	12	
ix	b	Idib.	13	Brixii Epiſc. & Confeſſ. *iii. Lect.*
viij	c	xviij	14	Rufi Confeſ. *iii. Lect.*
vij	d	xvij	15	
vj	e	xvj	16	Eucherii 2. Lugd. Ep. & Cōf. *ſem. maj.*
v	f	xv	17	Edmundi Epiſc. & Conf. *iii. Lect.*
iv	g	xiv	18	Romani & ſociorum ejus mart. *ſem.*
iii	A	xiij	19	*maj. Comm.* S. Gregorii Taumaturgi
ii	b	xij	20	Epiſc. & Confeſ.
i	c	xj	21	Præſentatio B. Mariæ Virg. *dupl. min. Comm.* S. Columbani Abbatis.
*	d	x	22	Cæciliæ Virg. & mart. *ſemid. minus.*
xxix	e	ix	23	IRENÆI LUGD. EPISC. & 19. millium Lugd. martyr. *dup. mai.*
xxviij	f	viij	24	Clementis Papæ & mart. *ſem. min. Cō.* Oct. SS. Martyrū. & S. Chryſogoni. m.
xxvij	g	vij	25	Catharinæ Virg. & m. *dupl. mi. Cō.* Oct.
25. xxvj	A	vj	26	De Oct. SS. Martyrum *Comm.* S. Lini Papæ & mart.
25. xxiv	b	v	27	De Oct. *Cō.* SS. Saturnini & Saturnini.
xxiij	c	iv	28	De Octava *Comm.* S. Sileæ Apoſt.
xxij	d	iii	29	De Oct. *Com.* Vigiliæ. *Iejunium.*
xxj	e	Prid.	30	ANDREÆ APOST. *duplex min. Com.* Oct.

DECEMBER

Cyclus Epact.	Littera Dom.		Dies mensis	
xx	f	Kal.	1	
xix	g	iiii	2	
xviij	A	iii	3	
xvij	b	Prid.	4	*Com.*B.Barbaræ Virginis & mart.
xvj	c	Non.	5	
xv	d	viii	6	Nicolai Episc. & Conf.*semid.maj.*
xiv	e	vii	7	
xiij	f	vi	8	CONCEPTIO B. V. M. *duplex maj.*
xij	g	v	9	De Octava.
xj	A	iv	10	De Octava. *Com.*S.Eulaliæ Virg.& m.
x	b	iii	11	De Octava.
ix.	c	Prid.	12	De Octava.
viij	d	Idib.	13	De Octava. *Com.* S.Luciæ Virg. & m.
vij	e	xix	14	De Octava.
vj	f	xviij	15	Octava Conceptionis B.Marię Virg. *semid. maj.*
v	g	xvii	16	
iv	A	xvi	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiii	20	Vigilia. *Carnis abstinentia.*
*	e	xii	21	THOMÆ APOSTOLI. *duplex mi.*
xxix	f	xi	22	
xxviii	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia. *Iejunium.*
xxvj	b	viii	25	NATIV. Dñi NOSTRI JESU CHRISTI. *Duplex* 1.*Classis.*
xxv	c	vii	26	STEPHANI PROTOMART. *dupl.* 1. *Classis.*
xxiv	d	vi	27	JOANNIS APOST. ET EVANGELIST. *duplex.* 1. *Classis.*
xxiij	e	v	28	SS. INNOCENTIUM MART. *dupl. maj.*
xxii	f	iv	29	Thomę Episc. & mart. Canon.Lugd. *semid. maj. Com.* S. Trophimi Episc. & Confess. *in Missa.*
xxi	g	iii	30	De Octava.
* 19.xx	A	Prid.	31	Sylvestri Papę & Conf. *semid. mi. In majori Ecclesia* Columbę Virg. & mart. *semid. mi.*

DEPRE

DEPRECATIONES
ET BENEDICTIONES.

Dicendæ ante Lectiones in Officio novẽ. & iij. Lectionũ In j. Nocturno, & in Officio trium Lectionum.

DEPRECATIO.

℣. Exúrge Dñe ádjuva nos.
℟. Et libera nos propter nomen tuum.

SUſcipe deprecatiónem noſtram Dómine Jeſu Chriſte; qui cum Patre & Spíritu ſancto vivis & regnas Deus: per omnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Benedictiones j. Nocturni, & pro ij. & v. Feria in Officio trium Lectionum.

1. Adjútor & propítius ſit nobis omnípotens & miſéricors Dñs. ℟. Amen.
2. Benedictiónibus ſuis répleat nos omnípotens & miſéricors Dóminus.
3. Cœléſtem Benedictiónẽ tríbuat nobis omnípotens & miſéricors Dóminus.

In ſecundo Nocturno.

DEPRECATIO.

℣. Oſténde nobis Dómine miſericórdiam tuam.
℟. Et ſalutáre tuum da nobis.

Benedictiones ij. Nocturni & pro iij. & vj. Feria.

4. Deus Dei Fílius nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.
5. Ætérnam Benedictiónẽ tríbuat nobis omnípotẽs, & miſéricors Dóminus.
6. Grátia Spíritûs ſancti illúminet ſenſus & corda noſtra. ℟. Amen

In tertio Nocturno.

DEPRECATIO.

℣. Adjutórium noſtrũ in nómine Dñi. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

Benedictiones iij. Nocturni & pro iv. Feria & Sabbato.

7. Redémptor humáni géneris nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.
8. Unigénitus Dei Fílius, nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.
9. Ad ſupernórum cívium ſocietátem perdúcat nos omnípotens & miſéricors Dóminus. ℟. Amen.

In Officio trium Lectionum loco ultimæ Benedictionis prædictæ dicitur.

Trínitas Sancta nos benedícat & ab omni malo defendat. ℟. Amen.

SERMO SANCTI BERNARDI Abbatis.

Ser. 47. in Cantica.

Moneo vos, dilectissimi; purè semper, ac strenuè; divinis interesse laudibus. Strenuè quidem; ut sicut reverenter, ita & alacriter Domino assistatis. Non pigri. Non somnolenti. Non oscitantes. Non parcentes vocibus. Non præscindentes verba dimidia. Non integra transilientes. Non fractis & remissis vocibus, muliebre quoddam, balbâ de nare sonantes: sed virili (ut dignum est) & sonitu & affectu; voces sancti Spiritûs depromentes. Purè verò: ut nihil aliud dum psallitis, quàm quod psallitis, cogitetis. Spiritus enim sanctus illâ horâ gratum non recipit; quidquid aliud quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. Huc usque S. Bernardus.

Psalmodiam non multùm protrahamus: sed rotunda & viva voce cantemus. Metrum & finem versûs simul intonemus: & simul dimittamus. Punctum nullus teneat: sed citò dimittat. Post punctum, bonam pausam faciamus. Nullus ante alios incipere, & nimis currere præsumat: aut post alios nimiùm trahere vel punctum tenere. Simul cantemus: simul pausemus: semper in auscultando. Amen.

Ideò bene agite, & in aliquo nolite timere.

PSAL




M. Ogier fecit Lugd. 1692

ORDO PSALTERII ET OFFICII DE TEMPORE.

Secundùm Usum Sanctæ Lugdunensis Ecclesiæ, Primæ Galliarum Sedis.

PARS ÆSTIVA.

DOMINICA AD MATUTINUM.

Ante Matutinum, & omnes Horas dicitur secretò.

PATER noster, qui es in cælis: sanctificétur nomen tuum: advéniat regnum tuum: fiat volúntas tua, sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie: & dimítte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris: Et ne nos indúcas in tentatiónẽ: sed líbera nos à malo, Amen.

AVe María, grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui Jesus. Sancta María mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc & in horâ mortis nostræ. Amen.

℣. Sancti Spíritûs adsit nobis grátia. Amen.

Deinde clara voce dicitur ℣.

DOmine lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. ℣. Deus in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio & nunc & semper & in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia.

Sic dicitur Allelúia. *Ad omnes Horas per annum.*

Invitatorium sequens dicitur singulis Dominicis in quibus proprium non assignatur.

Invitatorium. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos. *Repetitur.* Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

Psalmus 94.

VEníte exultémus Dómino jubilémus Deo salutári nostro: præoccupémus fáciem ejus in confessióne: & in psalmis jubilémus ei. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipse cónspicit. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

Quóniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte adorémus, & procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster: nos autem pópulus ejus, & oves páscuæ ejus. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra sicut in exacerbatióne secúndùm diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt, & vidérunt ópera mea. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, & dixi; Semper hi errant corde: ipsi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in irâ meâ, si introíbunt in réquiem meã. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum, Amen. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos.

In Psalterio non dicitur ℣. Glória Patri, *nisi ubi notatur.*

IN I. NOCTURNO.

Absolutè sine Aña dicuntur duodecim Psalmi sequentes. *Psalmus* 1.

BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórũ: * &

& in via peccatórum non stetit: & in cáthedrâ pestiléntiæ non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus: * & in lege ejus meditábitur, die ac nocte.

Et erit tanquam lignum quod plantátum est, secus decúrsus aquárum: * quod fructum suum dabit, in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpij, non sic: * sed tanquam pulvis quem prójicit ventus, à fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpij in judício: * neque peccatóres, in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * & iter impiórum períbit.

Psalmus 2.

QUare fremuérunt Gētes: * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt Reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsùs Dóminum, & advérsùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis, jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in irâ suâ: * & in furóre suo, conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus: * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me, Fílius meus es tu: * ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi Gentes hæreditátem tuam: * & possessiónem tuam, términos terræ.

Reges eos in virgâ férreâ: * & tanquam vas fíguli, confringes eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam: * nequándo irascátur Dóminus, & pereátis de viâ justâ.

Cùm exárserit in brevi ira ejus: * beáti omnes qui confidunt in eo.

Psalmus 3.

DOmine quid multiplicáti sunt qui tribulant me: * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es: * glória mea,& exáltās caput meū.

Voce meâ ad Dóminum clamávi: * & exaudívit me, de monte sancto suo.

Ego dormívi & soporátus sum: * & exurréxi,quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge Dómine salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causâ: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * & super pópulum tuum, benedíctio tua.

Psalmus 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me: * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei Dómine, quóniam infirmus sum: * sana me Dómine, quóniam conturbáta sunt, ómnia ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè: * sed tu Dómine usquéquo?

Convértere Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno autem, quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo: * lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes, inimícos meos.

Discédite à me omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus, vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónē meam suscépit.

Erubéscant, & conturbéntur veheménter, omnes inimíci mei: * convertántur & erubéscant, valdè velóciter.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto.

Sicut

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper:* & in sæcula sæculórum, Amen.

Psalmus 7.

DOmine Deus meus in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam: * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus si feci istud: * si est iníquitas in mánibus meis.

Si réddidi retribuéntibus mihi mala: * décidam méritò ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat: * & concúlcet in terra vitam meam: * & glóriam meam, in púlverem dedúcat.

Exúrge Dómine in irâ tuâ: * & exaltáre in fínibus, inimicórum meórum.

Et exúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandásti: * & synagóga populórũ, circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me Dómine secúndùm justítiam meam:* & secúndùm innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, & díriges justum: * scrutans corda & renes Deus.

Justum adjutórium meum à Dómino: * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis & pátiens: * numquid iráscitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit, & parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis: * sagittas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam: * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum: * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus: * & in vérticem ipsius, iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndùm justítiam ejus:* & psallam nómini Dñi Altíssimi.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster: * quàm admi-

rábile est nómen tuum, in univérsâ terrâ !

Quóniam eleváta est, magnificéntia tua super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem, propter inimícos tuos : * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam & stellas quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus ? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum ;

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis : * glóriâ & honóre coronásti eum:* & constituísti eum, super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus : * oves & boves univérsas : * ínsuper & pécora campi.

Vólucres cœli & pisces maris : * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dñs noster : * quàm admirábile est nomẽ tuum, in univérsâ terrâ ?

Psalmus 9.

CONfitébor tibi Dñe in toto corde meo:* narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te : * psallam nómini tuo Altíssime.

In converténdo inimícum meum retrórsum : * infirmabúntur, & períbunt à fácie tuâ.

Quóniam fecísti judíciũ meum & causam meam : * sedes super thronum, qui júdicas justítiam.

Increpásti Gentes, & périit ímpius : * nomen eórum delésti in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem:* & civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sónitu : * & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum : * & ipse judicábit orbem terræ in æquitáte : * judicábit pópulos in justítiâ.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi : * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Sperent in te qui novérunt nomen tuum : * quóniam non dereliquisti quæréntes te Dómine.

Psallite Dómino, qui hábitat in Sion : * annuntiáte

tiáte inter Gentes ſtúdia ejus.

Quóniam requírens ſánguinem eórum recordátus eſt: * non eſt oblítus clamórem páuperum.

Miſerére mei Dómine: * vide humilitátem meam, de inimícis meis.

Qui exáltas me de portis mortis: * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas, in portis fíliæ Sion.

Exultábo in ſalutári tuo:* infixæ ſunt Gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo iſto, quem abſcondérunt: * comprehénſus eſt pes eórum.

Cognoſcétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum ſuárum, comprehénſus eſt peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum: * omnes Gentes quæ oblivíſcúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exúrge Dómine, non confortétur homo: * judicéntur Gentes in conſpéctu tuo.

Conſtítue Dómine legiſlatórem ſuper eos: * ſciant Gentes quóniam hómines ſunt.

Ut quid Dómine receſſíſti longè: * déſpicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum ſupérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in conſíliis, quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in deſidériis ánimæ ſuæ: * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor: * ſecúndùm multitúdinem iræ ſuæ non quæret.

Non eſt Deus in conſpéctu ejus: * inquinátæ ſunt viæ illíus, in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum ſuórum dominábitur.

Dixit enim in corde ſuo: * Non movébor à generatióne in generatiónem ſine malo.

Cujus maledictióne os plenum eſt, & amaritúdine, & dolo: * ſub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in inſídiis cum divítibus in occúltis: * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * insidiátur in abscóndito, quasi leo, in spelúncâ suâ.

Insidiátur ut rápiat páuperem: * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum: * inclinábit se & cadet, cùm dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo, Oblítus est Deus: * avértit faciem suam, ne vídeat in finem.

Exúrge Dómine Deus, & exaltétur manus tua: * ne oblivíscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo, Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas: * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper: * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & malígni: * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in sæculum sæculi: * períbitis Gentes de terrâ illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus: * præparatiónes cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo & húmili: * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

Psalmus 10.

IN Dómino confído: * quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum: * paravérunt sagíttas suas in pháretrâ: * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo: * Dóminus in cælo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus intérrogant, fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, & sulphur & Spíritus procellárum, pars calícis eórum.

Quóniam justus Dóminus.

suis, & justítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus. Glória Patri.

Psalmus 11.

SAlvum me fac Dómine, quóniam defécit sanctus: * quóniam diminútæ sunt veritátes, à filiis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximū suū: * lábia dolósa in corde, & corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa: * & linguam magníloquam.

Qui dixérunt, Linguam nostrā magnificábimus: * lábia nostra à nobis sunt: * Quis noster Dóminus est?

Propter misériam inopum, & gémitum páuperum: * nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári: * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dñi, elóquia casta: * argéntum igne examinátum: * probátū terræ, purgátum séptuplum.

Tu Dñe servábis nos: * & custódies nos à generatióne hac, in ætérnum.

In circúitu ímpij ámbulant: * secúndùm altitúdinem tuam multiplicásti, filios hóminum.

Psalmus 12.

USquequò Dñe oblivíscéris me in finē? * úsquequò avértis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam consília in ánimâ meâ: * dolórem in corde meo per diem?

Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, & exáudi me Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte: * nequándo dicat inimícus meus, Præválui advérsùs eum,

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero: * ego autem in misericórdiâ tuâ sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo: * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi: * & psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus 13.

DIxit insipiens in corde suo: * Non est Deus,

Corrúpti sunt, & abominábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cælo pro-

ſpéxit ſuper filios hóminũ:* ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt: * ſimul inútiles facti ſunt: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Sepúlchrum patens eſt guttur eórum: * linguis ſuis dolóſè agébant: * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum eſt: * velóces pedes eórum, ad effundéndum ſanguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum: * & viam pacis non cognovérunt: * non eſt timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóſcent omnes qui operántur iniquitátem: * qui dévorant plebem meam ſicut eſcam panis.

Dóminum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne juſtâ eſt: * consílium ínopis confudiſtis: * quóniam Dóminus ſpes ejus eſt.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſraël? * cùm avérterit Dñs captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſraël.

Pſalmus 14.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéſcet in monte ſancto tuo?

Qui ingréditur ſine mácula:* & operátur juſtítiam.

Qui lóquitur veritátem in corde ſuo: * qui non egit dolum in linguâ ſuâ.

Nec fecit próximo ſuo malum: * & oppróbrium non accépit, advérsùs próximos ſuos.

Ad níhilum dedúctus eſt in conſpéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo ſuo & non décipit: * qui pecúniã ſuam non dedit ad uſúram: * & múnera ſuper innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum.

Glória Patri. Allelúia.

Per Annum. ℣. Memor fui nocte nóminis tui Dómine. ℟. Et cuſtodívi legem tuam.

Poſt Verſum cujuſlibet Nocturni dicitur, ſecretò Pater noſter, *Vſque ad.* ℣. Et

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
Deprecatio, ℣.
EXúrge Dómine ádjuva nos. ℟. Et líber anos propter nomen tuum.
℣. Súscipe deprecatiónem nostrã Dñe Jesu Christe; qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.
℟. Domne jube benedícere. *Benedictio.* 1. Adjútor & propítius sit nobis omnípotens & misericors Dóminus. ℟. Amen.

Deinde leguntur Lectiones cum Responsoriis, ut in Proprio de Tempore assignantur.

Pro ij. Lectione. Bened. Benedictiónibus suis répleat nos omnípotens & misericors Dñs. ℟. Amen.

Pro iij. Lectione, Benedictio. Cœléstem benedictiónem tríbuat nobis omnípotens & misericors Dóminus. ℟. Amen.

IN II. NOCTURNO.

Antiphona. Consérva me.

Et non repetitur in Psalmo: quod semper sit quando Antiphona incipit à primo Versu Psalmi.

Psalmus 15.

COnsérva me Dómine, quóniam sperávi in te: * dixi Dómino, Deus meus es tu; * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terrâ ejus: * mirificávit omnes voluntátes meas, in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * pósteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sánguínibus: * nec memor ero nóminum eórum, per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei: * tu es qui restítues, hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hæréditas mea, præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: * ínsuper & usque ad noctem, increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea: * ínsuper & ca-

ro mea,, requiéſcet in ſpe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * neque dabis Sanctum tuum, vidére corruptiónem.

Notas mihi fecíſti vias vitæ: * adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua, uſque in finem.

Glória Patri.

Per Annum, Antiph. Conſérva me Dómine quóniam in te ſperávi.

Antiph. Inclína Dómine.

Pſalmus 16.

EXáudi Dómine juſtítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam : * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátem.

Probáſti cor meum, & viſitáſti nocte : * igne me examináſti : * & non eſt invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meũ ópera hóminum:* propter verba labiórum tuórum, ego cuſtodívi vias duras.

Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis : * ut non moveántur, veſtígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudíſti me Deus : * inclína aurem tuam mihi, & exáudi verba mea.

Mirífica miſericórdias tuas:* qui ſalvos facis ſperántes in te.

A reſiſténtibus déxteræ tuæ cuſtódi me : * ut pupíllam óculi,

Sub umbrâ alárum tuárum prótege me : * à fácie impiórum, qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, * ádipem ſuum concluſérunt: * os eórum locútum eſt ſupérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me : * óculos ſuos ſtatuérunt, declináre in terram.

Suſcepérunt me ſicut leo parátus ad prædam : * & ſicut cátulus leónis, hábitans in ábditis.

Exúrge Dñe, prævéni eum, & ſupplánta eum : * éripe ánimam meam ab ímpio : * frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine à paucis de terra dívide eos, in vitâ eórum : * de abſcónditis tuis adimplétus eſt, venter eórum.

Saturáti

Saturáti sunt filiis: * & dimisérunt reliquias suas, párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo:* satiábor cùm apparuérit glória tua. Glória Patri.

Antiphona. Inclína Dómine aurem tuam mihi, & exáudi verba mea.

Antiphona. Díligam te.

Psalmus 17.

Díligam te Dómine fortitúdo mea: * Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum: * & liberátor meus.

Deus meus, adjútor meus: * & sperábo in eum.

Protéctor meus, & cornu salútis meæ: * & suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum: * & ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * & torréntes iniquitátis, conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me:* præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum: * & ad Deum meum clamávi.

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam: * & clamor meus in conspéctu ejus, introívit in aures ejus.

Commóta est, & contrémuit terra: * fundaménta móntium conturbáta sunt, & commóta sunt: * quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus: * & ignis à fácie ejus exársit: * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit cælos & descéndit: * & calígo, sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, & volávit: * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum: * in circúitu ejus tabernáculum ejus: * tenebrósa aqua, in núbibus áeris.

Præ fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt: * grando & carbónes ignis.

Et intónuit de cælo Dóminus: * & Altíssimus dedit vocem suam: * grando & carbónes ignis.

Et misit sagittas suas, & dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum:* & reveláta sunt fundamén-

fundaménta orbis terrárū.

Ab increpatióne tuâ Dómine : * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

Misit de summo, & accépit me : * & assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, & ab his qui odérunt me : * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ : * & factus est Dóminus, protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem : * salvum me fecit quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndùm justítiam meam : * & secúndùm puritátem mánuum meárum, retríbuet mihi.

Quia custodívi vias Dómini : * nec ímpiè gessi, à Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo : * & justítias eius, non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo : * & observábo me, ab iniquitáte meâ.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndùm justítiam meam : * & secúndùm puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris : * & cum viro innocénte, ínnocens eris.

Et cum elécto eléctus eris : * & cum pervérso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies : * & óculos superbórum, humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine : * Deus meus illúmina, ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne : * & in Deo meo, transgrédiar murum.

Deus meus impollúta via ejus : * elóquia Dómini igne examináta : * protéctor est ómnium, sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum ? * aut quis Deus præter Deum nostrum ?

Deus, qui præcínxit me virtúte : * & pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tanquam cervórum : * & super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad

ad prælium: * & posuísti ut arcum æreum, bráchia mea.

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ: * & déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua corréxit me in finem: * & disciplína tua, ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me: * & non sunt infirmáta vestígia mea.

Pérsequar inimícos meos, & comprehéndam illos: * & non convértar, donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare: * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum: * & supplantásti insurgéntes in me, subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum: * & odiéntes me disperdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret ad Dóminũ: * nec exaudívit eos.

Et comminuam eos ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli: * constítues me in caput Géntium.

Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi: * in audítu auris, obedívit mihi.

Filij aliéni mentíti sunt mihi: * filij aliéni inveteráti sunt: * & claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus: * & exaltétur Deus, salútis meæ.

Deus qui das vindíctas mihi, & subdis pópulos sub me: * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me: * à viro iníquo erípies me.

Proptéreà confitébor tibi in natiónibus Dómine: * & nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes Regis ejus: * & fáciens misericórdiam Christo suo David: * & sémini ejus, usque in sæculum. Glória.

Per Annum, Aña. Díligam te Dñe virtus mea.

℣. Médiâ nocte surgébam. ℟. Ad confiténdũ tibi super judícia justítiæ tuæ, *secretò.* Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

Depressa

Deprecatio. ℣. Osténde nobis Dómine, misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Domne jube benedícere. *Bened.* Deus Dei Fílius nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Pro v. Lectione, Bened. Ætérnam benedictiónem tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Pro vj. Lectione, Bened. Grátia Spíritus sancti illúminet sensus & corda nostra. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

Per Annum, Antiph. Allelúia. *In Choro cantatur ad modulum Añæ* Dómine adjútor, *sub qua sola dicuntur tres Psalmi sequentes.*

Psalmus 18.

CÆli enárrant glóriam Dei: * & ópera mánuum ejus, annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum: * & nox nocti, índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ neque sermónes: * quorum non audiántur, voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * & in fines orbis terræ, verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tanquam sponsus procédens, de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * à summo cælo egréssio ejus.

Et occúrsus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat, à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus pérmanet in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum: * & dulcióra, super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiéndis illis, retribútio multa.

Delícta quis intélligit: ab occúltis meis munda me: * & ab aliénis, parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominati, tunc immacu-

látus

látus ero : * & emundábor, à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * & meditátio cordis mei, in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, & redémptor meus.

Glória Patri.

Psalmus 19.

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : * & de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui : * & holocaústum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndùm cor tuum : * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * & in nómine Dei nostri, magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dñs, Christum suum

Exáudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentátibus salus, déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei nostri, invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, & cecidérunt : * nos autem surréximus, & erécti sumus.

Dómine salvum fac Regem : * & exáudi nos in die, qua invocavérimus te. Glória Patri.

Psalm. 20.

DOmine in virtúte tua lætábitur Rex : * & super salutáre tuum, exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * & voluntáte labiórum ejus, non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus, corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te, & tribuísti ei : * longitúdinem diérum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam & magnum decórem, impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio, cum vultu tuo.

Quóniam Rex sperat in Dómino : * & in misericórdia Altíssimi, non commovébitur.

Inveniátur

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat, omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in irâ suâ conturbábit eos: * & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terrâ perdes: * & semen eórum, à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis, præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tuâ, * cantábimus & psallémus, virtútes tuas.

Glória Patri,

Per Annum, Aña. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Exaltáre Dñe in virtúte tua. ℟. Cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Secretò, Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas, ℟. Sed líbera nos à malo.

Deprecatio. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Domne jube benedícere. *Benedictio.* Redémptor humáni genéris nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Pro viij. Lectione, Bened. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere & adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Pro ix. Lectione, Bened. Ad supernórum cívium societátem, perdúcat nos omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Sequens Hymnus semper dicitur post ultimam Lectionem & Responsorium in omnibus Dominicis, & in omnibus Festis duplicibus; & ubi notatur.

Hymnus.

TE Deum laudámus: te Dóminum, confitémur.

Te ætérnum Patrem: omnis terra, venerátur.

Tibi omnes Angeli: tibi cæli, & univérsæ potestátes.

Tibi Chérubim & Séraphim: incessábili voce proclámant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus, Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli & terra: glóriâ, majestátis tuæ.

Te, gloriósus: Apostolórum chorus.

Te.

Te, Prophetárum: laudábilis númerus.

Te, Mártyrum candidátus: laudat exércitus.

Te, per orbem terrárum: ſancta confitétur Ecclésia.

Patrem, imménſæ majeſtátis.

Venerándum tuum verum: & únicum Fílium.

Sanctum quoque, parácletum Spirítum.

Tu Rex glóriæ Chriſte.

Tu Patris, ſempitérnus es Fílius,

Tu ad liberándum ſuſceptúrus hóminem: non horruíſti, Vírginis úterum.

Tu devícto mortis acúleo: aperuíſti credéntibus, regna cælórum.

Tu ad déxteram Dei ſedes: in glória Patris.

Judex créderis eſſe ventúrus.

Te ergo quæſumus fámulis tuis súbveni: quos pretióſo ſánguine redemíſti.

Ætérnâ fac cum ſanctis tuis: glóriâ munerári.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic, hæreditáti tuæ.

Et rege eos, & extólle illos, uſque in ætérnum.

Per síngulos dies, benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.

Dignáre Dñe die iſto: ſine peccáto, nos cuſtodíre.

Miſerére noſtri Dómine: miſerére noſtri.

Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos: quemádmodum ſperávimus in te.

Glória Patri, & Fílio & Spirítui ſancto, &c.

In te Dómine ſperávi, non confúndar in ætérnum.

AD LAUDES.

Verſus Sacerdotalis.

Exultábunt ſancti in glória.

℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis.

DEus in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine ad adjuvándum me feſtína. Glória Patri & Fílio, & Spirítui ſancto. Sicut erat in princípio & nunc & ſemper: & in ſæcula ſæculórum. Amen. Allelúia.

A tertia Dominica poſt Pentec. uſque ad Adv.

Antiph. Allelúia. *In Choro cantatur ſub modulo.*

Antiph. Et reſpiciéntes.

Pſalmus

Psalmus 92.

DOminus regnávit decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ: * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc* à sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina Dómine:* elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos:* à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo Dómine, in longitúdinem diérum.

Glória Patri.

Psalmus 99.

JUbiláte Dómino omnis terra: * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus in exultatióne: * scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne: * átria ejus in hymnis, confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus: * in ætérnum misericórdia ejus: * & usque in generatióne, & generatiónem véritas ejus.

Glória Patri.

Psalmus 62.

DEus Deus meus: * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea:* quàm multiplíciter tibi caro mea.

In terra desérta, ínvia,& inaquósa, sic in sancto appárui tibi: * ut vidérem virtútem tuam, & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea: * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea: * & lábiis exultatiónis, laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te: * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo: * adhæsit

hæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam :* introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii; partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo : * laudabúntur omnes qui jurant in eo:* quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Psalmus 66.

DEus misereátur nostri, & benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terrâ viam tuam : * in ómnibus Géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus: * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exultent Gentes : * quóniam júdicas pópulos in æquitáte : * & Gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus: * confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: * & métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri

Antiph. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Per Annum, Aña. Tres púeri.

Canticum trium puerorum. Danielis 3.

BEnedícite ómnia ópera Dómini Dómino: * laudáte & superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite Angeli Dómini Dómino : * benedícite cæli Dómino.

Benedícite aquæ, quæ super cælos sunt Dómino : * benedícite omnes virtútes Dómini Dño.


Benedícite sol & luna Dómino: * benedícite stellæ cæli Dómino.

Benedícite imber & ros Dómino: * benedícite omnis spíritus Dómino.

Benedícite ignis & æstus Dómino : * benedícite frigus, & æstus Dómino.

Benedícite rores & pruína Dómino : * benedícite gelu & frigus Dómino.

Benedícite glácies & nives Dómino : * benedícite noctes & dies Dómino.



Benedícite

Benedícite lux & ténebræ Dómino: * benedícite fúlgura & nubes Dómino: * benedícat terra Dómino.

Benedícite montes & colles Dómino: * benedícite univérsa germinántia terræ Dómino.

Benedícite fontes Dómino: * benedícite maría & flúmina Dómino.

Benedícite cete, & ómnia quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite omnes vólucres cæli Dómino

Benedícite omnes béstiæ & pecóra Dómino: * benedícite filii hóminum Dómino: * Benedícat Israël Dómino.

Benedícite sacerdótes Dómini Dómino: * benedícite servi Dómini Dómino.

Benedícite spíritus & ánimæ justórum Dómino: * benedícite sancti & húmiles corde Dómino.

Benedícite Anánia, Azária, Mísaël Dómino, laudáte & superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patri & Fílio cum sancto Spíritu: * laudémus & superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli: * & laudábilis, & glorióſus, & superexaltátus in sæcula.

Per Annum, Aña. Tres púeri jussu Regis in camínum missi sunt, non veréntes flammam ignis, dicébant: benedíctus Deus.

Per Annum, Aña. Allelúia. *Iuxta modulum Antiphonæ.* Data est mihi.

Psalmus 148.

LAudáte Dóminum de cælis: * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus: * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol & luna: * laudáte eum omnes stellæ & lumen.

Laudáte eum cæli cælórum: * & aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: * ipse mandávit, & creáta sunt.

Státuit ea in sæculum, & in sæculum sæculi: * præcéptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dñm de terra: * dracónes & omnes abyssi.

Ignis,

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum:* quæ fáciunt verbum ejus.

Montes & omnes colles: * ligna fructífera & omnes cedri.

Béstiæ & univérsa pécora: * serpéntes & vólucres pennátæ.

Reges terræ, & omnes pópuli: * príncipes & omnes júdices terræ.

Júvenes, & vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen ejus solius.

Conféssio ejus super cælum & terram: * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus: * filiis Israël pópulo appropinquánti sibi.

Psalmus 149.

CAntáte Dómino cánticum novum: * laus ejus in Ecclésia sanctórũ.

Lætétur Israël in eo, qui fecit eum: * & filiæ Sion exúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: * in tympano & psaltério psállant ei.

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo: * & exaltábit mansuétos, in salútem.

Exultábunt sancti in glória: * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum:* & gládii ancípites, in mánibus eórum.

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus: * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus: * & nóbiles eórum, in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judíciũ conscríptum: * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Psalmus 150.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmaménto, virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secúndùm multitúdinem, magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis, & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus: * laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri.

Antiphona.

Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Sequens Capitulum dicitur in Dominicis, à Tertia post Pentecosten usque ad Adventum.

Capitulum.

BEnedíctio, & cláritas, & sapiéntia, & gratiárum áctio, honor, virtus, & fortitúdo Deo nostro : in sæcula sæculórum, Amen.

℟. Deo grátias.

Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

Per Annum, ℣. Dóminus regnávit. ℟. Decórem índuit, allelúia, allelúia, allelúia.

Canticum Zachariæ.

Luc. 1,

BEnedíctus Dóminus Deus Israël: * quia visitávit, & fecit redemptiónem, plebis suæ.

Et eréxit cornu, salútis nobis: * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est, per os sanctórum: * qui à sæculo sunt, Prophetárum ejus.

Salútem ex inimícis nostris: * & de manu ómnium, qui odérunt nos.

Ad faciéndam misericórdiam, cum pátribus nostris : * & memorári, testaménti sui sancti.

Jusjurándum quod jurávit, ad Abraham patrem nostrum : * datúrum se nobis.

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti : * serviámus illi.

In sanctitáte, & justítia coram ipso : * ómnibus diebus nostris.

Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis:* præíbis enim ante fáciem Dómini, paráre vias ejus.

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus : * in remissiónem, peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos, óriens ex alto.

Illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis sedent : * ad dirigéndos pedes nostros, in viam pacis.

Glória Patri.

Deinde dicitur Aña, & Oratio propria.

DOMINICA

ad Primam.

Pater noster. Ave María. Sancti Spíritus.

℣. Deus in adjutórium. Allelúia.

Psalmus

Psalmus 53.

DEus in nómine tuo salvum me fac: * & in virtúte tua, júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam: * aúribus pércipe, verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsùm me: * & fortes quæsiérunt ánimam meam: * & non proposuérunt Deum, ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me: * & Dóminus suscéptor est, ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis: * & in veritáte tua, dispérde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi: * & confitébor nómini tuo Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: * & super inimícos meos, despéxit óculus meus.

Glória Patri, & Filio.

Sequens Psalmus. Confitémini Dómino. *dicitur tantũ in Dominicis, quando fit Officium de Dominica ut in Psalterio.*

Psalmus 117.

COnfitémini Dómino, quóniã bonus: * quóniam in sæculum, misericórdia ejus.

Dicat nunc Israël, quóniam bonus: * quóniam in sæculum, misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: * quóniam in sæculum, misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum: * quóniam in sæculum, misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum: * & exaudívit me, in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor: * non timébo, quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor: * & ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confidere in Dómino: * quàm confidere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino: * quàm speráre in princípibus.

Omnes Gentes, circumdedérunt me: * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me: * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me si-

cut apes : * & exarsérunt ſicut ignis in ſpinis : * & in nómine Dómini, quia ultus ſum in eos.

Impúlſus, evérſus ſum ut cáderem : * & Dómin:s ſuſcépit me.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus : * & factus eſt mihi in ſalútem.

Vox exultatiónis & ſalútis : * in tabernáculis juſtórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem : * déxtera Dñi exaltávit me : * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar ſed vivam: * & narrábo ópera Dñi.

Caſtigans caſtigávit me Dóminus : * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas juſtítiæ, ingréſſus in eas confitébor Dómino : * hæc porta Dómini, juſti intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me: * & factus es mihi in ſalútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes : * hic factus eſt in caput ánguli.

A Dómino factum eſt iſtud: * & eſt mirábile in óculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus : * exultémus, & lætémur in ea.

O Dómine ſalvum me fac: * ó Dómine benè proſperáre : * benedíctus qui venit, in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini : * Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Conſtitúite diem ſolémnem, in condénſis : * uſque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi : * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me: * & factus es mihi in ſalútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus : * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Glória Patri.

Pſalmus 118.

BEáti immaculáti in via: * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui ſcrutántur teſtimónia ejus : * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem : * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandáſti, mandáta tua cuſtodíri nimis.

Utinam dirigántur, viæ meæ : * ad cuſtodiéndas

das justificatiónes tuas.

Tunc non confúndar: * cùm perspéxero, in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis: * in eo quod dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam: * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam:* in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te: * ne repéllas me, à mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua: * ut non peccem tibi.

Benedíctus es Dómine: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis pronuntiávi, ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum: * sicut in ómnibus divítiis,

In mandátis tuis exercébor: * & considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor: * non oblivíscar sermónes tuos.

Glória Patri.

Retríbue servo tuo: * vivífica me, & custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos: * & considerábo, mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra: * non abscóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas: * in omni témpore.

Increpásti supérbos: * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum: * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, & advérsùm me loquebántur: * servus autem tuus exercebátur, in justificatiónibus tuis.

Nam & testimónia tua meditátio mea est: * & consílium meum, justificatiónes tuæ.

Adhæsit paviménto ánima mea: * vivífica me secúndùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudísti me: * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónũ tuárum ínstrue me: * & exercébor, in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio: * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me : * & de lege tua, miserére mei.

Viam veritátis elégi : * judícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis Dómine : * noli me confúndere,

Viam mandatórum tuórum cúcurri : * cùm dilatásti cor meum.

Glória Patri.

Sequens Symbolum dicitur in Dominicis tantum, quando fit Officium de Dominica ut in Psalt, & in festo SS. Trinitatis.

Symbolum S. Athanasij.

QUicúmque vult salvus esse, ante ómnia opus est ut téneat Cathólicam fidem : * quam nisi quísque íntegram, inviolatámque serváverit : * absque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem Cathólica hæc est : * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in unitáte venerémur : * neque confundéntes persónas : * neque substántiam separántes.

Alia est enim persóna Patris : * ália Filij : * ália Spíritûs sancti : * sed Patris, & Filij, & Spíritûs sancti, una est divínitas : * æquális glória, coætérna majéstas.

Qualis Pater : * talis Fílius : * talis Spíritus sanctus.

Increátus Pater : * increátus Fílius : * increátus Spíritus sanctus.

Imménsus Pater : * imménsus Fílius : * imménsus Spíritus sanctus.

Ætérnus Pater : * ætérnus Fílius : * ætérnus Spíritus sanctus : * & tamen non tres ætérni sed unus ætérnus : * sicut non tres increáti nec tres imménsi : * sed unus increátus & unus imménsus.

Simíliter omnípotens Pater : * omnípotens Fílius : * omnípotens Spíritus sanctus : * & tamen non tres omnipoténtes, sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater : * Deus Fílius ; * Deus Spíritus sanctus : * & tamen non tres Dij, sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater : * Dóminus Fílius : * Dóminus Spíritus sanctus : * & tamen non tres Dómini, sed unus est Dóminus.

Quia

Quía sicut sigillátim unamquámque persónam Deum aut Dóminum confitéri Christiâna veritáte compéllimur : * ità tres Deos aut Dóminos dícere, Cathólicâ religióne prohibémur.

Pater, à nullo est factus : * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre solo est : * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus à Patre & Fílio : * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres : * unus Fílius, non tres Filij : * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius nihil majus aut minus : * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt, & coæquáles : * ita ut per ómnia sicut jam suprà dictum est, & únitas in Trinitáte, & Trínitas in unitáte veneránda sit.

Qui vult ergo salvus esse:* ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem : * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi, fidéliter credat.

Est ergo fides recta : * ut credámus & confiteámur, quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius : * Deus, & homo est.

Deus est, ex substántia Patris ante sæcula génitus : * homo est, ex substántia Matris, in sæculo natus.

Perféctus Deus : * perféctus homo, ex ánima rationáli, & humánâ carne subsístens.

Æquális Patri, secúndùm Divinitátem : * minor Patre, secúndùm humanitátem.

Qui licèt Deus sit & homo : * non duo tamen sed unus est Christus.

Unus autem, non conversióne Divinitátis in carnem : * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omnínò non confusióne substántiæ : * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális & caro unus est homo : * ita Deus & homo, unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostra, descéndit ad infe-

ros : * tértiâ die resurréxit à mórtuis : * ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: * indè ventúrus est judicáre vivos & mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis: * & redditúri sunt, de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt ibūt in vitam ætérnam : * qui verò mala in ignem ætérnum.

Hæc est fides Cathólica: * quam nisi quisque fidéliter, firmitérque credíderit : * salvus esse non póterit.

Glória Patri. Allelúia.

Deinde dicuntur sequentes Preces.

℣. Exúrge Dómine ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Kyrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson Christe eléïson. Kyrie eléïson. *secretò.* Pater noster. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Vivet ánima mea & laudábit te, & judícia tua adjuvábunt me.

℟. Errávi sicut ovis quæ périit: quære servum tuum Dómine, quia mandáta tua non sum oblítus. *secretò.* Credo in Deum, Patrem omnipoténtem, creatórem cæli & terræ. Et in Jesum Christum, Filium ejus únicum, Dóminum nostrum : qui concéptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, & sepúltus: descéndit ad ínferos: tértiâ die resurréxit à mórtuis : ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: indè ventúrus est judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum. *Alta voce.* ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam, Amen. ℣. Réspice Dómine in servos tuos, & in ópera tua, & dírige filios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos : & ópera mánuum nostrárum dírige super nos : & opus mánnum nostrárum dírige.

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

DIrígere, & sanctificáre dignéris Dómine Jesu Christe Fili Dei vivi hódiè corda & córpora nostra; ut in exequéndis mandátis tuis, & voluntáte tibi & actióne placeámus salvátor mundi; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus: Per ómnia sæcula sæculórum; ℟. Amen.

℣. Dignáre Dómine die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Dñe exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

AUge in nobis quæsumus Dómine fidem tuam: & Spíritûs sancti lucem, in nobis semper accénde. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit & regnat Deus in unitáte ejúsdem Spíritûs sancti: Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Prædicta Oratio dicitur etiam in festo SS. Trinitatis. In aliis verò festis & feriis dicitur ejus loco.

Orémus. *Oratio.*

VEritas tua, quæsumus Dómine, lúceat semper in córdibus nostris: & omnis fálsitas inimíci destruátur. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino;
℟. Deo grátias;

Deinde in Choro legitur Martyrologium.

Posteà Hebdomadarius dicit. ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors sanctórum ejus.

Et absolutè sine. *Oratio.*

SAncta María, & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Deum: ut mereámur vitam ætérnam possidére. ℟. Amen.

Chorus. ℣. Adjuva nos Deus salutáris noster, & propter glóriam nóminis tui Dómine libera nos, & propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum, ne fortè dicant in Géntibus, Ubi est Deus eórum? Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum, Amen.

Hebdomadarius.

Kyrie eléïson. Kyrie eléi-

son. Christe eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. *secretò.* Pater noster. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórũ Dómine delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus: Genitrícis Fílij tui Dómini Dei nostri, & ómninm Sanctórum tuórum intercessióne salvémur. Per eúmdem Dóminum.

Deinde dicitur secretò.
℣. Fidéliũ ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Et sic dicitur singulis diebus Dominicis & festis novem Lectionum, & per Octavam Corporis Christi.

IN FERIALI OFFICIO AD PRIMAM.

Pater noster. Ave María. Sancti Spíritus. ℣. Deus in adjutórium. *ut suprà.* Allelúia.

Psalmus. Deus in nómine tuo. *ut suprà.* 25.

Deinde dicitur unus ex infra scriptis Psalmis, secundum Ferias distinctis. Sabbato autem dicuntur tantum tres Psalmi sicut in Festis.

FERIA SECUNDA.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini: * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam suam: * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit

introïbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introïbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri.

FERIA TERTIA.

Psalmus 24.

AD te Dómine levávi ánimam meam: * Deus meus in te confido, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iniqua agéntes, supervácuè.

Vias tuas Dómine demónstra mihi: * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tuâ, & doce me: * quia tu es Deus salvátor meus: * & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine: * & misericordiárum tuárum, quæ à sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ: * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm misericórdiam tuam meménto mei tu: * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dñs: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício: * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini misericódia & véritas: * requiréntibus testaméntum ejus, & testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo: * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum: * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur: * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum: * & testaméntum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum: * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me & mise-

rére mei: * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei, multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis, érue me.

Vide humilitátem meam & labórem meum: * & dimitte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniā multiplicáti sunt: * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubéscā quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi: * quia sustínui te.

Líbera Deus Israël: * ex ómnibus tribulatiónibus suis. Glória Patri.

FERIA QUARTA.

Psalmus 25.

JUdica me Dómine, quóniam ego in Innocéntia mea ingréssus sum: * & in Dómino sperans non infirmábor.

Proba me Dómine, & tenta me: * ure renes meos & cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est: * & complácui in ve-

Non sedi cum concílio vanitátis: * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium: * & cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas: * & circúmdabo altáre tuum Dómine.

Ut áudiam vocem laudis: * & enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine diléxi decórem domus tuæ: * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam: * & cum viris sánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórū repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum: * rédime me & miserére mei.

Pes meus stetit in dirécto: * in ecclésiis benedícam te Dómine.

Glória Patri.

FERIA QUINTA.

Psalmus 22.

DOminus regit me & nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ : * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis : * non timébo mala quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam : * advérsus eos qui tribulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me : * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini : * in longitúdinem diérum.

Glória Patri.

FERIA SEXTA,

Psalmus 21.

DEus Deus meus réspice in me, quare me dereliquísti? * longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem & non exáudies : * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas : * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt & liberásti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt : * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo : * oppróbrium hóminum & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me : * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dño, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxísti me de ventre : * spes mea ab ubéribus matris meæ : * in te projéctus sum ex útero.

De ventre matris meæ, Deus meus es tu : * ne discésseris à me.

Quóniam tribulátio próxima est : * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vituli multi : * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum : * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum * & dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquéscens: * in médio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea: * & lingua mea adhæsit fáucibus meis: * & in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt & inspexérunt me: * divisérũt sibi vestiménta mea: * & super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem Dómine ne elongáveris auxílium tuũ: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámeâ Deus ánimam meam: * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis: * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum laudáte eum: * univérsum semen Jacob glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis.

Nec avértit fáciem suam à me: * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésiâ magnâ: * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent paúperes & saturabúntur: * & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Reminiscéntur & converténtur ad Dóminum, univérsi fines terræ:

Et adorábunt in conspéctu ejus: * univérsæ famíliæ Géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * & ipse dominábitur Géntium.

Manducavérunt, & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspéctu ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * & semen meum sérviet ipsi.

Annun-

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra:* & annuntiábunt cæli justítiam ejus:* pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Glória Patri.

Sabbato nihil additur, ut suprà in Rubrica. 32.

Deinde dicuntur Psalmi. Beáti immaculáti. *&* Retríbue servo tuo. *ut suprà. 27.*

Allelúia. ℣. Exúrge Dñe ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. Kyrie eléisō. Kyrie eléisō. Christe eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. *secretò.* Pater noster. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Vivet ánima mea & laudábit te, & judícia tua adjuvábunt me. ℟. Errávi sicut ovis quæ périit: quære servum tuum Dómine; quia mandáta tua non sum oblítus; *secretò.* Credo in Deum. *usque ad* ℣. Carnis resurrectiónem.

℟. Vitam ætérnam, Amen.

Quando ad Matutinam non sunt dicta magna Preces feriales statim dicitur. ℣. Réspice Dómine. *ut infrà.*

Quando autem ad Matutinum dicta sunt magna Preces Feriales, inferiùs posita post Laudes Feriæ secundæ; tunc statim ad ℣. Exurge Dómine, *flectuntur genua & post* ℣. Carnis resurrectiónē, *sequentes Preces dicuntur.*

℣. Júdica Dómine nocéntes me. ℟. Expúgna impugnántes me. ℣. Apprehénde arma & scutum. ℟. Et exúrge in adjutórium mihi. ℣. Effúnde frámeam, & conclúde advérsùs eos qui persequúntur me. ℟. Dic ánimæ meæ Salus tua ego sum. ℣. Pérfice gressus meos in sémitis tuis. ℟. Ut non moveántur vestígia mea. ℣. Ego clamávi; quóniam exaudísti me Deus. ℟. Inclína aurem tuam mihi, & exáudi verba mea. ℣. Mirífica misericórdias tuas. ℟. Qui salvos facis sperātes in te. ℣. A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me. ℟. Ut pupíllam óculi. ℣. Sub umbra alárum tuárum prótege me. ℟. A fácie impiórum qui me afflixérunt. ℣. Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam. ℟. Quia in te sperávi.

rávi. ℣. Notam fac mihi viam, in qua ámbulem. ℟. Quia ad te levávi ánimam meam. ℣. Eripe me de inimícis meis Dómine ad te confúgi. ℟. Doce me fácere voluntátem tuam quia Deus meus es tu. ℣. Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam. ℟. Propter nomen tuum Dómine vivificábis me in æquitáte tua. ℣. Edúces de tribulatióne ánimam meam. ℟. Et in misericórdia tua dispérdes omnes inimícos meos. ℣. Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam. ℟. Quóniam ego servus tuus sum.

Sequens Oratio dicitur ab Hebd. alta voce.

Orémus. *Oratio.*

DEus refúgium páuperum, spes humílium, salúsque miserórum; deprecatiónem nostram quæsumus benígnus exáudi, & pro ómnibus qui se nobis in oratiónibus commendavérunt ✠ précibus nostris autem tuæ pietátis inclína; Et si qui ex his jam obiérunt, ab omni vínculo delictórum ánimas eórum cleménter absólve; Si qui autem adhuc in hac frágili & incértâ vitâ consístunt ✠ ita eis benedictiónem tuam misericórditer largíri dignéris; ut & solátia vitæ mortális accípiant, & sempitérna gáudia comprehéndant ✠ ut semper hic & ubíque poténtia bonitátis tuæ ab ómnibus sint tuti advérsis; ℟. Amen.

℣. Réspice Dómine in servos tuos, & in ópera tua, & dírige filios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos ✠ & ópera mánuum nostrárum dírige super nos ✠ & opus mánuum nostrárum dírige.

Orémus. *Oratio.*

DIrígere & sanctificáre dignéris Dómine Jesu Christe Fili Dei vivi hódie corda & córpora nostra; ut in exequéndis mandátis tuis, & voluntáte tibi & actióne placeámus Salvátor mundi; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus ✠ Per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Dignáre Dómine die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre;

custodíre. ℣. Dñe exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus. *Oratio.*

VEritas tua, quæsumus Dómine, lúceat semper in córdibus nostris: & omnis fálsitas inimíci destruátur. Per Dóminum nostrum.
℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium.

Postea Hebdomadarius dicit ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus. *Et absolutè sine* Orémus.

Oratio.

SAncta María, & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Deum: ut mereámur vitam ætérnam possidére. ℟. Amen. *Chorus.* ℣. Adjuva nos Deus salutáris noster, & propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos. Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum, ne fortè dicant in Géntibus; Ubi est Deus eórum? Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórũ, Amen. *Hebd.* Kyrie eléison. Kyrie eléison. Christe eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. *secretò.* Pater noster. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórũ Dómine delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus: Genitrícis Filij tui Dómini nostri, & ómnium Sanctórum tuórum intercessióne salvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In fine Primæ quotiescumque non fit de Festo Duplici, vel novem Lectionum dicitur pro Defunctis.
℣. Réquiem ætérnam dona

na eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

Psalmus. De profúndis. *ut infrà.*

In fine non dicitur. Glória Patri. *sed ejus loco* ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, cui numquam sine spe misericórdiæ supplicátur: propitiáre animábus famulórum tuórum; ut qui de hac vitâ in tui nóminis confessióne decessérunt: Sanctórum tuórum número fácias aggregári. Per Dóminum nostrum.

Et dicitur secretò. ℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

In Feriis autem in quibus dictæ sunt magnæ Preces prædictus Psalmus. De profúndis. *dicitur flexis genibus, quod in fine aliarum Horarum servetur.*

In Festis per Annum.

Post Psalmum, Deus in nómine tuo. *dicitur tantum Psalmus.* Beáti immaculáti. *&* Retríbue. *ut suprà. 27. Deinde* Allel. *Reliqua ut suprà in Dominica.*

In Festis trium Lectionum post Orationem, Famulórum. *dicitur semper pro Defunctis,* ℣. Réquiem ætérnam. *ut suprà.*

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave Maria. Sancti Spiritús. Deus in adjutórium. Allelúia.

Psalmus 118.

LEgem pone mihi Dómine viam justificatiónum tuárum: * & exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, & scrutábor legem tuam: * & custódiam illam, in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum: * quia ipsam vólui.

Inclina cor meum in testimónia tua: * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem: * in via tua, vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum: * in timóre tuo.

Amputa

Amputa oppróbrium meum, quod ſuſpicátus ſum : * quia judícia tua jocúnda.

Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat ſuper me miſericórdia tua Dómine : * ſalutáre tuum, ſecúndùm elóquium tuum.

Et reſpondébo exprobrántibus mihi verbum : * quia ſperávi, in ſermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque : * quia in judíciis tuis ſuperſperávi.

Et cuſtódiam legem tuam ſemper : * in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Et ambulábam in latitúdine : * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar in teſtimóniis tuis in conſpéctu Regum : * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi: * & exercébor, in juſtificatiónibus tuis.

Glória Patri.

MEmor eſto verbi tuī ſervo tuo : * in quo mihi ſpem dediſti.

Hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea : * quia elóquium tuum, vivificávit me.

Supérbi iníquè agébant uſquequáque : * à lege autem tuâ, non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à ſæculo Dómine: * & conſolátus ſum.

Defectio ténuit me : * pro peccatóribus, derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant juſtificatiónes tuæ: * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui Dómine: * & cuſtodívi legem tuam.

Hæc facta eſt mihi : * quia juſtificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea Dómine : * dixi, cuſtodíre legem tuam.

Deprecátus ſum fáciem tuam in toto corde meo * miſerére mei, ſecúndùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas : * & convérti pedes meos, in teſtimónia tua.

Parátus ſum, & non ſum turbátus : * ut cuſtódiam mandáta tua.

Funas.

son. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. *secretò.* Pater noster. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórũ Dómine delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus: Genitrícis Fílij tui Dómini Dei nostri, & ómnium Sanctórum tuórum intercessióne salvémur. Per eúmdem Dóminum.

Deinde dicitur secretò. ℣. Fidéliũ ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Et sic dicitur singulis diebus Dominicis & festis novem Lectionum, & per Octavam Corporis Christi.

IN FERIALI OFFICIO AD PRIMAM.

Pater noster. Ave María. Sancti Spíritus. ℣. Deus in adjutórium. *ut suprà.* Allelúia.

Psalmus. Deus in nómine tuo. *ut suprà.* 25.

Deinde dicitur unus ex infra scriptis Psalmis, secundum Ferias distinctus. Sabbato autem dicuntur tantum tres Psalmi sicut in Festis.

FERIA SECUNDA.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini: * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam suam: * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit

introibit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes veſtras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ.

Glória Patri.

FERIA TERTIA.

Pſalmus 24.

AD te Dómine levávi ánimam meam: * Deus meus in te confido, non erubéſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérſi, qui ſúſtinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes, ſupervácuè.

Vias tuas Dómine demónſtra mihi: * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tuâ, & doce me: * quia tu es Deus ſalvátor meus: * & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miſeratiónum tuárum Dómine: * & miſericordiárum tuárum, quæ à ſæculo ſunt.

Delícta juventútis meæ: * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm miſericórdiam tuam meménto mei tu: * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dñs: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in judício: * docébit mites vias ſuas.

Univérſæ viæ Dómini miſericódia & véritas: * requiréntibus teſtaméntum ejus, & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo: * multum eſt enim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum: * legem ſtátuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur: * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum: * & teſtaméntum ipsíus, ut manifeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminum: * quóniam ipſe evéllet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me & miſe-

rére mei: * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei, multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis, érue me.

Vide humilitátem meam & labórem meum: * & dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniã multiplicáti sunt: * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubéscã quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi:* quia sustínui te.

Líbera Deus Israël: * ex ómnibus tribulatiónibus suis. Glória Patri.

FERIA QUARTA.

Psalmus 25.

JUdica me Dómine, quóniam ego in Innocéntia mea ingréssus sum: * & in Dómino sperans non infirmábor.

Proba me Dómine, & tenta me:* ure renes meos & cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est: * & complácui in veritáte tuâ.

Non sedi cum concílio vanitátis: * & cum iníqua geréntibus non introibo.

Odívi ecclésiam malignántium: * & cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas: * & circúmdabo altáre tuum Dómine.

Ut áudiam vocem laudis: * & enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine diléxi decórem domus tuæ: * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam: * & cum viris sánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes sunt:* déxtera eórũ repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum: * rédime me & miserére mei.

Pes meus stetit in diré cto: * in ecclésiis benedícam te Dómine.

Glória Patri.

FERIA QUINTA.

Psalmus 22.

DOminus regit me & nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super-

Super aquam refectiónis éducávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ : * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis : * non timébo mala quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam : * advérsus eos qui tribulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus est !

Et misericórdia tua subsequétur me : * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini: * in longitúdinem diérum.

Glória Patri.

FERIA SEXTA,

Psalmus 21.

DEus Deus meus réspice in me, quare me dereliquísti ? * longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem & non exáudies : * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas : * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt & liberásti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt : * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo : * oppróbrium hóminum & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me : * locúti sunt lábiis,& movérunt caput.

Sperávit in Dño, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxísti me de ventre : * spes mea ab ubéribus matris meæ : * in te projéctus sum ex útero.

De ventre matris meæ, Deus meus es tu : * ne discésseris à me.

Quóniam tribulátio próxima est : * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vituli multi : * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum : * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum * & dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquéscens: * in médio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea : * & lingua mea adhæsit fáucibus meis: * & in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt & inspexérunt me : * divisérũt sibi vestiménta mea: * & super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem Dómine ne elongáveris auxílium tuũ: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámeâ Deus ánimam meam : * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis: * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum laudáte eum : * univérsum semen Jacob glorificáte eum.

Timeat eum omne semen Isräel: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis.

Nec avértit fáciem suam à me : * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésiâ magnâ : * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent paúperes & saturabúntur: * & laudábunt Dóminum qui requírunt eum : * vivent corda eórum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Reminiscéntur & converténtur ad Dóminum, univérsi fines terræ:

Et adorábunt in conspéctu ejus : * univérsæ famíliæ Géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * & ipse dominábitur Géntium.

Manducavérunt, & adoravérunt omnes pingues terræ : * in conspéctu ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * & semen meum sérviet ipsi.

Annun-

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra:* & annuntiábunt cæli justítiam ejus:* pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Glória Patri.

Sabbato nihil additur, ut suprà in Rubrica. 32.

Deinde dicuntur Psalmi. Beáti immaculáti. *&* Retríbue servo tuo. *ut suprà. 27.*

Allelúia. ℣. Exúrge Dñe ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Kyrie eléisō. Kyrie eléisō. Christe eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. *secretò.* Pater noster. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Vivet ánima mea & laudábit te, & judícia tua adjuvábunt me. ℟. Errávi sicut ovis quæ périit: quære servum tuum Dómine; quia mandáta tua non sum oblítus; *secretò.* Credo in Deum. *usque ad* ℣. Carnis resurrectiónem.

℟. Vitam ætérnam, Amen.

Quando ad Matutinam non sunt dictæ magnæ Preces feriales statim dicitur. ℣. Réspice Dómine. *ut infrà.*

Quando autem ad Matutinum dictæ sunt magnæ Preces Feriales, inferiùs positæ post Laudes Feriæ secundæ; tunc statim ad ℣. Exurge Dómine, *flectuntur genua & post* ℣. Carnis resurrectiónē, *sequentes Preces dicuntur.*

℣. Júdica Dómine nocéntes me. ℟. Expúgna impugnántes me. ℣. Apprehénde arma & scutum. ℟. Et exúrge in adjutórium mihi. ℣. Effúnde frámeam, & conclúde advérsùs eos qui persequúntur me. ℟. Dic ánimæ meæ Salus tua ego sum. ℣. Pérfice gressus meos in sémitis tuis. ℟. Ut non moveántur vestígia mea. ℣. Ego clamávi; quóniam exaudísti me Deus. ℟. Inclína aurem tuam mihi, & exáudi verba mea. ℣. Mirífica misericórdias tuas. ℟. Qui salvos facis sperātes in te. ℣. A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me. ℟. Ut pupíllam óculi. ℣. Sub umbra alárum tuárum prótege me. ℟. A fácie impiórum qui me afflixérunt. ℣. Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam. ℟. Quia in te sperávi.

rávi. ℣. Notam fac mihi viam, in qua ámbulem. ℟. Quia ad te levávi ánimam meam. ℣. Eripe me de inimícis meis Dómine ad te confúgi. ℟. Doce me fácere voluntátem tuam quia Deus meus es tu. ℣. Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam. ℟. Propter nomen tuum Dómine vivificábis me in æquitáte tua. ℣. Edúces de tribulatióne ánimam meam. ℟. Et in misericórdia tua dispérdes omnes inimícos meos. ℣. Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam. ℟. Quóniam ego servus tuus sum.

Sequens Oratio dicitur ab Hebd. alta voce.

Orémus. *Oratio.*

DEus refúgium páuperum, spes humílium, salúsque miserórum; deprecatiónem nostram quæsumus benígnus exáudi, & pro ómnibus qui se nobis in oratiónibus commendavérunt ✝ précibus nostris autem tuæ pietátis inclína; Et si qui ex his jam obiérunt, ab omni vínculo delictórum ánimas eórum cleménter absólve; Si qui autem adhuc in hac frágili & incértâ vitâ consístunt ✝ ita eis benedictiónem tuam misericórditer largíri dignéris; ut & solátia vitæ mortális accípiant, & sempitérna gáudia comprehéndant ✝ ut semper hic & ubíque poténtia bonitátis tuæ ab ómnibus sint tuti advérsis; ℟. Amen.

℣. Réspice Dómine in servos tuos, & in ópera tua, & dírige filios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos ✝ & ópera mánuum nostrárum dírige super nos: & opus mánuum nostrárum dírige.

Orémus. *Oratio.*

DIrígere & sanctificáre dignéris Dómine Jesu Christe Fili Dei vivi hódiè corda & córpora nostra; ut in exequéndis mandátis tuis, & voluntáte tibi & actióne placeámus Salvátor mundi; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus ✝ Per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Dignáre Dómine die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre;

custodíre. ℣. Dñe exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus. *Oratio.*

VEritas tua, quǽsumus Dómine, lúceat semper in córdibus nostris: & omnis fálsitas inimíci destruátur. Per Dóminum nostrum.
℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium.

Posteà Hebdomadarius dicit ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus. *Et absolutè sine* Orémus.

Oratio

SAncta María, & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Deum: ut mereámur vitam ætérnam possidére. ℟. Amen. *Chorus.* ℣. Adjuva nos Deus salutáris noster, & propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos. Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum, ne fortè dicant in Géntibus; Ubi est Deus eórum? Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sǽcula sæculórũ. Amen. *Hebd.* Kyrie eléison. Kyrie eléison. Christe eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. *secretò.* Pater noster. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórũ Dómine delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus: Genitrícis Filij tui Dómini nostri, & ómnium Sanctórum tuórum intercessióne salvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In fine Primæ quotiescumque non fit de Festo Duplici, vel novem Lectionum dicitur pro Defunctis.
℣. Réquiem ætérnam dona

na eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

Psalmus. De profúndis. *ut infrà.*

In fine non dicitur. Glória Patri. *sed ejus loco* ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, cui numquam sine spe misericórdiæ supplicátur: propitiáre animábus famulórum tuórum; ut qui de hac vitâ in tui nóminis confessióne decessérunt: Sanctórum tuórum número fácias aggregári. Per Dóminum nostrum.

Et *dicitur secretò.* ℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

In Feriis autem in quibus dictæ sunt magnæ Preces prædictus Psalmus. De profúndis. *dicitur flexis genibus, quod in fine aliarum Horarum servetur.*

In Festis per Annum.

Post Psalmum, Deus in nómine tuo. *dicitur tantum Psalmus.* Beáti immaculáti. & Retríbue. *ut suprà.* 27. *Deinde* Allel. *Reliqua ut suprà in Dominica.*

In Festis trium Lectionum post Orationem, Famulórum. *dicitur semper pro Defunctis,* ℣. Réquiem ætérnam. *ut suprà.*

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave Maria. Sancti Spíritus. Deus in adjutórium. Allelúia.

Psalmus 118.

LEgem pone mihi Dómine viam justificatiónum tuárum: * & exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, & scrutábor legem tuam: * & custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum: * quia ipsam vólui.

Inclina cor meum in testimónia tua: * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum: * in timóre tuo.

Amputa

Amputa oppróbrium meum, quod suspicátus sum: * quia judícia tua jocúnda.

Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua Dómine: * salutáre tuum, secúndùm elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum: * quia sperávi, in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque: * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper: * in sæculum, & in sæculum sæculi.

Et ambulábam in latitúdine: * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar in testimóniis tuis in conspéctu Regum: * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi: * & exercébor, in justificatiónibus tuis.

Glória Patri.

Memor esto verbi tui servo tuo: * in quo mihi spem dedísti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea: * quia elóquium tuum, vivificávit me.

Supérbi iníquè agébant usquequáque: * à lege autem tuâ, non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à sæculo Dómine: * & consolátus sum.

Deféctio ténuit me: * pro peccatóribus, derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ: * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui Dómine: * & custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi: * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea Dómine: * dixi, custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo * miserére mei secúndùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas: * & convérti pedes meos, in testimónia tua.

Parátus sum, & non sum turbátus: * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi sunt me. * & legem tuam, non sum oblitus.

Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi: * super judícia, justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te: * & custodiéntium mandáta tua.

Misericórdiâ tua Dñe plena est terra: * justificatiónes tuas, doce me.

Glória Patri.

BOnitátem fecísti cum servo tuo Dómine: * secúndùm verbum tuum.

Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me. * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquam humiliárer ego delíqui: * proptéreà, elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu: * & in bonitáte tua, doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum * ego autem in toto corde, scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum: * ego verò legem tuam, meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me: * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui: * super míllia auri, & argénti.

Manus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me: * da mihi intelléctum, ut discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur: * quia in verbum tuum, supersperávi.

Cognóvi Dómine quia æquitas judícia tua: * & in veritáte tua, humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me: * secúndùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam: * quia lex tua, meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injústè iniquitátem fecérunt in me: * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te: * & qui novérunt, testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis: * ut non confúndar.

Glória Patri. Allelúia.

Sequens

Sequens Capitulum, & alia in aliis Horis dicuntur in Dominici, à Tertia post Pentecosten usque ad Adventum, & quæ sequuntur in Feriali Officio per Annum.

Capitulum. 1, Theſſ. 5.

OMnia probáte ; quod bonum eſt tenéte : ab omni ſpécie mala abſtinéte vos.

℞. Inclína cor meũ Deus, in teſtimónia tua. *Et repetitur.* Inclína cor meum Deus in teſtimónia tua. ℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem : in viâ tuâ vivífica me, *Repetitur* ℞. Inclína cor meum Deus in teſtimónia tua. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto. *Repetitur* ℞. Inclína cor meum Deus in teſtimónia tua. ℣. Ego dixi, Dómine miſerére mei. ℞. Sana ánimã meam, quia peccávi tibi. ℣. Dóminus vobíſcum. ℞. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

VOx noſtra te Dómine ſemper deprecétur : & ad aures tuæ pietátis aſcéndat. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíſcum ; ℞. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℞. Deo grátias.

Deinde dicitur ſecretò. Fidélium ánimæ, &c. *quod etiam dicitur in fine Sextæ, Nonæ, & Completorij ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis novem Lectionum, & per Octavam Corporis Chriſti.*

In Feriali Officio per Annum.

Capitulum. Galat. 6.

ALter altérius ónera portáte : & ſic adimplébitis legem Chriſti.

℞. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. Sana ánimam meam, quia peccavi tibi. ℣. Ego dixi, Dómine miſerére mei. Sana ánimam meam ; quia peccávi tibi. Glória Patri, & Fílio ; & Spirítui ſancto. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Adjútor meus eſto Dómine. ℞. Ne derelínquas me, neque deſpícias me Deus ſalutáris meus.

Deinde dicuntur parvæ Preces quæ ſequuntur.

KYrie eléïſon. Kyrie eléïſon. Chriſte eléïſon. Chriſte eleïſon, Kyrie eléïſon. *ſecretò.* Pater noſter. *uſque ad* ℣. Et ne

nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

UT tuam Dómine misericórdiam consequámur: fac nos tibi toto corde esse devótos. Per.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino;

℟. Deo grátias.

In Feriis verò in quibus ad Laudes dictæ sunt magnæ Preces, tunc post ℟. *dicuntur sequentes flexis genibus.*

KYrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. *secretò.* Pater noster. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Ego dixi Dómine miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úsquequò. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo. *Oratio.* Ut tuam Dómine. *ut suprà.*

Deinde dicitur ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis. *Psal.* De profúndis. *ut inf. in cujus fine non dicitur.* Glória Patri. *sed ejus loco.* ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

ABsólve Dómine, ánimas famulórum tuórum, ab omni vínculo delictórum: ut in Resurrectiónis glória, inter Sanctos tuos resuscitáti respírent. Per Dóminum.

Secretò. ℣. Requiéscant

in pace. ℟. Amen.

AD SEXTAM.

Pater noster. Ave María. Sancti Spíritûs. Deus in adjutórium. Allelúia.

Psalmus 118.

DEfécit in salutáre tuũ ánima mea: * & in verbum tuũ supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum: * dicéntes, Quando consoláberis me?

Quia factus sũ sicut uter in pruína: * justificatiónes tuas, non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui: * quando fácies de persequéntibus me, judícium? Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes: * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulò minùs consummavérunt me in terra: * ego autem; non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm misericórdiam tuam vivífica me: * & custódiam, testimónia oris tui.

In ætérnum Dómine, verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatióne & generatiónem véritas tua: * fundásti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tua persevérat dies: * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditátio mea est: * tunc fortè períissem, in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíscar justificatiónes tuas: * quia in ipsis, vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac: * quóniam justificatiónes tuas, exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: * testimónia tua, intelléxi:

Omnis consummatiónis vidi finem: * latum mandátum tuum nimis.

Glória Patri.

QUómodo diléxi legẽ tuam Dómine: * tota die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo: * quia in ætérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi: * quia testimónia tua, meditátio mea est.

Super senes intelléxi: * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos: * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi: * quia tu legem posuísti mihi.

Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua: * super mel ori meo!

A mandátis tuis intelléxi: * proptéreà, odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum: * & lumen sémitis meis.

Jurávi: * & státui, custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque: * Dñe vivífica me, secúndùm verbum tuum.

Voluntária oris mei, beneplácita fac Dómine: * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper: * & legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi: * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi testimónia tua in ætérnum: * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum, ad faciéndas justificatiónes tuas in ætérnum: * propter retributiónem.

Glória Patri.

INíquos ódio hábui: * & legem tuam diléxi.

Adjútor & suscéptor meus es tu: * & in verbum tuum supersperávi.

Declináte à me malígni: * & scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndùm elóquium tuum, & vivã: * & non confúndas me, ab expectatióne mea.

Adjuva me & salvus ero: * & meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevísti omnes discedéntes à judíciis tuis: * quia injústa cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ: * ideò diléxi testimónia tua.

Confige timóre tuo carnes meas. * à judíciis enim tuis, tímui.

Feci judícium & justítiam: * non tradas me calumniántibus me:

Súscipe servum tuum in bonum: * non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum: * & in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secúndùm misericórdiam tuam: * & justificatiónes tuas doce me,

Servus tuus sum ego: * da mihi

mihi intelléctum ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi Dómine: * dissipavérunt legem tuam.

Ideò diléxi mandáta tua:* super aurum, & topázion.

Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar: * omnem viam iníquam, ódio hábui.

Glória Patri. Allelúia.

In Dominicis per Annum.

Capitulum 1.Cor.1.

GRátia vobis, & pax à Deo Patre nostro: & Dómino Jesu Christo.

℟. In ætérnum Dómine pérmanet verbum tuum. In ætérnum. ℣. In cælo & in sæculum sæculi véritas tua. In ætérnum. Glória Patri. In ætérnum.

℣. Dñs regit me, & nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta quæsumus omnípotens Deus: ut líberis tibi méntibus serviámus. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino;
℟. Deo grátias.

In Feriali Officio per Annum.

Capitulum. Grátia vobis. *ut suprà.*

℟. Benedícam Dóminum in omni témpore. Benedícam Dñm. ℣. Semper laus ejus in ore meo. Benedícam. Glória Patri. Benedícam. ℣. Dóminus regit me, & nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Deinde dicuntur parvæ Preces quæ sequuntur.

KYrie eléïson. Kyrie eleïson. Christe eleïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. *secretò* Pater noster *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam & sálvi érimus. ℣. Dómine exáudi oratiónē meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

CLamántes ad te Deus dignánter exáudi; ut nos de profúndo iniquitátis erípias: & ad gáudia ætérna perdúcas. Per Dñm.

℣. Dóminus

℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino;
℟. Deo grátias.

In Feriis verò in quibus ad Laudes dictæ sunt magnæ Preces, tunc post ℟. *dicantur sequentes flexis genibus.*

KYrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. *secretò* Pater noster. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent. ℣. Dómine salvum fac Regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ. ℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.
Oratio. Clamántes ad te Deus, *ut suprà.*

In fine Sextæ quotiescumque non fit de Festo novem Lectionum dicitur pro Defunctis. ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.
Psal. De profúndis. *ut inf.*
℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus. *Oratio*

INclína Dómine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuã súpplices deprecámur: ut ánimas famulórum tuórum, quas de hoc sæculo migráre jussísti; in pacis ac lucis regióne constítuas: & Sanctórum tuórum jubeas esse consórtes. Per Dóminum nostrum. *secretò* ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD NONAM.

Pater noster. Ave Maria. Sancti Spíritûs. Deus in adjutórium. Allelúia.

Psalmus 118.

MIrabília testimónia tua: * ídeò scrutáta est

est ea, ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat: * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi spíritum: * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, & miserére mei: * secúndùm judícium, diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige, secúndùm elóquium tuum: * & non dominétur mei, omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum: * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum: * & doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei: * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es Dómine: * & rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua: * & veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus: * quia oblíti sunt verba tua, inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter: * & servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego, & contémptus: * justificatiónes tuas, non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in ætérnum: * & lex tua véritas.

Tribulátio & angústia invenérunt me: * mandáta tua, meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in ætérnum: * intelléctum da mihi, & vivam.

Glória Patri.

CLamávi in toto corde exáudi me Dómine: * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac: * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte & clamávi: * quia in verbum tuum supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo: * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secúndùm misericórdiam tuam Dómine: * & secúndùm judícium tuum, vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti: * à lege autem tuâ longè facti sunt.

Propè es tu Dómine: * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis: * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, & éripe me: * quia legem tuam, non sum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me: * propter elóquium tuum vivífica mea.

Longè à peccatóribus salus: * quia justificatiónes tuas, non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ Dómine: * secúndùm judícium tuum, vivífica me.

Multi qui persequúntur me, & tríbulant me: * à testimóniis tuis, non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabescébam: * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi: * Dómine in misericórdia tua, vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas: * in ætérnum, ómnia judícia justítiæ tuæ.

Glória Patri.

PRíncipes persecúti sunt me gratis: * & à verbis tuis, formidávit cor meū.

Lætábor ego super elóquia tua: * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus sum: * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi: * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam: * & non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuū Dómine: * & mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua: * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, & testimónia tua, * quia omnes viæ meæ, in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo: * secúndùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum: * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquia tua: * quia ómnia mandáta tua, æquitas.

Fiat

Fiat manus tua ut salvet me: * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum Dómine: * & lex tua, meditátio mea est.

Vivet ánima mea, & laudábit te: * & judícia tua, adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit: * quære servum tuum Dómine: * quia mandáta tua, non sum oblítus.

Glória Patri. Allelúia.

In Dominicis per Annum.

Capitulum. 1.Cor.6.

Empti estis prétio magno: glorificáte & portáte Deum in córpore vestro.

℟. Aspice in me Dómine, & miserére mei. Aspice.

℣. Secúndùm judícium diligéntium nomen tuum. Aspice. Glória Patri. Aspice.

℣. Ab occúltis meis munda me Dómine.

℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Orémus. *Oratio.*

Redémptor noster áspice Deus: & tibi nos júgiter servíre concéde. Qui vivis.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dño;

℟. Deo grátias.

In Feriali Officio per Annum.

Capit. Empti estis. *ut sup.*

℟. Rédime me Dómine, & miserére mei. Rédime me Dómine, & miserére mei.

℣. Pes enim meus stetit in via recta, in ecclésiis benedícam Dómino. Rédime. Glória Patri. Rédime.

℣. Ab occúltis meis munda me Dómine.

℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Deinde dicuntur parvæ Preces quæ sequuntur.

Kyrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. *Secretò.* Pater noster. *Vsque ad.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum & terram ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

A Cunctis iniquitátibus nostris éxue nos Dómine: & in tua fac pa-

ce gaudére. Per Dóminum. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicamus Dómino; ℟. Deo grátias;

I. Feriis verò in quibus ad Laudes dictæ sunt magnæ Preces, tunc post ℟. *dicuntur sequentes flexis genibus.*

KYrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. *secretò.* Pater noster. *Usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis. ℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio. A cunctis. *ut suprà.*

In fine Nonæ quotiescumque non fit de festo Duplici, vel novem Lectionum, dicitur pro Defunctis. ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dñe. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

Psalmus. De profúndis. ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

ANnue nobis Dómine, ut ánimæ famulórum tuórum remissiónem ómnium mereántur percípere peccatórum. Per Dóminum. *secretò.* ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur secretò Aña beatæ Virginis ut infra post Complet.

Vesperæ in Dominica, & in Feriis, habentur inferius post Laudes Sabbati.

FERIA SECUNDA.

Ad Matutinum.

Pater noster. Ave María. Sancti Spíritus. ℣. Dómine lábia mea apéries. *ut suprà.*

Invitatorium. Veníte exultémus Dómino.

Psalmus. Jubilémus Deo

salutári nostro. *ut suprà.*

Invitatoria per Ferias dicuntur in Feriali Officio ab Octava Pentecostes usque ad Adventum.

Antiphona per Annum, ut infrà.

Antiphona, Dóminus.

Psalmus 26

DOminus illuminátio mea, & salus mea: * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ: * à quo trepidábo?

Dum appr ópiant super me nocéntes: * ut edant carnes meas,

Qui tríbulant me inimíci mei: * ipsi infirmáti sunt, & cecidérunt.

Si consístant advérsùm me castra: * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium: * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram: * ut inhábitem in domo Dñi, ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini: * & vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo in die malórum: * protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: * & nunc exaltávit caput meũ, super inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis, * cantábo, & psalmum dicam Dño.

Exáudi Dómine vocem meam, qua clamávi ad te: * miserére mei, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam Dñe requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me: * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto, ne derelínquas me: * neque despícias me Deus, salutáris meus.

Quóniam Pater meus, & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem assúmpsit me

Legem pone mihi Dómine in via tua: * & dírige me in sémitâ rectâ, propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui: * & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini: * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age: * & conforté-

tur cor tuum, & sústine Dóminum.

Psalmus 27.

AD te Dómine clamábo, Deus meus ne síleas à me: * nequándo táceas à me: * & assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te: * dum extóllo manus meas, ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus: * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo: * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndùm ópera eórum: * & secúndùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus: * déstrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus: * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protéctor meus: * & in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

Et reflóruit caro mea: * & ex voluntáte mea, confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ: * & protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ: * & rege eos, & extólle illos usque in ætérnum.

Glória Patri.

Antiphona. Dóminus defénsor vitæ meæ.

Antiphona. Adoráte Dóminum.

Psalmus 28.

AFférte Dómino filii Dei: * afférte Dómino filios aríetum.

Afférte Dómino glóriã & honórem: * afférte Dómino glóriã nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini, super aquas: * Deus majestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis

géntis cedros : * & confringet Dóminus, cedros Líbani.

Et commínuet eas tamquàm vítulum Líbani : * & diléctus quemádmodum, filius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : * vox Dómini concutiéntis desértum : * & commovébit Dóminus desértum cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa : * & in templo ejus, omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit : * & sedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dñs benedícet pópulo suo in pace.

Psalmus 29.

EXaltábo te Dñe quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus clamávi ad te, & sanásti me.

Dómine eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dño sancti ejus : * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine in voluntáte tua, præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam à me : * & factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo : * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo : * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis : * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætítiâ.

Ut cãtet tibi glória mea, & non compúngar : * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Glória Patri.

Aña. Adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Aña. In tua justítia.

Psalmus 30.

IN te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam : * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii:*ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea & refúgium meum es tu:* & propter nomen tuum dedúces me,& enútries me.

Edúces me de láqueo, quem abscondérunt mihi:* quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commén-do spíritum meum : * redemísti me Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes, supervácuè.

Ego autem in Dño sperávi : * exultábo , & lætábor, in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam: * salvásti de necessitátibus, ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci : * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Miserére mei Dómine, quóniam tríbulor : * conturbátus est in ira óculus meus : * ánima mea , & venter meus.

Quóniam defécit in dolóre vita mea : * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea : * & ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium vicínis meis valdè:* & timor notis meis.

Qui vidébant me, foras fugérunt à me: * obliviόni datus sum, tamquam mórtuus à corde.

Factus sum tamquam vas pérditum : * quóniam audívi vituperatiónẽ multórum , commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent simul advérsùm me:* accípere ánimam meam , consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi Dómine : * dixi , Deus meus es tu : * in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum : * & à persequéntibus me.

Illústra

Illústra fáciem tuam super servum tuum : * salvum me fac in misericórdia tua : * Dómine non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubéscant ímpii, & deducántur in inférnum : * muta fiant lábia dolósa.

Quæ loquúntur advérsùs justum iniquitátem : * in supérbia & in abusióne.

Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine : * quam abscondísti timéntibus te!

Perfecísti eis, qui sperant in te : * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ : * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo: * à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus : * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi, in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ : * Projéctus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudísti vocem oratiónis meæ : * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam veritátem requíret Dóminus : * & retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum : * omnes qui sperátis in Dómino.

Psalmus 31.

BEáti quórum remíssæ sunt iniquitátes : * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum : * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea : * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : * & injustítiam meam non abscóndi.

Dixi, Confitébor advérsùm me injustítiam meam Dómino : * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus : * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum : * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne , quæ circúmdedit me : * exultátio mea érue me,à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo,& ínstruam te in via hac qua gradiéris : * firmabo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus : * quibus non est intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eórum constrínge: * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris : * sperántem autem in Dómino; misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte justi : * & gloriámini omnes recti corde.

Glória Patri.

Antiph. In tua justítia líbera me Dómine.

Antiph. Rectos decet.

Psalmus 32.

EXultáte justi in Dómino : * rectos decet collaudátio,

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * benè psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini : * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam & judícium:* misericórdiâ Dómini,plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt : * & spíritu oris ejus,omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur,omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit , & facta sunt : * ipse mandávit, & creáta sunt.

Dóminus díssipat consília Géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum , & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet:* cogitatiónes cordis ejus in generatióne , & generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus : * pópulus , quem elégit in hæreditátem sibi.

De cœlo respéxit Dóminus : *

minus: * vidit omnes filios hóminum.

De præparáto habitáculo suo: * respéxit super ómnes, qui hábitant terram,

Qui finxit singillátim corda eórum: * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem: * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem: * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum: * & in eis qui sperant, super misericórdia ejus.

Ut éruat à morte ánimas eórum: * & alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum: * quóniam adjútor & protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum: * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos:* quemádmodum sperávimus in te.

Psalmus 33.

BEnedícam Dñm in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum, * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illumináminí:* & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dñs exaudívit eum:* & de ómnibus tribulatiónibus ejus, salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte quóniam suávis est Dóminus:* beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum, non minuéntur omni bono.

Veníte filij, audíte me: * timórem Dñi docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo: * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus ad preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terrâ memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * & de ómnibus his, liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes, qui sperant in eo.

Glória Patri.

Antiphona. Rectos decet collaudátio.

Antiphona. Expúgna.

Psalmus 34.

JUdica Dómine nocéntes me: * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & scutum: * & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, & conclúde advérsùs eos, qui persequúntur me: * dic ánimæ meæ, salus tua ego sum.

Confundántur & revereántur: * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsum, & confundántur: * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti: * & Angelus Dómini, coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum: * & Angelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui: * supervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat: * & cáptio quam abscóndit, apprehéndat eum: * & in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit

tabit in Dómino : * & delectábitur, super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent: * Dómine quis similis tibi?

Erípiens inopem de manu fortiórum ejus : * egénum & páuperem, à diripiéntibus eum.

Surgéntes testes iníqui: * quæ ignorábam, interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis: * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi moléstí essent : * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam : * & orátio mea, in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacébam: * quasi lugens & contristátus, sic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti sunt, & convenérunt : * congregáta sunt super me flagélla, & ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compúncti : * tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne: * frenduérunt super me, déntibus suis.

Dómine, quando respícies : * restítue ánimam meam à malignitáte eórum : * à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésia magna : * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iniquè : * qui odérunt me gratis, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur : * & in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum : * dixérunt, Euge, éuge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti, Dómine, ne síleas: * Dómine ne discédas à me.

Exúrge, & inténde judício meo Deus meus : * & Dóminus meus, in causam meam.

Júdica me secúndùm justítiam tuam Dómine Deus meus: * & non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis, Euge, euge, ánimæ nostræ : * nec dicant, Devorávimus eum

Erubéscant & revereántur simul : * qui gratulántur malis meis

Induántur

Induántur confusióne & reveréntiâ : * qui magna loquúntur super me.

Exúltent & læténtur qui volunt justítiam meam : * & dicant semper, Magnificétur Dóminus qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justitiam tuam : * totâ die laudem tuam.

Psalmus 35.

DIxit injústus ut delínquat in semetípso : * Non est timor Dei, ante óculos ejus.

Quóniam dolósè egit in conspéctu ejus : * ut inveniátur, iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus : * nóluit intellígere, ut benè ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo : * ástitit omni viæ non bonæ:* malítiam autem non odívit.

Dómine in cælo misericórdia tua: * & véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei : * judícia tua, abyssus multa.

Hómines & juménta salvábis Dómine, * quemádmodū multiplicásti, misericórdiam tuam Deus.

Fílij autem hóminum, in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ : * & torrénte voluptátis tuæ, potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ : * & in lúmine tuo, vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te : * & justítiam tuam, his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ : * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem : * expúlsi sunt, nec potuérunt stare. Glória Patri.

Antiph. Expúgna impugnántes me.

Antiph. Revéla.

Psalmus 36.

NOli æmulári in malignántibus: * neque zeláveris faciéntes iniquitâtem.

Quóniam támquam fœnum velóciter aréscent:* & quemádmodum ólera herbárum, citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem : * & inhábita terram, & pascéris in divítiis ejus.

Delectáre

Delectáre in Dómino: * & dabit tibi, petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, & spera in eo: * & ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, & judícium tuum tamquam merídiem: * súbditus esto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui prospératur in viâ suâ: * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab irâ, & derelínque furórem: * noli æmulári, ut malignéris.

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur: * sustinéntes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, & non erit peccátor: * & quæres locum ejus, & non invénies.

Mansuéti autem hæreditábunt terram: * & delectabúntur, in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum: * & stridébit super eum, déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum: * quóniam próspicit, quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres: * intendérunt arcum suum.

Ut decípiant páuperem & ínopem: * ut trucídent rectos corde,

Gládius eórum intret in corda ipsórum: * & arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo: * super divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur: * confírmat autem justos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum: * & hæréditas eórum, in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo: * & in diébus famis saturabúntur: * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini mox honorificáti fúerint & exaltáti: * deficiéntes quemádmodum fumus, defícient.

Mutuábitur peccátor, & non solvet: * justus autem miserétur, & tríbuet.

Quia benedicéntes ei hæreditábunt terram: * maledicéntes autem ei dispeíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis

hóminis dirigétur : * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur, * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui : * & non vidi justum derelíctum, * nec semen ejus quærens panem.

Totâ die miserétur, & cómmodat, * & semen illíus, in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum, * & inhábita in sæculum sæculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet sanctos suos, * in ætérnum conservabúntur.

Injústi puniéntur, * & semen impiórum períbit.

Justi autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in sæculum sæculi, super eam.

Os justi meditábitur sapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus, * & non supplantabúntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justum, * & quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus, * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

Expécta Dóminum, & custódi viam ejus ; * & exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram,* cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, & ecce non erat,* quæsívi eum, & non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, & vide æquitátem, * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injústi autem dispeíbunt, * simul relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum à Dómino, * & protéctor eórum, in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos, * & éruet eos à peccatóribus, * & salvábit eos, quia speravérunt in eo.

Psalmus 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in irâ tuâ corrípias me:

Quóniam sagíttæ tuæ infixæ sunt mihi, * & confirmásti super me, manum tuam.

Non

Non est sánitas in carne meâ à facie iræ tuæ:* non est pax óssibus meis, à fácie peccatórum meórum.

Quóniã iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum: * & sicut onus grave, gravátæ sunt super me.

Putruérunt, & corrúptæ sunt cicatríces meæ: * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, & curvátus sum usque in finem:* totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei im pléti sunt illusiónibus: * & non est sánitas in carne meâ.

Afflíctus sum, & humiliátus sum nimis: * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum:* & gémitus meus, à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est: * derelíquit me virtus mea, & lumen oculórum meórum: * & ipsum non est mecum

Amíci mei, & próximi mei: * advérsùm me appropinquavérunt, & stetérunt.

Et qui juxta me erant, dè longè stetérunt: * & vim faciébant, qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes: * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tanquam surdus non audiébam: * & sicut mutus, non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens: * & non habens, in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te Dómine sperávi: * tu exáudies me Dómine Deus meus

Quia dixi, Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei: * & dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus: * & dolor meus, in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo:* & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me: * & multiplicáti sunt, qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis detrahébant mihi: * quóniam

quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me Dómine Deus meus : * ne discesseris à me.

Inténde in adjutórium meum, Dómine Deus salútis meæ.

Glória Patri.

Antiph. Revéla Dómino viam tuam.

Per Annum, ℣. Lætámini in Dómino & exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdotalis*, Exultábunt Sancti. ℣. Deus in adjutórium: *ut suprà*,

Antiphona. Miserére.

Psalmus 50.

MIserére mei Deus : * secúndùm magnam misericórdiam tuam.

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum, dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte meâ: * & à peccáto meo, munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * & peccátum meum, contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * & in peccátis concépit me, mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ, manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor : * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudiũ & lætítiam : * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis : * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundũm crea in me Deus : * & spíritum rectum ínnova, in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tuâ : * & Spíritum sanctum tuum, ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui:* & spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas : * & ímpij ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ : * & exultábit lingua

gna mea, justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries: * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus non despícies.

Benígnè fac Dómine in bona voluntáte tuâ Sion: * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrificiũ justítiæ, oblatiónes & holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri.

Añ. Miserére mei Deus.

Añ. Intéllige.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine: * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ: * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine: * manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi, & vidébo: * quóniam non Deus volens, iniquitátem tu es:

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi, ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loqúuntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine, misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuã: * adorábo ad templum sanctum tuum, in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítiâ tuâ: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo, viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum: * linguis suis dolosè agébant: * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis: * secúndùm multitúdinem impietátum, eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te: * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum: * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, coronásti nos.

Glória Patri.

Antiph. Intéllige clamórem meum Dómine.

Antiph. Deus Deus meus ad te de luce vígilo.

Psalmus idem, ut sup. 21.

Antiph. Convérsus est.

Canticum Isaiæ Prophetæ. Cap. 12.

CONfitébor tibi Dómine, quóniam irátus es mihi: * convérsus est furor tuus, & consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus: * fiduciáliter agam, & non timébo.

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus: * & factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salvatóris: * & dicétis in illâ die, Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * meméntote quóniam excélsum est, nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit: * annuntiáte hoc, in univérsâ terrâ.

Exúlta & lauda habitátio Sion: * quia magnus in médio tui, sanctus Israël.

Glória Patri.

Aña. Convérsus est furor tuus Dómine, & consolátus es me.

Aña. Laudáte Dóminum de cælis. *Psalm. idem. 23.*

Capitulum sequens cum Versiculo dicitur in Feriali Officio ab octava Pentecostes usque ad Adventũ.

Capitulum. Isaiæ 33.

DOmine miserere nostri: te expectávimus; esto bráchium nostrum in manè: & salus nostra in témpore tribulatiónis.

℣. Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ.

℞. Et exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiph. Benedíctus Dñs quia visitávit nos, & ab inimícis nostris liberávit nos.

Deinde in Feriis per Annum dicuntur parvæ Preces post Antiphonam ad Benedíctus. *ut infrà.*

KYrie eléison. Kyrie eléison. Christe eléison. Christe eléison. Ky-

rie eléison. *Secretò* Pater noster *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónẽ. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Exúrge Dómine ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuũ. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. *Oratio conveniens.*

In Feriali Offic. post Laud. dicitur Psalmus Levávi, *ut inf. cum versu & Oratione ab Oct. Epiph. usque ad Dominicam Palmarum, & ab Octava Pentecostes usque ad diem 17. Decembris, & in Festis trium Lect. sed infra Oct. non dicitur.*

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos ad montes: * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino: * qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum: * neque dormítet, qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet: * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te: * Dóminus protéctio tua, super manum déxteram tuam.

Per diẽ sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introitum tuum, & éxitum tuum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Glória Patri.

℣. Salvos fac servos tuos Dómine. ℟. Deus meus sperántes in te. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris: & viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispone; ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes: tuo semper protegámur auxílio. Per Dóminum nostrum.

In Feriis Vigiliarum quæ jejunantur, vel in quibus fit abstinentia carnis dicuntur post Antiphonam ad

ad Benedíctus, *sequentes Preces flexis genibus, aliis temporibus in Officio Feriali dicuntur ut suprà, 68. secretò.*

KYrie eléison, Kyrie eléison. Christe eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. *Secretò* Pater noster *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi Dómine miserére mei. ℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úsquequò. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua Dñe super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent, ℣. Dómine salvum fac Regem. ℟. Et exáudi nos in die qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ. ℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum, ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Dñe exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Deinde dicitur Psalmus De profúndis. *ut infrà.*

Et in fine Glória Patri. *Finito Psalmo dicitur,* ℣. Exúrge Dómine ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio conveniens.*

Deinde post Orationem dicitur Psalmus Levávi, *ut suprà, cum* ℣. *& Oratione.*

FERIA TERTIA.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Jubilémus Deo salutári nostro. *Psal.* Veníte exultémus. 2.

Antiphona. Ut non delínquam.

Temp. Pasch. Aña. Allel.

Psalmus 38.

DIxi, custódiam vias meas: * ut non delínquam, in linguâ meâ.

Pósui ori meo custódiã: * cùm consísteret peccátor advérsùm me.

Obmútui, & humiliátus sum, & sílui à bonis: * & dolor meus, renovátus est.

Concáluit

Concáluit cor meum intra me: * & in meditatióne meâ, exardéscet ignis.

Locútus sum in linguâ meâ: * Notum fac mihi Dómine finem meum.

Et númerum diérum meórum quis est: * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos: * & substántia mea, tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo: * sed & frustrà conturbátur.

Thesaurízat & ignórat cui congregábit ea: * & nunc quæ est expectátio mea? nónne Dóminus: * & substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbriũ insipiénti dedísti me.

Obmútui, & non apérui os meum: * quóniam tu fecísti, ámove à me plagas tuas.

A fortitúdine manûs tuæ ego deféci in increpatiónibus: * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te: * & peregrínus, sicut omnes patres mei.

Remítte míhi, ut refrígerer priúsquam ábeam: * & ampliùs non ero.

Psalmus 39.

EXpéctans expectávi Dóminum: * & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas * & edúxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

Et státuit supra petram pedes meos: * & diréxit gressus meos,

Et immísit in os meum cánticum novum: * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, & timébunt: * & sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus: * & non respéxit in vanitátes; & insánias falsas.

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua: * & cogitatiónibus

tuis,

tuis, non est quis símilis tibi.

Annuntiávi, & locútus sum : * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum & pro peccáto non postulásti : * tunc dixi, Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus vólui, & legem tuam, in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in ecclésiâ magna : * ecce lábia mea non prohibébo : * Dómine tu scísti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo : * veritátem tuam, & salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam, * & veritátem tuam, à concílio multo.

Tu autem Dómine ne longè fácias miseratiónes tuas à me : * misericórdia tua & véritas tua, semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus : * comprehendérunt me iniquitátes meæ : * & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei : * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi Dómine ut éruas me : * Dómine ad adjuvándum me réspice.

Confundántur & revereántur simul : * qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

Avertántur retrórsum, & revereántur : * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam : * qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exúltent, & lætētur super te omnes quæréntes te : * & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum ; & pauper : * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es : * Deus meus ne tardáveris.

Glória Patri.

Aña. Ut non delínquam in linguâ meâ. *Aña.* Sana Dómine.

Psalmus 40.

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem,

rem : * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terrâ. * non tradat eum, in ánimam, inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * univérsum stratum ejus versásti, in infirmitáte ejus.

Ego dixi, Dómine miserére mei : * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérũt mala mihi : * Quando moriétur & períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur : * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, & loquebátur.

In idípsum advérsùm me susurrábant omnes inimíci mei: * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsùm me : * numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ in quo sperávi : * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem Dómine miserére mei, & resuscitá me: * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me : * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti : * & confirmásti me in conspéctu tuo, in ætérnum.

Benedíctus Dñs Deus Israël : * à sæculo & in sæculum fiat, fiat.

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam & apparébo, ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie, Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimã meã : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis, sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea? & quare conturbas

me? * spera in Deo, quóniã adhuc confitébor illi: * salutáre vúltûs mei, & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: * proptéreà memor ero tui de terra Jordánis: * & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat: * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, & flúctus tui super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam: * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ: * dicam Deo; Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei, & quare contristátus incédo: * dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea: * exprobravérunt mihi qui tríbulant me, inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies, Ubi est Deus tuus? * Quare tristis es ánima mea? & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus. Glória Patri.

Aña. Sana Dómine ánimam meam: quia peccávi tibi. *Aña.* Eructávit.

Psalmus 43.

DEus áuribus nostris audívimus: * patres nostri annuntiavérunt nobis.

Opus quod operátus es in diébus eórum: * & in diébus antíquis.

Manus tua Gentes dispérdidit, & plantásti eos: * afflixísti pópulos, & expulísti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram: * & bráchium eórum, non salvávit eos.

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui: * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse Rex meus, & Deus meus: * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu: * & in nómine tuo spernémus, insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo: * & gládius meus non salvábit me.

Salvásti enim nos de affligéntibus nos: * & odiéntes nos confudísti.

In Deo laudábimur totâ die: * & in nómine tuo confitébimur

fitébimur tibi in sæculum.

Nunc autem repulísti, & confudísti nos : * & non egrediéris Deus in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsum post inimicos nostros: * & qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedísti nos tamquam oves escárum: * & in Géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuũ sine prétio : * & non fuit multitúdo, in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris: * subsannatiónem & derísum, his qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem Géntibus:* commotiónem cápitis, in pópulis.

Tota die verecúndia mea contra me est:* & confúsio faciéi meæ, coopéruit me.

A voce exprobrántis & obloquéntis : * à fácie inimíci & persequéntis.

Hæc ómnia venérunt super nos ; nec oblíti sumus te:* & iníquè non égimus, in testaménto tuo.

Et non recéssit retrò cor nostrum: * & declinásti sémitas nostras, à viâ tuâ.

Quóniã humiliásti nos in loco afflictiónis : * & coopéruit nos, umbra mortis.

Si oblíti sumus nomen Dei nostri: * & si expándimus manus nostras, ad Deum aliénum.

Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniã propter te mortificámur totâ die:* æstimâti sumus sicut oves occisiónis.

Exúrge, quare obdórmis Dómine?* exúrge, & ne repéllas in finem.

Quare fácie tuã avértis: * oblivísceris inópiæ nostræ, & tribulatiónis nostræ ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra : * conglutinátus est in terrâ, venter noster.

Exúrge, Dómine, ádjuva nos : * & rédime nos, propter nomen tuum.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum : * diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptéreà benedíxit te Deus, in ætérnum.

Accíngere gládio tuo su-

per femur tuũ, potẽtíſſime.

Spécie tuâ, & pulchritúdine tuâ: * inténde, próſperè procéde, & regna.

Propter veritátẽ, & manſuetudinem, & juſtítiam: * & dedúcet te mirabiliter, déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ: * pópuli ſub te cadent in corda, inimicórum regis.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem: * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta, & caſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te filiæ regum, in honóre tuo.

Aſtitit regína à dextris tuis in veſtítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíſcet Rex decórem tuum: * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabúntur, omnes divites plebis.

Omnis glória ejus filiæ Regis ab intus: * in fimbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines poſt eam: * próximæ ejus, afferéntur tibi.

Afferénrur in lætítiâ & exultatióne: * adducéntur, in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi filij: * conſtítues eos príncipes, ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui: * in omni generatióne, & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum: * & in ſæculum ſæculi.

Glória Patri.

Aña. Eructávit cor meum verbum bonum.

Antiphona. Adjútor.

Pſalmus 45.

DEus noſtrum refúgiũ & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra: * & transferéntur montes, in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ ſunt aquæ eórum: * conturbáti

turbáti sunt montes, in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei:* sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus, manè dilúculo.

Conturbátæ sunt Gentes, & inclináta sunt, regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma: * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in Géntibus, & exaltábor in terrâ.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Psalmus 46.

OMnes Gentes pláudite mánibus:* jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis:* Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis: * & Gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam: * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo,* Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite:* psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus: * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super Gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham: * quóniam dii fortes terræ, veheménter eleváti sunt.

Glória Patri.

Antiphona. Adjútor in tribulatiónibus.

Aña. Auribus percípite.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis: * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fũdátur exultatióne univérsæ terræ: * mons Sion, látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur : * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in spíritu veheménti, cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum: * in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam, in ætérnum,

Suscépimus Deus misericórdiam tuam: * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ : * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent filiæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie álterâ.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Psalmus 48.

AUdite hæc omnes Gentes: * áuribus percípite omnes, qui habitátis orbem.

Quique terrígenæ, & filij hóminum: * simul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam : * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério ; propositiónem meam.

Cur timébo in die mala, * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confidunt in virtúte suâ : * & in multitúdine, divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo . * non dabit Deo placatiónem suam.

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ : * & laborábit in ætérnum: * & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum: * cùm víderit sapiéntes moriéntes,

Simul insípiens & stultus peribunt : * & relínquent aliénis, divítias suas.

Et

Et sepúlchra eórum domus illórum in ætérnum:* tabernácula eórum in progénie & progénie:* vocavérunt nómina sua, in terris suis.

Homo cũ in honóre esset, non intelléxit:* comparát⁹ est juméntis insipiéntibus:* & símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis:* & pósteà in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sũt:* mors depáscet eos.

Et dominabúntur eórum justi in matutíno:* & auxílium eórum veteráscet in inférno, à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meã de manu ínferi:* cùm accéperit me.

Ne timúeris cùm dives factus fúerit homo:* & cùm multiplicáta fúerit, glória domûs ejus.

Quóniam cùm interíerit non sumet ómnia:* neque descéndet cum eo, glória ejus.

Quia ánima ejus in vitâ ipsíus benedicétur:* cõfitébitur tibi cũ benefeceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum:* & usque in ætérnum, non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre esset, non intelléxit:* comparátus est juméntis insipiéntibus:* & símilis factus est illis. Glória Patri.

Aña. Auribus percípite qui habitátis orbem.

Aña. Expectábo.

Psalmus 49.

DEus deórum Dóminus locútus est:* & vocávit terram.

A solis ortu usque ad occásum:* ex Sion spécies decóris ejus.

Deus manifestè véniet:* Deus noster, & non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet:* & in circúitu ejus, tempéstas válida.

Advocábit cælum desúrsum:* & terram discérnere pópulum suum.

Congregáte illi Sanctos ejus:* qui órdinãt testamẽtum ejus, super sacrifícia.

Et annuntiábunt cæli justítiam ejus:* quóniam Deus judex est.

Audi pópulus meus, & loquar:* Israël, & testificábor tibi, Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te:* holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos: * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum: * juménta in móntibus, & boves.

Cognóvi ómnia volatília cæli: * & pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi: * meus est enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum: * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrificium laudis: * & redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis: * éruam te, & honorificábis me.

Peccatóri autẽ dixit Deus, Quare tu enárras justítias meas: * & assúmis testaméntum meũ per os tuum?

Tu verò odísti disciplínam: * & projecísti sermónes meos retrórsum.

Si vidébas furẽ, currébas cum eo: * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ: * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum loquebáris: * & advérsùs filium matris tuæ ponébas scándalum: * hæc fecísti, & tácui.

Existimásti iníquè quòd ero tui símilis: * árguam te, & státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deũ: * nequándo rápiat, & nõ sit qui erípiat.

Sacrificium laudis honorificábit me: * & illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei. *Psalm.* 51.

Quid gloriáris in malítia: * qui potens es in iniquitáte?

Totâ die injustítiã cogitávit lingua tua: * sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem: * iniquitátem magis, quàm loqui æquitátem.

Dilexísti ómnia verba præcipitatiónis, lingua dolósa.

Proptéreà Deus déstruet te in finem: * evéllet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo: * radícem tuam de terrâ vivéntium.

Vidébunt justi & timébunt: * & super eum ridébunt, & dicent: * Ecce homo, qui non pósuit Deum adjutórem suum.

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárũ:* & præváluit in vanitáte sua.

Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei: * sperávi in misericórdia Dei in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Confitébor tibi in sæculum, quia fecísti: * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum est, in conspéctu sanctórum tuórum.

Glória Patri.

Aña. Expectábo nomen tuum Dómine, quóniam bonum est.

Per Annum. ℣. Ego dixi Dómine miserére mei.

℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi.

AD LAUDES.

Aña. Dele Dómine iniquitátem meam. *Psalm.* Miserére. *ut suprà. 69.*

Aña. Salutáre.

Psalmus 42.

JUdica me Deus, & discérne causam meam de gente non sancta: * ab hómine iníquo & dolóso érue me.

Quia tu es fortitúdo mea:* quare me repulísti, & quare tristis incédo:* dum affligit me inimícus?

Emítte lucem tuam & veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara Deus, Deus meus:* quare tristis es ánima mea, & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus. Glória Patri.

Antiphona. Salutáre vultûs mei Deus meus.

Aña. Ad te de luce vígilo Deus. *Psalmus.* Deus Deus meus. 21.

Aña. Corrípies me Dñe.

Canticum Ezechiæ.

Isaiæ 38.

EGo dixi: * In dimídio diérum meórum, vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum: * dixi, Non vidébo Dóminum Deum, in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultrà: * & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, & convolúta est à me: * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut à texénte, vita mea : * dum adhuc ordírer, succídit me.

De manè usque ad vésperam fínies me: * sperábam usque ad manè:* quasi leo sic contrívit, ómnia ossa mea.

De manè usque ad vésperam fínies me : * sicut pullus hirúndinis sic clamábo : * meditábor ut colúmba.

Attenuáti sūt óculi mei: * suspiciéntes in excélsum.

Dómine vim pátior respónde pro me : * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cùm ipse fécerit :

Recogitábo tibi omnes annos meos : * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, & in tálibus vita spíritûs mei, corrípies me, & vivificábis me : * Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima.

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret : * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te : * non expectábunt, qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódie : * pater filiis notam fáciet, veritátem tuam.

Dómine salvum me fac:* & psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ, in domo Dómini.

Glória Patri.

Antiphona. Corrípies me Dómine, & vivificábis me.

Antiphona. Omnes Angeli ejus laudáte Dñm.

Psalmus. Laudáte Dóminum de cælis. 23.

Capitulum. Isaiæ 53.

Dómine miserére nostri te expectávimus; esto brachium nostrum in mane : & salus nostra in tempore tribulatiónis.

Per Annum ℣. Repléti sumus mane misericórdiâ, & exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Aña. Eréxit Dóminus nobis cornu salutis, in domo David púeri sui.

Preces dicuntur ut sup. in Feria ij. 72.

FERIA QUARTA.

Ad Matutinum.

In Quadragesima.

Invitator. In manu tuā Dñe, omnes fines terræ.

Psal.

Psal. Veníte exultémus.
Aña. Avértit Dóminus.

Psalmus 52.

DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrúpti sunt, & abominábiles facti sunt in iniquitátibus: * non est qui fáciat bonum.

Deus de cælo prospéxit super filios hóminum: * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt: * simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitátem: * qui dévorant plebem meã, ut cibum panis.

Deum nō invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non fuit timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt, quóniam Deus sprévit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël: * cùm convérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israël.

Psalmus 54.

EXáudi Deus oratiónem meam: * & ne despéxeris deprecatiónem meam: * intēde mihi, & exáudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea: * & conturbátus sum à voce inimíci: * & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes: & in ira moléſti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me: * & formído mortis cécidit super me.

Timor & tremor venérunt super me: * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi, Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ: * & volábo, & requiéscam?

Ecce elongávi fúgiens: * & mansi in solitúdine.

Expectábam eum qui salvum me fecit: * à pusillanimitáte spíritûs, & tempestáte.

Præcípita Dómine, & dívide linguas eórum: * quóniam vidi iniquitátem, & contradictiónē in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas: * & labor in médio ejus & injustítia.

Et non defécit de platéis ejus, usúra & dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi: * sustinuíssem útique.

Et si is, qui óderat me, super me magna locútus fuisset: * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu verò homo unánimis, dux meus & notus meus.

Qui simul mecum dulces capiebas cibos: * in domo Dei ambulávimus, cum consénsu.

Véniat mors super illos: * & descéndant in inférnum vivéntes.

Quóniam nequítiæ in habitaculis eórum: * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi: * & Dóminus salvávit me.

Vésperè, & manè, & merídie narrábo & annuntiábo: * & exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi: * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, & humiliábit illos: * qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutátio, & non timuérunt Deum: * exténdit manum suam, in retribuéndo.

Contaminavérunt testaméntum ejus: * divísi sunt ab irâ vultûs ejus: * & appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus super óleum: * & ipsi sunt jácula.

Jacta super Dñm curam tuam, & ipse te enútriet: * non dabit in ætérnum, fluctuatiónem justo.

Tu verò Deus dedúces eos, in púteum intéritûs.

Viri sánguinum & dolósi non dimidiábunt dies suos: * ego autem sperábo in te Dómine.

Glória Patri.

Aña. Avértit Dóminus captivitátem plebis suæ.

Aña. Quóniam.

Psalmus 55.

Miserére mei Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impúgnans, tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die: * quóniam multi bellántes, advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos: * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabántur: * advérsùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabi-

Inhabitábunt & abscóndent: * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos: * in irâ pópulos confrínges.

Deus vitam meam annuntiávi tibi: * posuísti lácrymas meas, in conspéctu tuo.

Sicut & in promissióne tuâ: * tunc converténtur inimíci mei retrórsum.

In quacúmque die invocávero te: * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbū: * in Dómino laudábo sermónem: * in Deo sperávi, non timébo, quid fáciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua: * quæ reddam laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu: * ut pláceam coram Deo, in lúmine vivéntium.

Psalmus 56.

MIserére mei Deus, miserére mei: * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbrâ alárum tuárum sperábo: * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum: * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cælo, & liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam: * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: * dormívi conturbátus.

Fílij hóminum, dentes eórum arma & sagittæ: * & lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cælos Deus: * & in omni terrâ glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis: * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam: * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum Deus, parátum cor meum: * cantábo & psalmum dicam.

Exurge glória mea, exurge psaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis Dómine: * & psalmum dicam tibi, in Géntibus.

Quóniam magnificáta est usque ad cælos misericórdia

tua: * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cælos Deus: * & super omnem terram glória tua.

Glória Patri.

Antiphona. Quóniam in te confídit ánima mea.

An. Justè judicáte.

Psalmus 57.

SI verè útique justítiam loquímini: * rectè judicáte, filij hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini in terrâ: * injustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulvâ: * erravérunt ab útero, locúti sunt falsa.

Furor illis secúndùm similitúdinem serpéntis: * sicut áspidis surdæ, & obturántis aures suas.

Quæ non exáudiet vocem incantántium: * & venéfici, incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tanquam aqua decúrrens: * inténdit arcum suum, donec infirméntur.

Sicut cera, quæ fluit, auferéntur: * supercécidit ignis, & non vidérunt solem.

Priúsquam intellígerent spinæ vestræ rhamnum: * sicut vivéntes, sic in irâ absórbet eos.

Lætábitur justus cùm víderit vindíctam: * manus suas lavábit, in sánguine peccatóris.

Et dicet homo: si útique est fructus justo: * útique est Deus, júdicans eos in terra.

Psalmus 58.

ERipe me de inimícis meis Deus meus: * & ab insurgéntibus in me, líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem: * & de viris sánguinum, salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam: * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum Dómine: * sine iniquitáte cucúrri, & diréxi.

Exúrge in occúrsum meum, & vide: * & tu Dómine Deus virtútum, Deus Israël.

Inténde ad visitándas omnes Gentes: * non misereáris ómnibus, qui operántur

operántur iniquitátem.

Convertántur ad véſperam, & famem patiéntur ut canes: * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore ſuo: * & gládius in lábiis eórum, quóniam quis audívit?

Et tu Dómine deridébis eos: * & ad níhilum dedúces, omnes Gentes.

Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam: * quia Deus ſuſcéptor meus: * Deus meus, miſericórdia ejus, prævéniet me.

Deus oſténdit mihi ſuper inimícos meos: * ne occídas eos, nequándo obliviſcántur pópuli mei.

Diſpérge illos in virtúte tuâ: * & depóne eos protéctor meus Dómine.

Delíctum oris eórum, ſermónem labiórum ipſórum: * & comprehendántur, in ſuperbiâ ſuâ.

Et de execratióne & mendácio, annuntiabúntur in conſummatióne: * in ira conſummatiónis, & non erunt.

Et ſcient quia Deus dominábitur Jacob, & fínium terræ.

Convertántur ad véſperam, & famem patiéntur ut canes: * & circuíbunt civitátem.

Ipſi diſpergéntur ad manducándum, * ſi verò non fúerint ſaturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam: * & exaltabo manè, miſericórdiam tuam.

Quia factus es ſuſcéptor meus: * & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus tibi pſallam: * quia Deus ſuſcéptor meus: * Deus meus, miſericórdia mea.

Glória Patri.

Ana. Juſtè judicáte filíi hóminum

Aña. Da nobis Dómine.

Pſalmus 59.

DEus repuliſti nos, & deſtruxíſti nos: * irátus es, & miſértus es nobis.

Commovíſti terram & conturbáſti eam: * ſana contritiónes ejus, quia commóta eſt.

Oſtendiſti pópulo tuo dura, * potáſti nos vino compunctiónis.

Dediſti metuéntibus te ſignificatiónem: * ut fúgiant à fácie arcûs.

Ut liberéntur dilécti tui: *

ſalvum

ſalvum fac déxtera tua, & exáudi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo: * Lætábor, & partíbor Síchimam: * & convállem tabernaculórum metíbor.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes: * & Ephraïm fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus: * Moab olla ſpei meæ.

In Idumæam extendam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ ſúbditi ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * aut quis dedúcet me, uſque in Idumæam?

Nonne tu Deus qui repuliſti nos: * & non egrediéris Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne: * & vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem: * & ipſe ad níhilum dedúcet, tribulántes nos.

Pſalmus 60.

EXáudi Deus deprecatiónem meam: * & inténde oratióni meæ:

A fínibus terræ ad te clamávi dum anxiarétur cor meum: * in petrâ exaltáſti me.

Deduxíſti me quia factus es ſpes mea: * turris fortitúdinis, à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in ſæcula: * prótegar in velaménto, alárum tuárum.

Quóniam tu Deus exaudíſti oratiónem meam: * dedíſti hæreditátem timéntibus, nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies: * annos ejus uſque in diem generatiónis, & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conſpéctu Dei: * miſericórdiam & veritátem ejus, quis requíret?

Sic pſalmum dicam nómini tuo, in ſæculum ſæculi: * ut reddam vota mea, de die in diem.

Glória Patri.

Aña. Da nobis Dómine auxílium de tribulatióne.

Aña. A timóre.

Pſalmus 61.

NOnne Deo ſubjécta erit ánima mea: * ab ipſo enim, ſalutáre meum.

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus: * ſuſcéptor meus, non movébor ámpliùs.

Quoúſque irrúitis in hóminem:

minem: * interficitis univérsi vos, tanquam paríeti inclináto, & macériæ depúlsæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere: * cúcurri in siti: * ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto ánima mea, * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus & salvátor meus: * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, & glória mea: * Deus auxílij mei, & spes mea in Deo est.

Speráte in eo omnis congregátio pópuli: * effúndite coram illo corda vestra,* Deus adjútor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani filij hóminum,* mendáces filij hóminum in statéris,* ut decípiant ipsi de vanitáte, in idípsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, * & rapínas nolíte concupíscere, * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, * duo hæc audívi, quia potéstas Dei est, & tibi Dómine misericórdia, * quia tu reddes unicuíque, juxta ópera sua.

Psalmus 63.

EXáudi Deus oratiónem meam cùm déprecor, * à timóre inimíci, éripe ánimam meam.

Protexísti me à convéntu malignántium,* à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas,* intendérunt arcum rem amáram, * ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbitò sagittábunt eum, & non timébunt, * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos,* dixérunt, Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes, * defecérunt scrutántes scrutínio:

Accédet homo ad cor altum,* & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum, * & infirmátæ sunt contra eos, linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos, * & tímuit omnis homo.

Annuntia

Annuntiavérunt ópera Dei : * & facta ejus intellexérunt,

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo : * & laudabúntur omnes recti corde. Glória Patri.

Ana. A timóre inimíci éripe Dómine ánimā meam.

Antiphona. In ecclésiis.

Psalmus 65.

JUbiláte Deo omnis terra: † psalmum dícite nómini ejus : * date glóriam, laudi ejus.

Dícite Deo, quàm terribília sunt ópera tua, Dómine: * in multitúdine virtútis tuæ, mentiéntur tibi, inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & psallat tibi : * psalmum dicat, nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei : * terríbilis in consíliis, super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam : * in flúmine pertransíbunt pede, ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte suâ in ætérnum : * óculi ejus super Gētes respíciūt:* qui exásperant, non exaltēntur in semetípsis.

Benedícite Gentes Deum nostrum : * & audítam fácite, vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meā ad vitam:* & non dedit, in commotiónē pedes meos.

Quóniam probásti nos Deus: * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueū: * posuísti tribulatiónes in dorso nostro : * imposuísti hómines, super cápita nostra.

Transívimus per ignem & aquam : * & eduxísti nos, in refrigérium.

Introíbo in domum tuā in holocaústis : * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, in tribulatióne meâ.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum : * ófferam tibi, boves cum hircis.

Veníte, audíte,* & narrábo omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi : * & exaltávi ; sub linguâ meâ.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, non exáudiet Dóminus.

Proptéreà exaudívit De*

& atténdit voci, deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus: * qui non amóvit oratiónem meam, & misericórdiam suam à me.

Psalmus 67.

EXúrgat Deus, & dissipéntur inimíci ejus:* & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus defíciant: * sicut fluit cera à fácie ignis: * sic péreant peccatóres, à fácie Dei

Et justi epuléntur: * & exúltent in conspéctu Dei, delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui ascéndit super occásum, Dñs nomen illi.

Exultáte in conspéctu ejus: * turbabûntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo:* Deus qui inhabitáre facit, uníus moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine: * simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepúlchris.

Deus cum egrederéris in conspéctu pópuli tui, cum pertransíres in desérto.

Terra mota est: * étenim cæli distillavérunt à fácie Dei Sinaï, à fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis Deus hæreditáti tuæ: * & infirmáta est, tu verò perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea: * parásti in dulcédine tuâ, páuperi Deus.

Dóminus dabit verbum evangelizántibus, virtúte multâ.

Rex virtútum dilécti dilécti: * & speciéi domûs, divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ colúmbæ deargentátæ: * & posterióra dorsi ejus, in pallóre auri.

Dum discérnit cæléstis reges super eam: * nive dealbabúntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis: * ut quid suspicámini, montes coagulátos?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo:* étenim Dóminus, habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex: * míllia lætántium;* Dóminus in eis, in Sinaï in sancto.

Ascendísti in altum:* cepísti captivitátem: * accepísti dona, in homínibus.

Etenim

Etenim non credéntes, inhabitáre Dñm Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie: * prósperum iter fáciet nobis, Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi: * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus, confringet cápita inimicórum suórum: * vérticem capílli perambulántium, in delíctis suis.

Dixit Dóminus, ex Basan convértam: * convértam, in profúndum maris.

Ut intingátur pes tuus in sánguine: * lingua canum tuórũ, ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos Deus: * gressus Dei mei: * Regis mei, qui est in sãcto.

Prævenérunt príncipes conjúncti psalléntibus: * in médio juvenculárum, tympanistriárum.

In ecclésiis benedícite Deo: * Dómino, de fóntibus Israël.

Ibi Bénjamin adolescéntulus, in mentis excéssu.

Príncipes Juda, duces eórum: * príncipes Zábulon, príncipes Néphtalim.

Manda Deus virtúti tuę* confirma Deus hoc, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, tibi ófferent reges múnera

Increpa feras arúndinis; * congregátio taurórum in vaccis populórum; * ut exclúdant eos, qui probáti sunt arg.nto.

Díssipa Gentes quæ bella volunt; * vénient legáti ex Ægypto; * Æthiópia, prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ cantáte Deo, psállite Dómino; * psallite Deo, qui ascéndit super cælum cæli, ad Oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis: * date glóriam Deo; * super Israël magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus

Mirábilis Deus in Sanctis suis,*Deus Israël ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ benedíctus Deus.

Glória Patri.

Aña. In ecclésiis benedícite Dómino.

Per Annum. ℣. Deus vitam meam annuntiávi tibi. ℟. Posuísti láchrymas meas in conspéctu tuo.

A D LAUDES.

Antiphona. Ampliùs lavã me Dómine ab injustítiã mea.

Psal.

Psal. Miserére. *ut sup.* 69.
Antiphona. Te decet.

Psalmus 64.

TE decet hymnus Deus in Sion: * & tibi reddétur votum, in Jerúsalem.

Exáudi oratiónē meam,* ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos: * & impietátibus nostris, tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti, & assumpsísti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus salutáris noster: * spes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tuâ, accínctus poténtiâ: * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur Gentes, & timébunt qui hábitant términos, à signis tuis: * éxitús matutíni, & véspere delectábis.

Visitásti terram & inebriásti eam: * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis: * parásti cibum illórum; quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébrians, multíplica genímina ejus:* in stillicídiis ejus, lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ;* & campi tui, replebúnrur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti: * & exultatióne colles accingéntur.

Induti sunt aríetes óviū, & valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Glória Patri.

Aña. Te decet hymnus Deus in Sion.

Antiph. Lábia mea laudábunt te in vita mea Deus meus.

Psal. Deus Deus meus. 21.

Antiphona. Dóminus.

Canticum Annæ.

1. Reg. 2.

EXultávit cor meum in Dómino: * & exaltátum est cornu meum, in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos: * quia lætáta sum, in salutári tuo.

Non

Non est sanctus, ut est Dóminus: * neque enim est álius extra te: * & non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, gloriántes.

Recédat vétera de ore vestro, quia Deus scientiárum Dóminus est: * & ipsi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est: * & infirmi accíncti sunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus se locavérunt: * & famélici saturáti sunt.

Donec stérilis péperit plúrimos: * & quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat & vivíficat: * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dóminus paúperem facit & ditat: * humíliat, & súblevat.

Súscitat de púlvere egénum: * & de stércore élevat páuperem.

Ut sédeat cum princípibus: * & solium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ: * & pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit: * & ímpii in tenébris conticéscent: * quia non in fortitúdine sua, roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus: * & super ipsos, in cælis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ: * & dabit impérium regi suo: * & sublimábit cornu, Christi sui.

Glória Patri.

Aña. Dóminus judicábit fines terræ.

Aña. Cæli cælórum laudáte Deum.

Psalmus. Laudáte Dóminum de cælis. 23.

Capitulum. Isaiæ 33.

Domine miserére nostri te expectávimus; esto bráchium nostrum in mane: & salus nostra in témpore tribulatiónis.

Per Annum ℣. Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ. ℟. Et salus nostra in témpore tribulatiónis.

Ad Benedictus, Aña. De manu ómnium qui nos odérunt líbera nos Dómine.

Preces dicuntur ut suprà Feria ij. 72.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Dóminum qui

qui fecit nos, veníte adorémus. *Psal.* Veníte exultémus. 2.

Aña. Dómine Deus.

Psalmus 68.

SAlvum me fac Deus: * quóniam intravérunt aquæ, uſque ad ánimam meam.

Infíxus ſum in limo profúndi: * & nō eſt ſubſtātia.

Veni in altitúdinem maris: * & tempéſtas, demérſit me.

Laborávi clamans: * raucæ factæ ſunt, ſauces meæ* defecérunt óculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Multiplicáti ſunt, ſuper capíllos cápitis mei: * qui odérunt me gratis.

Confortáti ſunt, qui perſecúti ſunt me inimíci mei injúſtè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus tu ſcis inſipiéntiam meam: * & delícta mea, à te non ſunt abſcóndita.

Non erubéſcant in me qui expéctant te Dómine: * Dómine virtútum.

Non confundántur ſuper me: * qui quærunt te, Deus Iſraël.

Quóniā propter te ſuſtínui oppróbrium: * opéruit confúſio, fáciem meam.

Extráneus factus ſum frátribus meis: * & peregrínus filiis, matris meæ.

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me: * & oppróbria exprobrántium tibi, cecidérunt ſuper me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam: * & factum eſt, in oppróbrium mihi.

Et póſui veſtiméntum cilícium: * & factus ſum illis, in parábolam.

Advérsùm me loquebántur, qui ſedébant in porta: * & in me pſallébant, qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónē meam ad te Dómine: * tempus beneplácitì Deus.

In multitúdine miſericórdiæ tuæ exáudi me: * in veritáte, ſalútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar: * líbera me ab his qui odérunt me, & de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéſtas aquæ: * neque abſórbeat me profúndum: * neque úrgeat ſuper me, Púteus os ſuum.

Exáudi me Dómine, quóniam benígna eſt miſericórdia tua: * ſecúndùm multitúdinem miſeratiónū tuárum, réſpice in me.

Et

Et ne avértas fáciem tuam, à púero tuo: * quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam: * propter inimícos meos, éripe me.

Tu scis impropérium meum, & confusiónem meam: * & reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me: * impropérium expectávit cor meum, & misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, & non fuit: * qui consolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel: * & in siti mea, potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum, coram ipsis in láqueum: * & in retributiónes, & in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne vídeant: * & dorsum eórum; semper incúrva.

Effúnde super os iram tuam: * & furor iræ tuæ, comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta: * & in tabernáculis eórum, non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt: * & super dolórem vúlnerum meórum, addidérunt.

Appóne iniquitátem, super iniquitátem eórum: * & non intrent in justítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium: * & cum justis non scribántur.

Ego sum pauper & dolens: * salus tua Deus suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico: * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vítulum novéllum: * córnua producéntem, & úngulas.

Vídeant páuperes, & læténtur: * quærite Deum, & vivet ánima vestra.

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus: * & vinctos suos, non despéxit.

Laúdent illum cæli & terra: * mare, & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion: * & ædificabúntur, civitátes Judæ.

Et inhabitábunt ibi: * & hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus, possidébit eam: * & qui díligunt

diligunt nomen ejus, habitábunt in eâ.

Psalmus 69.

DEus in adjutórium meum inténde: * Dómine ad adjuvándum me festína.

Confundántur & revereántur: * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum, & erubéscant: * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes: * qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te: * & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper sum, * Deus ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

Glória Patri.

Antiphona. Dómine Deus in adjutórium meum inténde.

Antiphona. Esto mihi.

Psalmus 70.

IN te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum, * in justítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, & salva me,

Esto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum: * ut salvum me fácias.

Quóniam firmaméntum meum, & refúgium meum es tu.

Deus meus éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agéntis, & iníqui.

Quóniam tu es, patiéntia mea Dómine: * Dómine spes mea, à juventúte meâ.

In te confirmátus sum, ex útero: * de véntre matris meæ, tu es protéctor meus.

In te cantátio mea semper, * tamquam prodígium factus sum multis, & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, * totâ die, magnitúdinem tuam.

Ne projícias me, in témpore senectútis, * cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi: * & qui custodiébant ánimã meam, consílium fecérunt in unum.

Dicéntes, Deus derelíquit eum, * persequímini, & comprehéndite eum, * quia non est, qui erípiat.

Deus ne elongéris à me, * Deus meus in auxílium meum réspice.

Confundántur, & defíciant detrahéntes ánimæ meæ: * operiántur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo, * & adjíciam, super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit justítiam tuam, * tota die, salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini, * Dómine memorábor, justítiæ tuæ solíus.

Deus docuísti me, à juventúte meâ, & usque nunc: * pronuntiábo, mirabília tua.

Et usque in senéctam & sénium, Deus ne derelínquas me.

Donec annúntiem bráchium tuum: * generatióni omni, quæ ventúra est.

Poténtiam tuam, & justítiam tuam Deus usque in altíssima, quæ fecísti magnália: * Deus quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas & malas: * & convérsus vivificásti me: * & de abyssis terræ, íterum reduxísti me!

Multiplicásti magnificéntiam tuam, * & convérsus, consolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam Deus, * psallam tibi in citharâ, sanctus Israël.

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi, * & ánima mea, quam redemísti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam, * cùm confúsi, & reveríti fúerint, qui quærunt mala mihi.

Psalmus 71.

DEus, judícium tuum Regi da, * & justítiam tuam filio Regis.

Judicáre pópulum tuum in justítiâ * & páuperes tuos, in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo: * & colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet filios páuperum: * & humiliábit

bit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, & ante lunam : * in generatióne, & generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia, super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * & à flúmine usque ad términos, orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus, terram lingent.

Reges Tharsis, & Insulæ múnera ófferent, * reges Arabum, & Saba, dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes Reges, * omnes Gentes, sérvient ei.

Quia liberábit páuperem à poténte, * & páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & ínopi: * & ánimas páuperum, salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte, rédimet ánimas eórum : * & honorábile nomen eórum, coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ : * & adorábunt de ipso semper :* totâ die benedícent ei.

Erit firmaméntum in terrâ, in summis móntium : * superextollétur super Líbanum fructus ejus, * & florébunt de civitáte, sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula, * ante solem pérmanet, nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso, omnes tribus terræ: * omnes Gentes, magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël, * qui facit mirabília solus.

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum, * & replébitur majestáte ejus omnis terra fiat, fiat.

Glória Patri.

Aña. Esto mihi Dómine in Deum protectórem.

Aña. Liberásti virgam.

Psalmus 72.

QUàm bonus Israël Deus, * his qui recto sunt corde !

Mei autem penè moti sunt pedes: * penè effúsi sunt, gressus mei.

Quia zelávi super iníquos : * pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus morti eórum : * & firmaméntum, in plagâ eórum.

In labóre hóminum non sunt:* & cum homínibus, non flagellabúntur.

Ideo ténuit eos supérbia : * opérti sunt iniquitáte, & impietáte sua.

Pródiit quasi ex ádipe, iníquitas eórum : * transiérunt, in afféctum cordis.

Cogitavérunt, & locúti sunt nequítiam : * iniquitátem in excélso, locúti sunt.

Posuérunt in cœlo os suum, * & lingua eórum, transívit in terrâ.

Ideò convertétur pópulus meus hic: * & dies pleni, inveniéntur in eis.

Et dixérunt, Quómodo scit Deus,* & si est sciéntia in Excélso?

Ecce ipsi peccatóres, & abundántes in sæculo : * obtinuérunt divítias.

Et dixi, Ergo sine causa justificávi cor meum : * & lavi inter innocéntes, manus meas.

Et fui flagellátus totâ die : * & castigátio mea, in matutínis.

Si dicébam, Narrábo sic:* ecce natiónem filiórum tuórum, reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc : * labor est ante me.

Donec intrem in sanctuárium Dei : * & intélligam, in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis : * dejecísti eos, dum allevaréntur.

Quómodo facti sunt in desolatiónem: * súbitò defecérunt : * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium : * Dómine, in civitáte tuâ imáginem ipsórum, ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, & renes mei commutáti sunt : * & ego ad níhilum redáctus sum, & nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te, * & ego semper tecum.

Tenuísti manum déxteram meam : * & in voluntáte tuâ deduxísti me : * & cum glória, suscepísti me.

Quid enim mihi est in cælo ! * & à te quid vólui super terram ?

Defécit caro mea, & cor meum :

meum : * Deus cordis mei, & pars mea Deus, in ætérnum.

Quia ecce, qui elóngant se à te, períbunt : * perdídisti omnes, qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est : * pónere in Dómino Deo, spem meam.

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas : * in portis fíliæ Sion.

Psalmus 73.

UT quid Deus repulísti in finem : * irátus est furor tuus, super oves páscuæ tuæ.

Memor esto congregatiónis tuæ : * quam possedísti, ab inítio.

Redemísti virgam hæreditátis tuæ,* mons Sion,in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem, * quanta malignátus est,inimícus in sancto !

Et gloriáti sunt qui odérunt te, * in médio, solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa,& non cognovérunt,* sicut in éxitu, super summum.

Quasi in silvâ lignórum, secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum, * in secúri & áscia, dejecérunt eam.

Incendérunt igni, Sanctuárium tuum in terrâ ; * polluérunt tabernáculum, nóminis tui.

Dixérunt in corde suo, cognátio eórum simul, * Quiéscere faciámus, omnes dies festos Dei à terrâ.

Signa nostra non vídimus, jam non est prophéta, * & nos non cognóscet ámplius.

Usquequò Deus improperábit inimícus, * irrítat adversárius, nomen tuum in finem ?

Ut quid avertis manum tuam, * & déxteram tuam, de médio sinu tuo in finem ?

Deus autem Rex noster ante sæcula: * operátus est salútem, in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tuâ mare, * contribulásti cápita dracónum, in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis,* dedísti eum escam, pópulis Æthíopum.

Tu dirupísti fontes, & torréntes, * tu siccásti, flúvios Ethan.

Tuus est dies, & tua est nox, * tu fabricátus es, auróram & solem.

Tu fecísti omnes términos terræ, * æstátem & ver, tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino: * & pópulus insípiens, incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * & ánimas páuperum tuórum, ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum, * quia repléti sunt qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper & inops, laudábunt nomen tuum.

Exúrge Deus, júdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum: * eórum quæ ab insipiénte, sunt totâ die,

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum, * supérbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Glória Patri.

Antiphona. Liberásti virgam hæreditátis tuæ.

Antiphona. In Israël.

Psalmus 74.

CONFITEBIMUR tibi Deus: * confitébimur, & invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: * cùm accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, & omnes qui hábitant in eâ: * ego confirmávi, colúmnas ejus.

Dixi iníquis, Nolíte iníquè ágere: * & delinquéntibus, Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsùs Deum, iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque à desértis móntibus * quóniam Deus, judex est.

Hunc humíliat, & hunc exáltat: * quia calix in manu Dómini, vini meri, plenus mixto

Et inclinávit ex hoc in hoc: * verúmtamen fæx ejus non est exinaníta: * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum: * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum

tórum confríngam : * & exaltabúntur córnua justi

Psalmus 75.

NOtus in Judæâ Deus,* in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus : * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias:* arcum , scutum , & gládium , & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis turbáti sunt omnes , insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum,* & nihil invenérunt omnes viri divitiárum , in mánibus suis.

Ab increpatióne tuá Deus Jacob: * dormitavérunt , qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es & quis resístet tibi : * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecísti judícium ,* terra trémuit, & quiévit.

Cùm exúrgeret in judícium Deus : * ut salvos fáceret , omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi:* & relíquiæ cogitatiónis,diem festum agent tibi.

Vovéte & réddite Dómino Deo vestro : * omnes qui in circúitu ejus, affértis múnera.

Terríbili, & ei qui aufert spíritum príncipum : * terríbili , apud omnes reges terræ. Glória Patri.

Aña. In Israël magnum nomen Dómini.

Aña. Tu es Deus.

Psalmus 76.

VOce meâ ad Dóminum clamávi : * voce meâ ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiônis meæ, Deum exquisívi , mánibus meis nocte contra eum : * & non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea : * memor fui Dei , & delectátus sum, & exercitátus sum : * & defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei: * turbátus sum, & non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos:* & annos ætérnos , in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo :* & exercitábar , & scopébam, spíritum meum.

Numquid in ætérnum

projíciet Deus: * aut non appónet, ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet: * à generatióne, in generatiónem?

Aut oblivíscétur miseréri Deus? * aut continébit in irâ suâ, misericórdias suas?

Et dixi, Nunc cæpi: * hæc mutátio déxteræ Excélsi.

Memor fui óperum Dómini: * quia memor ero ab inítio, mirabíliũ tuórũ.

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis: * & in adinventiónibus tuis, exercébor.

Deus in sancto via tua, * quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus, qui facis mirabília.

Notam fecísti in pópulis, virtútem tuam, * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, filios Jacob & Joseph.

Vidérunt te aquæ Deus, vidérunt te aquæ; & timuérunt: * & turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitûs aquárum: * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagíttæ tuæ tránseunt: * vox tonítrui tui, in rotâ.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ: * commóta est, & contrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis: * & vestígia tua, non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum: * in manu Móysi, & Aaron.

Psalmus 77.

ATtẽdite pópule meus legem meam: * inclináte aurem vestram, in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum: * loquar propositiónes, ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea: * & patres nostri, narravérunt nobis?

Non sunt occultáta à filiis eórum: * in generatióne álterâ.

Narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus: * & mirabília ejus, quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob: * & legem pósuit in Israël.

Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea filiis

filiis suis : * ut cognóscat generátio áltera.

Fílij qui nascéntur , & exúrgent : * & narrábunt filiis suis.

Ut ponant in Deo spem suam: * & non oblivíscantur óperum Dei : * & mandáta ejus exquírant.

Ne fiant sicut patres eórum : * generátio prava,& exásperans.

Generátio quæ non diréxit cor suum : * & non est créditus cum Deo, spíritus ejus.

Fílij Ephrem intendéntes & mitténtes arcum : * convérsi sunt, in die belli.

Non custodiérunt testaméntum Dei : * & in lege ejus, noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus : * & mirabílium ejus , quæ osténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terrâ Ægypti : * in campo Táneos.

Interrúpit mare, & perdúxit eos,* & státuit aquas quasi in utre.

Et dedúxit eos in nube die , * & totâ nocte, in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo : * & adaquávit eos, velut in abysso multâ.

Et edúxit aquam de petra , * & edúxit tamquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei : * in iram excitavérunt Excélsum, in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis, * ut péterent escas, animábus suis.

Et malè locúti sunt de Deo : * dixérunt , Numquid póterit Deus , paráre mensam , in desérto ?

Quóniam percússit petram , & fluxérunt aquæ: * & torréntes inundavérunt.

Numquid & panem póterit dare , * aut paráre mensam, pópulo suo ?

Ideò audívit Dóminus, & dístulit, * & ignis accénsus est in Jacob ; * & ira ascéndit in Israël.

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt, in salutári ejus.

Et mandávit núbibus désuper , * & jánuas cæli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducándum : * & panem cæli , dedit eis.

Panem Angelórum man-

ducávit homo: * cibária misit eis, in abundántiã.

Tránstulit Austrum de cælo, * & indúxit in virtúte suâ Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes: * & sicut arénam maris, volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum: * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, & saturáti sunt nimis: * & desidérium eórum áttulit eis: * non sunt fraudáti, à desidério suo.

Adhuc escæ eórum, erant in ore ipsórum: * & ira Dei, ascéndit super eos.

Et occídit pingues eórum, * & eléctos Israël impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * & non credidérunt, in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum, cum festinatióne.

Cùm occíderet eos, quærebant eum, & revertebántur: * & dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt, quia Deus adjútor est eórum: * & Deus excélsus, redémptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo: * & linguâ suâ, mentíti sunt ei.

Cor autem eórum, non erat rectum cum eo: * nec fidéles hábiti sunt, in testaménto ejus.

Ipse autem est miséricors, & propítius fiet peccátis eórum: * & non dispérdet eos.

Et abundávit, ut avérteret iram suam: * & non accéndit, omnem iram suam.

Et recordátus est quia caro sunt: * spíritus vadens, & non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in desérto, * in iram concitavérunt eum, in inaquóso?

Et convérsi sunt, & tentavérunt Deum, * & sanctum Israël, exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manûs ejus, * die qua redémit eos, de manu tribulántis.

Sicut pósuit in Ægypto signa sua: * & prodígia sua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum, * & imbres

imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cynomyam, & comédit eos: * ranam, & dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum:* & labóres eórum locústæ.

Et occídit in grándine víneas eórum: * & moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum: * & posséssiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ: * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem: * immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ, * & non pepércit à morte animárum eórum:* & juménta eórum, in morte conclúsit.

Et percússit omne primogénitum in terrâ Ægypti: * primítias omnis labóris eórum, in tabernáculis Cham.

Et ábstulit sicut oves, pópulum suum: * & perdúxit eos, tamquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in spe, & non timuérunt,* & inimícos eórum, opéruit mare.

Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suæ: * montem quem acquisívit, déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum Gentes: * & sorte divísit eis terram, in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum, tribus Israël.

Et tentavérunt & exacerbavérunt Deum excélsum: * & testimónia ejus, non custodiérunt.

Et avertérunt se, & non servavérunt pactum: * quemádmodum patres eórum, convérsi sunt, in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis: * & in sculptílibus suis, ad æmulatiónem, eum provocavérunt.

Audívit Deus & sprevit:* & ad níhilum, redégit valdè Israël.

Et répulit tabernáculum Silo: * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem, virtútem eórum, * & pulchritúdinem eórum, in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum: * & hæ-

reditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis: * & vírgines eórum, non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt: * & víduæ eórum, non plorabántur.

Et excitátus est tamquam dórmiens Dóminus:* tamquam potens, crapulátus à vino.

Et percússit inimícos suos in posterióra: * oppróbrium sempitérnum, dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph: * & tribum Ephraim, non elégit.

Sed elégit tribum Juda:* montem Sion, quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctificiũ suum:* in terra quam fundávit in sæcula.

Et elégit David servum suum: * & sústulit eum de grégibus óvium: * de post fœtántes, accépit eum.

Páscere Jacob servum suum: * & Israël hæreditátem suam.

Et pavit eos in innocéntiâ cordis sui: * & in intelléctibus mánuum suárum, dedúxit eos.

Glória Patri.

Aña. Tu es Deus, qui facis mirabília,

Aña. Propítius.

Psalmus 78.

DEus venérunt Gentes in hæreditátẽ tuam: * polluérunt templum sanctum tuum: * posuérunt Jerúsalem, in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus cæli: * carnes sanctórum tuórum, béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tãquam aquam in circúitu Jerúsalem: * & non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris: * subsannátio & illúsio, his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequò Dómine irascéris in finem: * accendétur velut ignis, zelus tuus?

Effúnde iram tuam in Gentes, quæ te non novérunt: * & in regna, quæ nomen tuum non invocavérunt.

Quia comedérunt Jacob: * & locum ejus, desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: * citò antícipent nos misericórdiæ tuæ: * quia páuperes, facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutáris noster: * & propter glóriam nóminis tui Dómine, líbera nos.

Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum:* ne fortè dicant in Géntibus, Ubi est Deus eórum?

Et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris: * últio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est.

Introëat in conspéctu tuo, gémitus compeditórum: * secúndùm magnitúdinem bráchij tui, possíde filios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum:* impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi Dómine.

Nos autem pópulus tuus, & oves páscuæ tuæ: * confitébimur tibi, in sæculum.

In generatióne & generatiónem, annuntiabimus laudem tuam.

Psalmus 79.

QUi regis Israël, intènde: * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim manifestáre: * coram Ephraim, Bénjamin, & Manásse.

Excita poténtiam tuam, & veni: * ut salvos fácias nos,

Deus convérte nos: * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Dómine Deus virtútum: * quoúsque irascéris, super oratiónem, servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum: * & potum dabis nobis; in lácrymis, in mensúrâ.

Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris: * & inimíci nostri, subsannavérunt nos,

Deus virtútum convérte nos: * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Víneam de Ægypto transtulísti: * ejecísti Gentes, & plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus: * & plantásti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra

ejus:

ejus : * & arbústa ejus, cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare : * & usque ad flumen, propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus : * & vindémiant eam omnes, qui prætergrediúntur viam ?

Exterminávit eam aper de silva : * & singuláris ferus, depástus est eam.

Deus virtútum convértere : * réspice de cælo, & vide : * & vísita víneam istam.

Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua : * & super filium hóminis, quem confirmásti tibi.

Incénsa igni, & suffóssa : * ab increpatióne, vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ : * & super filium hóminis, quem confirmásti tibi.

Et non discédimus à te : * vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum convérte nos : * & ostén de fáciem tuam, & salvi érimus.

Glória Patri.

Antiphona. Propítius esto peccátis nostris Dómine.

Per Annum. ℣. Gaudébunt lábia mea cùm cantávero tibi. ℟. Et ánima mea quam redemísti.

AD LAUDES.

Antiphona.

Tibi soli peccávi Dómine: miserére mei.

Psalmus. Miserére. 60.

Aña. Dómine refúgium.

Psalmus idem 89.

DOmine refúgium, factus es nobis : * à generatióne, in generatiónem.

Priúsquam montes fierent, aut formarétur terra & orbis : * à sæculo & in sæculum, tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem : * & dixísti, Convertímini, filii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos : * tamquam dies hestérna, quæ prætériit.

Et custódia in nocte : * quæ pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

Manè sicut herba tránseat : * manè flóreat, & tránseat : * vésperè décidat indúret, & aréscat.

Quia defécimus in irâ tuâ :

tua: * & in furóre tuo, turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo: * sæculum nostrum, in illuminatióne vultûs tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt: * & in irâ tuâ defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur: * dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni.

Si autem in potentátibus octogínta anni: * & ámpliùs eórum, labor & dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo, & corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ: * & præ timóre tuo, iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac: * & eruditos corde, in sapiéntiâ.

Convértere Dómine úsquequo: * & deprecábilis esto, super servos tuos.

Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ: * & exultávimus & delectáti sumus, in ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti: * annis quib⁹ vídimus mala.

Réspice in servos tuos, & in ópera tua: * & dírige, filios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos: * & ópera mánuum nostrárum, dírige super nos: * & opus mánuum nostrárum dírige.

Glória Patri.

Antiph. Dómine refúgium factus es nobis.

Aña. In matutínis Dómine meditábor in te.

Psal. Deus Deus meus. 21.

Aña. In ætérnum Dñs.

Cantic. Moysi Exod. 15.

CAntémus Dómino, gloriósè enim honorificátus est: * equum & ascensórem, projécit in mare.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus: * & factus est mihi, in salútem.

Iste Deus meus, & glorificábo eum: * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, omnipotēs nomen ejus, * currus Pharaónis, & exércitum ejus, projécit in mare.

Elécti príncipes ejus submérsi sunt in mari Rubro: * abyssi operuérunt eos: * descendérunt in profúndum, quasi lapis.

Déxtera tua Dómine magnificáta est in fortitúdine: * déxtera tua Dómine percússit inimícum: * & in multitúdine glóriæ tuæ, deposuísti adversários meos.

Misísti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam: * & in spíritu furóris tui, congregátæ sunt aquæ.

Stetit unda fluens: * congregátæ sunt abyssi, in médio mari.

Dixit inimícus, Pérsequar, & comprehéndam: * dívidam spólia, & implébitur ánima mea.

Evaginábo gládiū meū: * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare: * submérsi sunt quasi plumbum, in aquis veheméntibus.

Quis símilis tui in fórtibus Dómine? * quis símilis tui, magníficus in sanctitáte: * terríbilis atque laudábilis, & fáciens mirabília?

Extendísti manum tuā: * & devorávit eos terra.

Dux fuísti in misericórdia tua: * pópulo quem redemísti.

Et portásti eum in fortitúdine tua: * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, & iráti sunt: * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom: * robústos Moab obtínuit tremor: * obriguérunt, omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído & pavor: * in magnitúdine bráchij tui.

Fiant immóbiles quasi lapis: * donec pertránseat pópulus tuus Dómine: * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ: * firmíssimo habitáculo tuo, quod operátus es Dómine.

Sanctuárium tuum Dómine quod firmavérunt manus tuæ: * Dñs regnábit in ætérnum, & ultrà.

Ingréssus est enim eques Phárao, cum cúrribus & equítibus ejus in mare: * & redúxit super eos Dóminus, aquas maris.

Fílij autem Israël ambulavérunt per siccum: * in médio ejus. Glória Patri.

Ant. In ætérnum Dóminus regnábit & ultrà.

Aña.

Ana. In sanctis ejus laudáte Deum. *Psalm.* Laudáte Dóminum de cælis. 23.

Capitulum. Isaiæ 53.

DOmine miserére nostri te expectávimus; esto bráchium nostrum in manè: & salus nostra in témpore tribulatiónis.

Per Annum. ℣. Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ. ℟. Et exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiph. Memoráre Dómine testaménti sancti tui & fac nobíscum redemptiónem.

Preces dicuntur ut suprà Feria ij. 72.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Adorémus Dóminum, quóniam ipse fecit nos.

Psalmus. Veníte. 2.

Aña. Exultáte Deo.

Psalmus 80.

EXultáte Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, & date tympanum: * psaltérium jocúndum, cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba:* in insígni die solemnitatis vestræ.

Quia præcéptum in Israël est: * & judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud: * cùm exíret de terra Ægypti, linguam quam nō nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus: * manus ejus, in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, & liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis: * probávi te apud aquam, contradictiónis.

Audi pópulus meus, & contestábor te: * Israël si audíeris me, non erit in te Deus recens: * neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti: * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam: * & Israël, non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndùm desidéria cordis eórum: * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me: * Israël si in viis meis ambulásset.

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem: * & super tribulántes eos, misíssem manum meam.

Inimíci

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * & erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit illos ex ádipe fruménti : * & de petra melle, saturávit eos.

Psalmus 81.

DEus stetit in synagóga deórum: * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem:* & fácies peccatórum súmitis ?

Judicáte egéno & pupíllo : * húmilem & páuperem justificáte.

Erípite paúperem : * & egénum , de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt , in ténebris ámbulant: * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi,Dij estis : * & filij Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini: * & sicut unus de princípibus cadétis.

Surge Deus , júdica terram :* quóniam tu hæreditábis, in ómnibus Géntibus, Glória Patri.

Ana. Exultáte Deo adjutóri nostro.

Aña. Tu solus. *Ps.* 82.

DEus , quis símilis erit tibi ; * ne táceas , neque compescáris Deus.

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulũ tuum malignavérunt consílium : * & cogitavérunt , advérsùs sanctos tuos.

Dixérunt, Veníte , & disperdámus eos de Gente : * & non memorétur, nomen Israël ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanimiter : * simul advérsùm te testaméntum dispofuérunt, tabernácula Idumæórum , & Ismahelítæ.

Moab, & Agaréni,Gebal, & Ammon,& Amalec : * alienígenæ cum habitántibus Tyrum,

Etenim Assur venit cum illis : * facti sunt in adjutórium filiis Lot.

Fac illis sicut Mádian,& Sísaræ : * sicut Jabin in torrénte Cisson.

Disperiérunt in Endor:* facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb : * Zeb , Zébee, & Sálmana.

Omnes príncipes eórum qui dixérunt : * Hæreditáte possideámus, sanctuárium Dei.

Deus meus pone illos ut rotam : * & sicut stipulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit silvam : * & sicut flamma combúrens montes.

Ita persequéris illos in tempestáte tuâ : * & in irâ tuâ, turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ, * & quærent nomen tuum Dómine.

Erubéscant & conturbéntur in sæculum sæculi : * & confundántur & péreant.

Et cognóscant quia nomen tibi Dóminus : * tu solus Altíssimus, super omnem terram.

Psalmus 83.

QUàm diléсta tabernácula tua Dómine virtútum : * concupíscit & déficit ánima mea, in átria Dómini.

Cor meum & caro mea, exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum : * Rex meus & Deus meus,

Beáti qui hábitant in domo tuâ * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit in valle lacrymárum : * in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor : * ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónē meam : * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * & réspice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis, super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quàm habitáre, in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus : * grátiam & glóriam, dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te. Glória Patri.

Aña. Tu solus Altíssimus super omnem terram.

Aña. Benedixísti.

Psalmus idem 84.

BEnedixísti Dómine terram tuam: * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab irâ indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus salutáris noster: * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis: * aut exténdes iram tuam, à generatióne in generatiónem?

Deus tu convérsus vivificábis nos: * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam: * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem, in plebem suam.

Et super sanctos suos: * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen propè timéntes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória, in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * & justítia, de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * & terra nostra, dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit: & ponet in via gressus suos.

Psalmus 85.

INclína Dómine aurem tuam, & exáudi me: * quóniam inops & pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus sperántem in te.

Miserére mei Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui: * quóniam ad te Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu Dómine suávis & mitis: * & multæ misericórdiæ. ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe Dómine oratiónem meam: * & inténde voci, deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te: * quia exaudísti me.

Non

Non est símilis tui in diis Dómine : * & non est secúndùm ópera tua.

Omnes Gentes quascúmque fecisti, venient, & adorábunt coram te Dómine : * & glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília: * tu es Deus solus.

Deduc me Dómine in viâ tuâ, & ingrédiar in veritate tua : * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi Dómine Deus meus in toto corde meo : * & glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia misericórdia tua magna est super me: * & eruisti ánimam meam, ex inférno inferióri.

Deus iniqui insurrexérunt super me : * & synagóga potentium, quæsiérunt ánimam meam : * & non proposuérunt te , in conspéctu suo.

Et tu Dómine Deus miserátor & miséricors : * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me, & miserére mei : * da impérium tuum púero tuo : * & salvum fac filium, ancíllę tuæ.

Fac mecum signum in bonum : * ut vídeant qui odérunt me , & confundántur: * quóniam tu Dómine adjuvisti me, & consolátus es me.

Glória Patri.

Ant. Benedixísti Dómine terram tuam.

Ant. Fundaménta ejus.

Psalmus idem 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dominus portas Sion, super ómnia tabernácula Jacob,

Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babylónis sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus & pópulus Æthíopum* hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet, Homo ;* & homo natus est in ea : * & ipse fundávit eam Altíssimus.

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum : * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætantium ómnium, habitátio est in te.

Psalmus 87.

DOmine Deus salútis meæ : * in die clamávi,

vi, & nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclina aurem tuam, ad precem meã.

Quia repléta est malis ánima mea : * & vita mea in inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámpliùs : * & ipsi de manu tuâ repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri : * in tenebrósis, & in umbrâ mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * & omnes fluctus tuos, induxísti super me

Longè fecísti notos meos à me : * posuérunt me, in abominatiónem sibi.

Tráditus sum & non egrediebar: * óculi mei languérunt, præ inópiâ,

Clamávi ad te Dómine:* tota die expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília : * aut médici suscitábunt, & confitebúntur tibi ?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam: * & veritátem tuam in perditiónem?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua: * & justitia tua, in terra obliviónis ?

Et ego ad te Dómine clamávi : * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid Dómine repéllis oratiónem meam : * avértis fáciem tuam à me ?

Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte mea: * exaltátus autem humiliátus sum, & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ : * & terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die : * circumdedérunt me simul.

Elongásti à me amícum & próximum : * & notos meos, à miséria.

Glória Patri.

Aña. Fundaménta ejus in móntibus sanctis.

Antiphona. Benedíctus.

Psalmus 88.

MIsericórdias Dómini in ætérnum cantábo: * in generatióne & generatiónem, annuntiábo veritátem tuã, in ore meo.

Quóniam

Quóniam dixísti, in ætérnum misericórdia ædificábitur in cælis: * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis: * jurávi David servo meo: * usque in ætérnum præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatióne, & generatiónem sedem tuam.

Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine: * étenim veritátem tuam, in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino: * símilis erit Deo, in fíliis Dei?

Deus qui glorificátur, in consílio sanctórum: * magnus & teríbilis super omnes, qui in circúitu ejus sūt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es Dómine: * & véritas tua, in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris: * motum autem flúctuum ejus, tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum: * in bráchio virtútis tuæ, dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cæli & tua est terra: * orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti: * Aquilónem & mare, tu creásti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt: * tuū bráchiū cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua: * justítia & judícium, præparátio sedis tuæ.

Misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam: * beátus pópulus qui scit jubilatiónem.

Dómine in lúmine vultûs tui ambulabunt: * & in nómine tuo exultábunt tota die: * & in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es: * & in beneplácito tuo, exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra, * & sancti Israël regis nostri,

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis: * & dixísti, Pósui adjutórium in poténte: * & exaltávi eléctum, de plebe meâ.

Invéni David servum meum: * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei: * & bráchium meum, confirmábit eum.

Nihil profíciet inimícus

in

in eo; * & filius iniquitátis, non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus: * & odiéntes eum, in fugam convértam.

Et veritas mea, & misericórdia mea cum ipso: * & in nómine meo, exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus; * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me, Pater meus es tu; * Deus meus, & suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum; * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam; * & testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus; * & thronum ejus, sicut dies cæli.

Si autem dereliquerint filij ejus legem meam; * & in judíciis meis non ambuláverint.

Si justítias meas profanáverint: * & mandáta mea non custodíerint.

Visitábo in virgâ iniquitátes eórum; * & in verbéribus, peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo: * neque nocébo, in veritáte mea.

Neque profanábo testaméntum meum; * & quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar: * semen ejus, in ætérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo: * & sicut luna perfécta in ætérnum: * & testis in cœlo fidélis.

Tu verò repulísti & despexísti: * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui: * profanásti in terra sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus: * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeuntes viam: * factus est oppróbrium, vicínis suis.

Exaltásti déxteram depriméntium eum: * lætificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládij ejus: * & non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne,

datióne: * & sedem ejus in terra collisísti.

Minorásti dies témporis ejus: * perfudísti eum confusióne,

Usquequò Dómine avértis in finem: * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia: * numquid enim vanè constituísti omnes filios hóminum?

Quis est homo qui vivet, & non vidébit mortem: * éruet ánimam suam, de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuę antiquæ Dñe: * sicut jurásti David, in veritáte tua?

Memor esto Dómine opprobrij servórum tuórum: * quod contínui in sinu meo, multárum géntium.

Quòd exprobravérunt inimíci tui Dómine: * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum, fiat, fiat,

Psalmus 93.

DEus ultiónum Dóminus: * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre qui júdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

Usquequò peccatóres Dómine: * úsquequò peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur, & loquéntur iniquitatem: * loquéntur omnes, qui operántur injustitiam.

Pópulum tuum Dómine humiliavérunt: * & hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam & ádvenam interfecérunt: * & pupíllos occidérunt.

Et dixérunt, Non vidébit Dóminus: * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite insipiéntes in pópulo: * & stulti aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem non áudiet? * aut qui finxit óculum non consíderat?

Qui córripit Gentes non árguet? * aut qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, quóniam vanæ sunt,

Beátus homo, quem tu erudíeris Dómine: * & de lege tua, docúeris eum.

Ut mítiges ei à diébus malis: * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam: * & hæreditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque justítia convertátur in judícium: * & qui juxtà illam: * omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsùs malignántes: * aut quis stabit mecum, advérsùs operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me: * paulóminùs habitásset, in inférno ánima mea.

Si dicébam, Motus est pes meus: * misericórdia tua Dñe adjuvábat me.

Secúndùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo: * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis: * qui fingis laborem in præcépto?

Captábunt in ánimam justi: * & sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium: * & Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum: * & in malítia eórum dispérdet eos: * dispérdet illos, Dóminus Deus noster.

Glória Patri.

Aña. Benedíctus Dóminus in æternum.

Aña. Cantáte Dómino.

Psalmus idem. 95.

CAntáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem, salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus: * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudabilis nimis, * terríbilis est, super omnes deos.

Quóniam omnes dij Géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus, * sanctimónia & magnificéntia, in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ Géntium, * afférte Dómino glóriam,& honórem, * afferte Domino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias,& introíte in átria ejus, * adoráte Dóminum, in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in Géntibus, Quia Dóminus regnavit.

Etenim

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur, * judicábit pópulos, in æquitáte.

Læténtur cæli, & exúltet terra, * commoveátur mare, & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum à fácie Dómini quia venit,* quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte: * & pópulos in veritáte sua.

Psalmus 96.

DOminus regnávit exúltet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus, * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet: * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra,

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus, * & vidérunt omnes pópuli, glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * & qui gloriántur, in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus, * audívit & lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram, * nimis exaltátus es, super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum: * de manu peccatóris, liberábit eos.

Lux orta est justo:* & rectis corde, lætítia.

Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memóriæ, sanctificatiónis ejus.

Glória Patri.

Antiphona. Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus.

Per Annum, ℣. Beátus homo quem tu erudíeris Dómine. ℟. Et de lege tua docúeris eum.

AD LAUDES.

Ana. Redde mihi lætítiam salutáris tui Dómine.

Psalmus. Miserére. 69.

Aña. In veritáte tuâ.

Psalmus 142.

DOmine exáudi oratiónem meam,* áuribus pércipe obsecratiónem meam, in veritáte tua: * exáudi me, in justítia tua.

Et non intres in judícium cum servo tuo: * quia non justificábitur in conspéctu tuo, omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra, vitam meam.

Collocávit me in obscúris, sicut mórtuos sæculi, * & anxiátus est super me spíritus meus, * in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, * meditátus sum in ómnibus opéribus tuis,* & in factis mánuum tuárum, meditábar.

Expándi manus meas ad te, * ánima mea sicut terra, sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me Dómine, * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me, * & símilis ero, descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè, misericórdiam tuam: * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem, * quia ad te levávi, ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis Dómine, ad te confúgi, * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam,* propter nomen tuũ Dómine vivificábis me, in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam,* & in misericórdia tua dispérdes, omnes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam, * quóniam ego servus tuus sum. Glória Patri.

Aña. In veritáte tua exáudi me Dómine.

Antiph. Illúmina Dómine vultum tuum super nos.

Psalmus. Deus Deus meus ad te 21.

Aña. Audítum tuum.

Canticum Habacuc.

Cap. 3.

DOmine audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine opus tuum: * in médio annórum vivífica illud.

In

In médio annórum notum fácies : * cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab Austro véniet,* & sanctus de monte Pharan.

Opéruit cælos glória ejus,* & laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit,* córnua in mánibus ejus, * ibi abscóndita est fortitúdo ejus.

Ante fáciem ejus ibit mors, * egrediétur diábolus ante pedes ejus.

Stetit & mensus est terram, * aspéxit & dissólvit Gentes, * & contríti sunt montes sæculi.

Incurváti sunt colles mundi, * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ : * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? * vel in mari indignátio tua?

Qui ascéndes super equos tuos : * & quadrígæ tuæ salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum : * juraménta tríbubus, quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ : * vidérunt te, & doluérunt montes : * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam : * altitúdo manus suas levávit.

Sol & luna stetérunt in habitáculo suo : * in luce sagittárum tuárum ibunt:* in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram : * in furóre obstupefácies Gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui : * in salútem cum Christo tuo.

Percussísti caput de domo ímpii : * denudásti fundaméntum ejus, usque ad collum,

Maledixísti sceptris ejus:* cápiti bellatórum ejus : * veniéntibus ut turbo, ad dispergéndum me.

Exultátio eórum : * sicut ejus qui devórat páuperem in abscóndito,

Viam fecísti in mari equis tuis : * in luto aquárum multárum.

Audívi,& conturbátus est venter meus:* à voce contremuérunt, lábia mea.

Ingrediátur putrédo in

óſſibus meis : * & ſubter me ſcáteat.

Ut requiéſcam in die tribulatiónis : * ut aſcéndam ad pópulum accínctum noſtrum.

Ficus enim non floré-bit : * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ : * & arva non áfferēt cibum.

Abſcindétur de ovíli pecus : * & non erit arméntum in præſépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo : * & exultábo in Deo Jeſu meo.

Deus Dóminus fortitûdo mea : * & ponet pedes meos quaſi cervórum.

Et ſuper excélſa mea dedúcet me victor, in pſalmis canéntem.

Glória Patri.

Ant. Audítum tuum Dómine audívi, & tímui.

Aña. In tympano & choro, in chordis & órgano laudáte Deum.

Pſalmus. Laudáte Dóminum de cælis. 23.

Capitulum. Iſaiæ 33.

Domine miſerére noſtri te expectávimus; eſto bráchium noſtrum in manè : & ſalus noſtra in témpore tribulatiónis.

Per Annum, ℣. Replé-ti ſumus manè miſericórdiâ tuâ. ℟. Et exultávimus & delectáti ſumus.

Ad Benedictus, Antiphona. Liberáti ſerviámus Dómino Deo noſtro in ſanctitáte.

Deinde dicuntur Preces. ut ſuprà. 72.

Quando verò dicuntur Magna, habentur in Feria ij.

SABBATO
Ad Matutinum.

Invitatorium. Dóminum Deum noſtrum, veníte adorémus.

Pſalmus. Veníte exultémus. 2.

Antiph. Quia mirabília.

Pſalmus 97.

Cantáte Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxteræ ejus : * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum : * ante conſpéctum Géntium, revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, & veritátis ſuæ dómui Iſraël.

Vidérunt omnes términi terræ, ſalutáre Dei noſtri:

ſtri : * jubiláte Dómino omnis terra : * cantáte & exultáte & pſállite.

Pſállite Dómino in cítharâ, in cíthara, & voce pſalmi : * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpéctu Regis Dómini : * moveátur mare & plenitúdo ejus : * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu ſimul ; * montes exultábunt à conſpéctu Dómini * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia : * & pópulos in æquitáte.

Pſalmus 98.

DOminus regnávit, iraſcántur pópuli : * qui ſedet ſuper Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * & excélſus ſuper omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & ſanctum eſt : * & honor Regis, judícium díligit.

Tu paráſti directiónes:* judícium & juſtítiam in Jacob tu fecíſti.

Exaltáte Dñm Deum noſtrum ; * & adoráte ſcabéllum pedum ejus, quóniam ſanctum eſt.

Móyſes & Aaron in Sacerdótibus ejus : * & Sámuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipſe exaudiébat eos : * in colúmnâ nubis, loquebátur ad eos.

Cuſtodiébant teſtimónia ejus: * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noſter tu exaudiébas eos : * Deus tu propítius fuíſti eis: * & ulcíſcens in omnes, adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deũ noſtrum : * & adoráte in monte ſancto ejus : * quóniam ſanctus Dóminus Deus noſter.

Glória Patri.

Antiphona. Quia mirabília fecit Dóminus.

Antiph. Jubiláte Deo.

Pſalmus idem 99.

JUbiláte Dómino, omnis terra : * ſervíte Dómino in lætítia.

Intróite in conſpéctu ejus in exultatióne : * ſcitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus : * ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Pópulus ejus, & oves

páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne: * átria ejus in hymnis, confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus: * in ætérnum misericórdia ejus: * & usque in generatióne, & generatiónem véritas ejus.

Psalmus 100.

MIsericórdiam & judícium cantábo tibi Dómine: * psallam & intélligam in viâ immaculátâ: * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntiâ cordis mei: * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam: * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum: * declinántem à me malígnum, non cognoscébam.

Detrahéntem secrétò próximo suo: * hunc persequébar.

Supérbo óculo, & insatiábili corde: * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum; * ámbulans in viâ immaculátâ: * hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit, in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ: * ut dispérderem de civitáte Dómini, omnes operántes iniquitátem.

Glória Patri.

Antiph. Jubiláte Deo omnis terra.

Antiph. Clamor meus.

Psalmus 101.

DOmine exáudi oratiónem meam: * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me: * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te: * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei: * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, & áruit cor meum: * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei: * adhæsit

adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicáno solitúdinis : * factus sum sicut nycticorax , in domicilio.

Vigilávi : * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimici mei : * & qui laudábant me , advérsum me jurábant.

Quia cinerem tamquam panem manducábam : * & potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ : * quia élevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt : * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem Dómine in ætérnum pérmanes : * & memoriále tuum in generatióne, & generatiónem.

Tu exurgens miseréberis Sion : * quia tempus miserendi ejus , quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus : * & terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt Gentes nomen tuum Dómine : * & omnes reges terræ, glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion : * & vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humilium: * & non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne altera:* & pópulus qui creábitur , laudábit Dóminum.

Quia prospéxit de excélso sancto suo : * Dóminus de cælo in terram aspéxit.

Ut audiret gémitus compeditórum : * ut sólveret filios interemptórum.

Ut annúntient in Sion nomen Dómini , & laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum : * & reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in viâ virtútis suæ : * paucitátem diérum meórum , núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatióne , & generatiónem anni tui.

Initio tu Dómine terram fundásti : * & ópera mánuum tuárum sunt cæli.

Ipsi peribunt , tu autem pérmanes : * & omnes

sicut vestiméntum vete-ráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur: * tu autem idem ipse es: * & anni tui non defícient.

Fílij servórum tuórum habitábunt: * & semen eórum, in sæculum dirigétur.

Psalmus 102.

BEnedic ánima mea Dómino: * & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino: * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis: * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam: * qui corónat te in misericórdiâ, & miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur ut áquilæ, juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus: * & judícium ómnibus, injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi: * fíliis Israël voluntátes suas.

Miserátor & miséricors Dóminus: * longánimis, & multùm miséricors.

Non in perpétuum irascétur: * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndùm peccáta nostra fecit nobis: * neque secúndùm iniquitátes nostras, retríbuet nobis.

Quóniam secúndùm altitúdinem cœli à terrâ: * corroborávit misericórdiã suam, super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte: * longè fecit à nobis, iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiorum, misértus est Dóminus timéntibus se: * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus: * homo sicut fœnum: * dies ejus, tamquam flos agri, sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsístet; * & non cognóscet ámpliùs, locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, & usque in ætérnum: * super timéntes eum.

Et

Et justítia illius in filios filiórum : * his qui servant testaméntum ejus.

Et mémores sunt mandatórum ipsíus , ad faciéndum ea.

Dominus in cælo parávit sedem suam : * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Domino omnes Angeli ejus poténtes virtúte: * faciéntes verbum illius , ad audiendam vocem sermónum ejus.

Benedicite Domino omnes virtútes ejus: * ministri ejus qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus, in omni loco dominatiónis ejus : * benedic ánima mea Dñm.

Glória Patri.

Ant. Clamor meus ad te véniat Deus. *Ant.* Bénedic.

Psalmus idem 103.

BEnedic ánima mea Dómino: * Domine Deus meus magnificátus es veheménter.

Confessiónem & decórem induísti: * amíctus lúmine sicut vestiménto.

Exténdens cælum sicut pellem : * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum : * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis ángelos tuos spíritus:* & ministros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur, in sæculum sæculi.

Abyssus , sicut vestiméntum , amíctus ejus: * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tuâ fúgient : * à voce tonitrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes , & descéndunt campi : * in locum quem fundásti eis.

Términum posuísti, quẽ non transgrediéntur : * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convallibus : * inter médium móntium, pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri: * expectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cæli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis : * de fructu óperum tuórum, satiábitur terra.

Prodúcens fœnum juméntis : * & herbam servitúti hóminum.

Ut edúcas panem de terrâ: * & vinum lætíficet cor hóminis.

Ut exhílaret fáciem in óleo : * & panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi , & cedri Líbani quas plantávit : * illic pásseres nidificábunt.

Heródij domus dux est eórum : * montes excélsi cervis : * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpore : * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, & facta est nox:* in ipsâ pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

Cátuli leónum rugiéntes ut rápiant : * & quærant à Deo escam sibi.

Ortus est sol & congregáti sunt : * & in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum:* & ad operatiónem suam usque ad vésperam.

Quàm magnificáta sunt ópera tua Dómine : * ómnia in sapiéntia fecísti : * impléta est terra , possessióne tuâ.

Hoc mare magnum & spatiósum mánibus : * illic reptilia , quórum non est númerus.

Animália pusílla cum magnis : * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei:* ómnia à te expéctant: * ut des illis escam in témpore.

Dante te illis cólligent: * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur: * áuferes spíritum eórum , & defícient : * & in púlverem suum reverténtur.

Emítte spíritum tuum, & creabúntur:* & renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum : * lætábitur Dóminus in opéribus suis.

Qui réspicit terram , & facit eam trémere : * qui tangit montes , & fúmigant.

Cantábo Dómino in vitâ meâ : * psallam Deo meo quámdiù sum.

Jocúndum sit ei elóquium meum : * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terrâ,

terrâ, & iníqui ita ut non sint: * bénedic ánima mea Dómino.

Psalmus 104.

Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus: * annuntiáte inter Gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei: * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus: * lætetur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini: * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit: * prodígia & judícia oris ejus.

Semen Abraham servi ejus: * filij Jacob elecli ejus.

Ipse Dóminus Deus noster: * in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in sæculum testamenti sui: * verbi, quod mandávit, in mille generationes.

Quod dispósuit ad Abraham: * & juraménti sui ad Isaac.

Et státuit illud Jacob in præcéptum: * & Israël in testaméntum ætérnum.

Dicens, Tibi dabo terram Chánaan: * funículum hæreditátis vestræ.

Cùm essent número brevi: * paucíssimi & íncolæ ejus.

Et pertransiérunt de gente in gentem: * & de regno, ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis: * & corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere christos meos: * & in prophétis meis, nolíte malignári.

Et vocávit famem super terram: * & omne firmaméntum panis contrívit.

Misit ante eos virum: * in servum venúmdatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus: * ferrum pertránsiit ánimam ejus: * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dñi inflammávit eum: * misit rex, & solvit eum: * princeps populórum, & dimísit eum.

Constítuit eum dóminũ domûs suæ: * & príncipem omnis possessiónis suæ.

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetípsum: * & senes ejus, prudéntiam docéret.

Et intrávit Israël in Ægyptum;

gyptum: * & Jacob áccola fuit in terrâ Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter : * & firmávit eum, super inimícos ejus.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum ejus: * & dolum fácerent, in servos ejus.

Misit Móysen servum suum : * Aaron quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum : * & prodigiórum suórum in terrâ Cham.

Misit ténebras, & obscurávit: * & non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinem : * & occídit pisces eórum.

Et dedit terra eórum ranas : * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, & venit cynomyia & cynifes : * in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem : * ignem comburéntem, in terrâ ipsórum.

Et percússit víneas eórum, & ficúlneas eórum:* & contrívit lignum, fínium eórum.

Dixit, & venit locústa: * & bruchus, cujus non erat númerus.

Et comédit omne fœnum in terrâ eórum : * & comédit omnem fructum, terræ eórum.

Et percússit omne primogénitum in terrâ eórum : * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro: * & non erat in tríbubus eórum infírmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum : * quia incúbuit timor eórum, super eos.

Expándit nubem in protectiónẽ eórum:* & ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, & venit coturnix : * & pane cæli saturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ : * abiérunt in sicco flúmina.

Quóniam memor fuit verbi sancti sui : * quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et edúxit pópulum suum in exultatióne: * & eléctos suos in lætítiâ.

Et dedit illis regiónes Géntium : * & labóres populórum possedérunt.

Ut custódiant justificatiónes

tiónes ejus: * & legem ejus requírant. Glória Patri.

Aña. Bénedic ánima mea Dómino. *Aña.* Vísita nos Dómine.

Palmus 105.

CONfitémini Dómino, quóniam bonus: * quóniam in sæculum, misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini: * audítas fáciet, omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium: * & fáciunt justítiam, in omni tempore.

Meménto nostri Dñe in beneplácito pópuli tui: * vísita nos, in salutári tuo.

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum: * ad lætándum in lætítiâ gentis tuæ: * ut laudéris cum hæreditáte tuâ.

Peccávimus cum pátribus nostris: * injústè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua: * non fuérunt mémores multitúdinis, misericórdiæ tuæ.

Et irritavérunt ascendéntes in mare, mare Rubrũ.

Et salvávit eos propter nomen suum: * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et increpuit mare Rubrum, & exsiccátum est: * & dedúxit eos in abyssis, sicut in desérto.

Et salvávit eos de manu odiéntium: * & redémit eos, de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulántes eos: * unus ex eis non remánsit.

Et credidérunt verbis ejus: * & laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt, obliti sunt óperum ejus: * & non sustinuérunt consilium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto: * & tentavérunt Deum, in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum: * & misit saturitátem, in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris: * Aaron sanctum Dómini.

Apérta est terra, & deglutívit Dathan: * & opéruit super congregatiónem Abíron,

Et exársit ignis in synagóga eórum: * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb: * & adoravérunt scúlptile.

Et mutavérunt glóriam suam:

ſuam : * in ſimilitúdinem vítuli comedéntis fœnum.

Oblíti ſunt Deum, qui ſalvávit eos: * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terrâ Cham : * terribília in mari Rubro.

Et dixit ut diſpérderet eos : * ſi non Móyſes eléctus ejus ſtetiſſet in confractióne, in conſpéctu ejus.

Ut averteret iram ejus, ne diſpérderet eos, * & pro nihilo habuérunt, terram deſiderábilem.

Non credidérunt verbo ejus, * & murmuravérunt in tabernáculis ſuis, * non exaudiérunt vocem Dñi.

Et elevávit manum ſuam ſuper eos, * ut proſtérneret eos in deſérto.

Et ut dejiceret ſemen eórum in nationibus, * & diſpérgeret eos, in regiónibus.

Et initiáti ſunt Beélphegor, * & comedérunt ſacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus ſuis; * & multiplicáta eſt, in eis ruina.

Et ſtetit Phínees, & placávit, * & ceſsávit quaſsátio.

Et reputátum eſt ei ad juſtítiam, * in generatióne, & generatiónem, uſque in ſempitérnum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis, * & vexátus eſt Moyſes propter eos, * quia exacerbavérunt ſpíritum ejus.

Et diſtínxit in lábiis ſuis, * non diſperdidérunt Gentes, quas dixit Dóminus illis.

Et commíxti ſunt inter Gentes, * & didicérunt ópera eórum, & ſerviérunt ſculptílibus eórum, * & factum eſt illis in ſcándalum.

Et immolavérunt fílios ſuos, & fílias ſuas dæmóniis.

Et effudérunt ſánguinem innocéntem, * ſánguinem filiórum ſuórum & filiárum ſuárum, * quas ſacrificavérunt, ſculptílibus Chánaan.

Et interféсta eſt terra in ſanguínibus, * & contamináta eſt in opéribus eórum, * & fornicáti ſunt in adinventiónibus ſuis.

Et irátus eſt furóre Dóminus in pópulum ſuum, * & abominátus eſt, hæreditátem ſuam.

Et trádidit eos in manus Géntiũ, * & domináti ſunt eórum, qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimici

míci eórum, * & humiliáti sunt sub mánibus eórum, * sæpè liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérũt eum in consílio suo, * & humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cùm tribularéntur, * & audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit testaménti sui, * & pœnítuit eum secúndùm multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias, * in conspéctu ómnium qui céperant eos.

Salvos fac nos Dñe Deus noster, * & cóngrega nos de natiónibus.

Ut confiteámur nómini sancto tuo, * & gloriemur in laude tuâ.

Benedictus Dñs Deus Israël à sæculo & usque in sæculum, * & dicet omnis pópulus, Fiat, fiat.

Psalmus 106.

COnfitémini Dómino quóniã bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus

Dicant qui redémpti sunt à Dómino, quos redémit de manu inimíci, * & de regiónibus, congregávit eos.

A solis ortu & occásu, * ab Aquilóne & mari.

Erravérunt in solitúdine in inaquóso, * viam civitátis habitáculi, non invenérunt.

Esuriéntes & sitiéntes, * ánima eórũ in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dñm cùm tribularéntur, * & de necessitátibus eórum, erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dño misericórdiæ ejus, & mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia satiávit ánimã inánem, * & ánimam esuriéntem, satiávit bonis.

Sedéntes in ténebris & umbrâ mortis: * vinctos in mendicitáte & ferro.

Quia exacerbavérũt elóquia Dei, * & consílium Altissimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum, * & infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularéntur, * & de necessitátibus eórum, liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris & umbrâ mortis, * & víncula

vincula eórum dirúpit.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, & mirabília ejus, filiis hóminum.

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de viâ iniquitátis eórum, * propter injustítias enim suas, humiliáti sunt.

Omnem escam abominàta est ánima eórum, * & appropinquavérunt, usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur, * & de necessitátibus eórum, liberávit eos.

Misit verbum suum,& sanávit eos, * & erípuit eos, de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, & mirabília ejus filiis hóminum.

Et sacrificent sacrificium laudis,* & annúntient ópera ejus, in exultatióne.

Qui descéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem, in aquis multis.

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profúndo.

Dixit, & stetit spíritus procéllæ, * & exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascéndunt usque ad cælos,& descéndunt usque ad abyssos, * ánima eórum, in malis tabescébat.

Turbáti sunt,& moti sunt sicut ébrius, * & omnis sapiéntia eórũ devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur, * & de necessitátibus eórum, edúxit eos.

Et státuit procéllam ejus in auram, * & siluérunt fluctus ejus.

Et lætáti sunt quia siluérunt, * & dedúxit eos in portum, voluntátis eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, & mirabília ejus, filiis hóminum.

Et exáltent eum in ecclésiâ plebis, * & in cáthedrâ seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desértum, * & éxitus aquárum in sitim.

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítia inhabitántium in eâ.

Pósuit desértum in stagna aquárum, * & terram sine aquâ, in éxitus aquárum.

Et collocávit illic esuriéntes, * & constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros,& planta

plantavérunt víneas, * & fecérunt fructũ nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti sunt nimis, * & juménta eórum, non minorávit.

Et pauci facti sunt, * & vexáti sunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes, * & erráre fecit eos in ínvio, & non in viâ.

Et adjúvit páuperem de inópia, * & pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabúntur, * & omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens & custódiet hæc, * & intélliget misericórdias Dómini?

Glória Patri.

Aña. Vísita nos Dómine in salutári tuo.

Aña. Confitebor Dño.

Psalmus 107.

PArátum cor meum Deus, parátum cor meum, * cantábo & psallam, in glória mea.

Exúrge glória mea exúrge psaltérium & cíthara, * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis Dómine, * & psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super cælos misericórdia tua, * & usque ad nubes, véritas tua.

Exaltáre super cælos Deus, * & super omnem terram glória tua, * ut liberéntur dilécti tui.

Salvum fac déxtera tua, & exáudi me: * Deus locútus est, in sancto suo.

Exultábo, & dívidam Sichimam, * & convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, & meus est Manásses, * & Ephraim suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meũ, * mihi alienígenæ, amíci facti sũt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * aut quis dedúcet me, usque in Idumæam?

Nonne tu Deus, qui repulísti nos, * & non exíbis Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem, * & ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Psalmus 108.

DEus laudem meam ne tacúeris, * quia os peccatóris,

catóris, & os dolósi, super me apértum est.

Locúti sunt advérsùm me linguâ dolósâ, * & sermónibus ódij circumdedérunt me, & expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi, * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsùm me mala pro bonis, * & ódium, pro dilectióne meâ.

Constítue super eum peccatórem, * & diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat cōdemnátus, * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci, * & episcopátum ejus, accípiat alter.

Fiant fílij ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur filij ejus, & mendícent, * & ejiciántur, de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus: * & dirípiant aliéni, labóres ejus.

Non sit illi adjútor, * nec sit qui misereátur, pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum, * in generatióne unâ, deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspéctu Dñi: * & peccátum matris ejus, non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper: * & dispéreat de terra memória eórum: * pro eo quòd non est recordátus, fácere misericórdiā.

Et persecútus est hóminē ínopem & mendícum: * & compúnctum corde, mortificáre.

Et diléxit maledictiónē, & véniet ei: * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et induit maledictiónem, sicut vestiméntum: * & intrávit sicut aqua in interióra ejus: * & sicut óleum, in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum quo operítur: * & sicut zona, qua sēper præcíngitur.

Hoc opus eórum, qui détrahunt mihi apud Dóminum: * & qui loquúntur mala, advérsùs ánimam meam.

Et tu Dómine Dñe fac mecum propter nomen tuum: * quia suavis est, misericórdia tua.

Líbera me, quia egénus & pauper ego sum: * &

cor meum, conturbátum est intra me.

Sicut umbra cùm declínat, ablátus sum : * & excússus sum, sicut locústa.

Génua mea infirmáta sũt à jejúnio:*& caro mea immutáta, est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis: * vidérunt me, & movérunt, cápita sua.

Adjuva me Dómine Deus meus : * salvum me fac, secúndùm misericórdiã tuã.

Et scient quia manus tua hæc : * & tu Dómine fecísti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces: * qui insúrgunt in me confundántur, servus autem tuus, lætábitur.

Induántur qui détrahunt mihi, pudóre:* & operiántur sicut diplóïde, confusióne suâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo:* & in médio multórũ, laudábo eum.

Quia ástitit à dextris paúperis : * ut salvam fáceret à persequéntibus, ánimam meam. Glória Patri.

Aña. Confitébor Dómino nimis in ore meo.

Per Annum: ℣. Dñe exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

AD LAUDES.

Aña. Benígnè fac in bona voluntáte tua Dómine.

Psalm. Miserére. 69.

Aña. Bonum est.

Psalmus idem 91.

Bonum est confitéri Dómino: * & psállere nómini tuo Altíssime.

Ad annuntiándum manè misericórdiam tuam : * & veritátẽ tuam, per noctem.

In decachórdo psaltério:* cum cántico in cíthara,

Quia delectásti me Dómine in factúrâ tuâ:* & in opéribus, mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta sunt ópera tua Dómine:* nimis profúndæ factæ sunt, cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognóscet : * & stultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres sicut fœnum : * & apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem.

Ut intéreant in sæculum sæculi : * tu autem Altíssimus, in ætérnum Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui Dómine : * quóniam ecce inimíci tui peribunt : * & dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur ſicut unicórnis cornu meum : * & ſenéctus mea , in misericórdia úberi.

Et deſpéxit óculus meus inimícos meos : * & in inſurgéntibus in me malignántibus, áudiet auris mea.

Juſtus ut palma florébit: * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini : * in átriis domûs Dei noſtri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in ſenécta úberi : * & bene patiéntes erunt, ut annúntient.

Quóniam rectus Dóminus Deus noſter : * & non eſt iníquitas in eo.

Glória Patri.

Aña. Bonum eſt confitéri Dómino.

Aña. Métuant Dóminum omnes fines terræ.

Pſalmus. Deus Deus meus ad te, 21.

Aña. Et in ſervis ſuis.

Canticum Moyſi. Deut. 32

AUdíte cæli quæ loquor : * áudiat terra verba oris mei.

Concréſcat ut plúvia doctrína mea : * fluat ut ros, elóquium meum.

Quaſi imber ſuper herbam: * & quaſi ſtillæ ſuper grámina : * quia nomen Dómini invocábo.

Date magnificéntiam Deo noſtro : * Dei perfécta ſunt ópera : * & omnes viæ ejus judícia.

Deus fidélis, & abſque ulla iniquitáte , juſtus & rectus : * peccavérunt ei, & non filij ejus , in sórdibus.

Generátio prava atque pervérſa : * hæccine reddis Dómino , pópule ſtulte, & insípiens ?

Numquid non ipſe eſt pater tuus , qui poſsédit te:* & fecit,& creávit te ?

Meménto diérum antiquórum : * cógita generatiónes ſíngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiâbit tibi : * majóres tuos , & dicent tibi.

Quando dividébat Altiſſimus Gentes : * quando ſeparábat filios Adam.

Conſtituit términos populórum : * juxta númerum, filiórum Iſraël.

Pars autem Dómini , pópulus ejus: * Jacob funículus , hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta : * in loco horróris, & vaſtæ ſolitúdinis.

Circumdúxit eum, & dócuit : * & custodivit quasi pupillam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos:* & super eos , vólitans,

Expándit alas suas & assúmpsit eum: * atque portavit, in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit : * & non erat cum eo, deus aliénus.

Constítuit eum super excelsam terram : * ut comédere, fructus agrórum.

Ut súgeret, mel de petra : * oleúmque de saxo, duríssimo.

Butyrum de arménto, & lac de óvibus: * cum ádipe agnórum , & aríetum , filiorum Basan.

Et hircos cum medúlla trítici:* & sánguinem uvæ biberet , meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, & recalcitrávit : * incrassátus , impinguátus , dilatatus.

Derelíquit Deum factórem suum : * & recéssit à Deo, salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis : * & in abominatiónibus , ad iracúndiam , concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis , & non Deo : * diis, quos ignorábant.

Novi recentésque venérunt:* quos non coluérunt, patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquísti : * & oblitus es Dómini , creatóris tui.

Vidit Dóminus , & ad iracúndiam cōcitátus est: * quia provocavérunt eum, filij sui, & filiæ.

Et ait, Abscóndam fáciem meam ab eis:*& considerábo,novíssima eórum.

Generátio enim pervérsa est : * & infidéles filij.

Ipsi me provocavérunt in eo,qui non erat Deus : * & irritavérunt , in vanitátibus suis.

Et ego provocábo eos in eo , qui non est pópulus: * & in gente stulta, irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo : * & ardébit, usque ad inférni novíssima.

Devorabítque terrā cum gérmine suo:*& móntium, fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala : * & sagíttas meas, complébo in eis.

Consuméntur fame : * & devorábunt eos aves, morsu amaríssimo.

Dentes

Dentes bestiárum immíttam in eos,* cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, & intus pavor, * júvenem simul ac vírginem,* lacténtem, cum hómine sene.

Et dixi, Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus, memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli,* ne fortè superbírent, hostes eórum.

Et dícerent, Manus nostra excélsa, * & non Dóminus, fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, & sine prudéntia, * útinam sáperent & intellígerent, * ac novíssima providérent.

Quómodo persequebátur unus mille, * & duo fugarent, decem míllia?

Nonne ídeò, quia Deus suus véndidit eos, * & Dóminus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dij eórum, * & inimíci nostri, sunt júdices.

De vínea Sodomórum vínea eórum, * & de suburbánis, Gomórrhæ.

Uva eórum uva fellis, * & botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * & signáta, in thesaúris meis?

Mea est últio,& ego retríbuam eis in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxta est dies perditiónis, * & adésse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * & in servís suis miserébitur.

Vidébit quòd infirmáta sit manus, * & clausi quoque defecérunt, * residuíque consúmpti sunt.

Et dicet, Ubi sunt dij eórum, * in quibus habébant fidúciam?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibebant,vinum libáminum.

Surgant & opitultuléntur vobis, * & in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego sim solus, * & non sit álius Deus, præter me.

Ego occídam, & ego vívere fáciam, * percútiam & ego sanábo, * & non est qui de manu mea, possit erúere.

Levábo ad cælum manum

num meam: * & dicam, Vivo ego, in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum: * & arripúerit judícium, manus mea.

Reddam ultiónem hóstibus meis: * & his qui odérunt me, retríbuam.

Inebriábo sagíttas meas sánguine: * & gládius meus, devorábit carnes.

De cruóre occisórum: * & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte Gentes pópulum ejus: * quia sánguinē, servórum suórum ulciscétur.

Et vindíctam retríbuet in hostes eórum: * & propítius erit terræ, pópuli sui.

Glória Patri.

Aña. Et in servis suis Dóminus miserébitur.

Aña. In cymbalis benesonántibus laudáte Dñm.

Psalmus. Laudáte Dóminum de cælis. 23.

Capitulum. Isaiæ 33.

DOmine miserére nostri te expectávimus; esto bráchium nostrum in manè: & salus nostra in témpore tribulatiónis.

Per Annum. ℣. Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ. ℟. Et exultávimus, & delectáti sumus.

Ad Benedictus, Antiph. Illúmina Dómine his qui in ténebris sedent, & dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israël.

Deinde dicuntur parvæ Preces, ut suprà. 68.

Quando verò dicuntur magnæ, habentur in Feria secunda. 69.

DOMINICA

Ad Vesperas.

Pater noster. Ave María. Sancti Spíritus. Deus in adjutórium. 1.

Aña. Dixit Dóminus.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos: * scabéllū pedū tuórū.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dñs ex Sion: * domináre in médio, inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ: * in splēdóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum, génui te.

Jurávit Dóminus & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnū, * secúndū órdinem, Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis: * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas:* cōquassábit cápita, in terra multorū.

De torrēte in via bibet:* proptéreà exaltábit caput.

Glória Patri.

Aña. Dixit Dóminus Dño meo, Sede à dextris meis.

Aña. Fidélia.

Psalmus 110.

Confitebor tibi Dómine in toto corde: * in concílio justórum, & congregatióne.

Magna ópera Dómini:* exquisita in omnes, voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus: * & justitia ejus, manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dñs: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum, annuntiábit pópulo suo.

Ut det illis hæreditátem Géntium:* ópera mánuum ejus, véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus:* confirmáta in sæculum sæculi: * facta in veritáte, & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum, testaméntū suū.

Sanctum & terríbile nomen ejus:* inítium sapiéntiæ, timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum:* laudátio ejus, manet in sæculum sæculi. Glória Patri.

Aña. Fidelia ómnia mandáta ejus, confirmáta in sæculum sæculi.

Aña. In mandátis.

Psalmus 111.

Beátus vir, qui timet Dóminum: * in mandátis ejus, volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus:* generátio rectórum, benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus: * & justítia ejus, manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in tenebris lumen rectis: * miséricors, & miserátor, & justus.

Jocúndus homo, qui miserétur & cómmodat: * dispónit sermónes suos in judício: * quia in ætérnum non commovébitur;

In memória ætérna erit justus: * ab auditióne mala, non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino: * confirmátum est cor ejus: * non commo-

commovébitur donec despíciat, inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus:* justítia ejus manet in sæculum sæculi: * cornu ejus, exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit & irascétur: * déntibus suis fremet & tabéscet: * desidérium peccatórum peribit.

Glória Patri.

Aña. In mandátis ejus volet nimis,

Aña. Sit nomen Dómini.

Psalmus 112.

LAudáte púeri Dóminum. * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum: * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus: * & super cælos, glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster: * qui in altis hábitat, & humília réspicit in cælo, & in terra?

Súscitans à terra ínopem: * & de stércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus: * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo: * matrem filiórum lætántem,

Glória Patri.

Aña. Sit nomen Dómini benedíctum in sæcula.

Aña. Nos qui vívimus.

Psalmus 113.

IN éxitu Israël de Ægypto: * domus Jacob, de pópulo bárbaro.

Facta est Judæa sanctificátio ejus: * Israel, potestas ejus.

Mare vidit, & fugit: * Jordánis, convérsus est retrórsum.

Montes exultavérunt ut aríetes: * & colles, sicut agni óvium.

Quid est tibi mare, quòd fugísti: * & tu Jordánis, quia convérsus es retrórsū?

Montes exultástis sicut aríetes: * & colles, sicut agni óvium.

A fácie Dómini mota est terra: * à fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram, in stagna aquárum: * & rupem, in fontes aquárum.

Non nobis Dómine, non nobis: * sed nómini, tuo da glóriam.

Super misericórdia tua, & veritáte tua: * nequán-

do dicant Gentes, Ubi est, Deus eórum ?

Deus autem noster in cælo : * ómnia, quæcúmque vóluit fecit.

Simulácra Géntium argéntum & aurum: * ópera, mánuum hóminum.

Os habent & non loquéntur : * óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non áudient : * nares habent, & non odorábunt.

Manus habent, & non palpábunt :* pedes habent, & non ambulábunt: * non clamábunt, in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * & omnes, qui confídunt in eis.

Domus Israël sperávit in Dño : * adjútor eórum, & protéctor eórum est.

Domus Aaron sperávit in Dómino:* adjútor eórum, & protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum speravérunt in Dómino: * adjútor eórum, & protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostri, & benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Israël:* benedixit, dómui Aaron.

Benedixit ómnibus qui timent Dóminum : * pusíllis, cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos : * super vos, & super filios vestros.

Benedícti vos à Dño : * qui fecit, cælum & terram.

Cælum cæli Dño:*terram autẽ,dedit filiis hóminum.

Non mórtui laudábunt te Dñe : * neque omnes, qui descéndunt in inférnum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dño : * ex hoc nunc,& usque in sæculum.

Glória Patri.

Ant. Nos qui vívimus benedicimus Dómino.

Capitulum. 2.Cor.1,

BEnedictus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi ; Pater misericordiárum, & Deus totíus consolatiónis : qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea.

℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Prædictum Capitulum cum suo versu dicitur à tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventum Antiphonæ autem cùm Psalmis semper dicuntur ut supra quando fit Officium de Dominica.

Canticum

Canticũ B. Mariæ Virginis.
Lucæ. 1.

MAgnificat, ánima mea Dóminum.

Et exultávit spíritus meus: * in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátẽ ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent, omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: * & sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus in progénie & progénies: * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos, mente cordis sui,

Depósuit poténtes de sede: * & exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis: * & dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël púerum suum: * recordátus, misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros: * Abraham, & sémini ejus in sæcula.

Glória Patri.

Deinde dicitur Antiphona, & Oratio propria.

℣. Dóminus vobiscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

FERIA SECUNDA

Ad Vesperas.

Aña. Inclinávit Dóminus.

Psalmus 114.

DIlexi: * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi: * & in diébus meis, invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * & perícula inférni, invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni: * & nomen Dómini, invocávi.

O Dómine líbera ánimam meam, miséricors Dóminus & justus: * & Deus noster, miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus: * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere anima mea in réquiem tuam: * quia Dóminus, benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte: * óculos meos à lácrymis: * pedes meos à lápsu.

Placébo Dómino, * in regióne vivórum.

Glória Patri.

Aña. Inclinávit Dóminus aurem suam mihi.

Antiphona. Crédidi.

Psalmus idem 115.

CRédidi propter quod locútus sum: * ego autem, humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino: * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * & nomen Dómini, invocábo,

Vota mea Dómino reddam, coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini, mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, & filius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis: * & nomen Dómini invocábo,

Vota mea Dómino reddam, in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domûs Dómini, in medio tui Jerúsalem.

Glória Patri.

Antiph. Crédidi propter quod locútus sum.

Aña. Laudáte Dóminum.

Psalmus idem 116.

LAudáte Dóminum omnes Gentes: * laudáte eum omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini, manet in ætérnum.

Glória Patri.

Antiphona. Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Antiphona. Clamávi.

Psalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi: * & exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis: * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi: * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ: * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est: * habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit, ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Glória Patri.

Aña. Clamávi & exaudívit me. *Aña.* Auxíliũ meũ.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos ad montes: * unde véniet,

niet, auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino: * qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum:* neque dormítet, qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet: * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te: * Dóminus protéctio tua, super manū déxteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctē.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introitum tuum, & éxitum tuum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Glória Patri.

Aña. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cælum & terram.

Sequens Capitulum dicitur in Feriali Officio ab Octava Pentecostes usque ad Adventum.

Capitulum. 2. Thess. 3.

Dominus autem dirigat corda vestra; in charitáte Dei: & patiéntia Christi.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea.

℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Antiph. Magníficat ánima mea Dóminum, quia respéxit Deus humilitátem meam.

In Feriali Officio dicuntur parvæ Preces post Antiphonam ad Magnificat. *ut infrà.*

Kyrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléïson, Christe eléïson. Kyrie eléïson. *secretò* Pater noster. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus.

Oratio dicitur de Dominica præcedenti ut habetur in proprio de Tempore.

In Feriis vero, Quatuor Temporum, & Vigiliarum post Antiphonam ad Magníficat, *dicuntur sequentes magnæ.*

Preces flexis genibus.

Kyrie eléïson. Kyrie eléïson. Christe eléï-

ſon, Chriſte eléiſon. Kyrie eléiſon. *ſecretò.* Pater noſter. *uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Ego dixi, Dómine miſerére mei. ℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úſquequo. ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. ℣. Fiat miſericórdia tua Dómine ſuper nos. ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam. ℟. Et ſancti tui exúltent. ℣. Dómine ſalvum fac regem. ℟. Et exáudi nos in die qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum Dñe, & bénedic hæreditáti tuæ, ℟. Et rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum. ℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce ſervo tuo. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Pſalmus. Miſerére mei Deus. *ut ſuprà. 66. & in fine.* Glória Patri. *deinde* ℣. Oſtende nobis Dómine miſericórdiam tuam. ℟. Et ſalutáre tuum da nobis. ℣. Dñe exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio conveniens.*

FERIA TERTIA.

Ad Vesperas.

Aña. In domum Dómini.

Pſalmus 121.

LÆtátus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: * in domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri: * in átriis tuis, Jerúſalem.

Jerúſalem, quæ ædificátur ut cívitas: * cujus participátio ejus in idípſum.

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini: * teſtimónium Iſraël, ad confiténdum nómini Dñi.

Quia illic ſedérunt ſedes in judício: * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem: * & abundántia, diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua: * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos: * loquébar pacem de te

Propter

Propter domum Dómini Dei nostri: * quæsivi bona tibi. Glória Patri.

Aña. In domum Dómini lætántes ibimus.

Aña. Qui hábitas.

Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos: * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum: * in mánibus dominorum suórum.

Sicut óculi ancíllæ, in mánibus dominæ suæ: * ita óculi nostri ad Dñm Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri Dómine, miserére nostri: * quia multùm repléti sumus despectióne.

Quia multùm repléta est ánima nostra: * oppróbriũ abundántibus, & despéctio supérbis. Glória Patri.

Aña. Qui hábitas in cælis, miserére nobis.

Aña. Adjutórium nostrũ.

Psalmus 123.

NIsi quia Dñs erat in nobis: * dicat nunc Israël, nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos: * fortè vivos deglutíssent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos: * fórsitan aquæ, absorbuíssent nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra: * fórsitan pertransísset ánima nostra, aquam intolerábilem.

Benedictus Dñs: * qui non dedit nos in captiónem, déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est: * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est: * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini: * qui fecit cælum & terram.

Gloria Patri.

Aña. Adjutorium nostrum in nómine Dómini.

Aña. Benefac Dómine.

Psalmus 124.

QUi confídunt in Dño, sicut mons Sion: * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus, & Dñs in circúitu pópuli sui: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Quia non relínquet Dñs, virgam peccatórum super sortem justórum: * ut non exténdant justi, ad iniquitátem manus suas.

Bénefac Dómine : * bonis & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes, addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem : * pax super Israël. Glória Patri.

Aña. Bénefac Dómine bonis, & rectis corde.

Antiphona. Facti sumus.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus, captivitátem Sion:* facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum:* & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus, fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram : * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis : * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant:* mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem véniēt, cum exultatióne : * portántes manípulos suos,

Glória Patri.

Aña. Facti sumus sicut consoláti.

Capitulum. 2.Thess.3.

DOminus autem dirigat corda vestra in charitáte Dei : & patiéntia Christi.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea.

℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Antiph. Exúltet spíritus meus in Dño Deo, salutári meo.

Deinde dicuntur parva Preces ut suprà. 151.

Quando verò dicuntur magna, habentur ibidem in Feria secunda. 151.

FERIA QUARTA.

Ad Vesperas.

Antiph. Ecce hæréditas.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum :* in vanum laboravérunt, qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem :* frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquā sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum: * ecce hæréditas Dómini, filij, merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu

poténtis:

potentis: * ita filij excussorum.

Beátus vir, qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundetur cùm loquetur, inimicis suis in porta. Glória Patri.

Ana. Ecce hæréditas Dómini, filij; merces, fructus ventris.

Ana. Beáti omnes.

Psalmus idem 127

BEáti omnes qui timent Dóminum: * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, & benè tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans: * in latéribus domùs tuæ.

Filij tui sicut novéllæ olivárum: * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo: * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion: * & videas bona Jerúsalem, ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et videas filios filiórum tuórum: * pacem super Israël. Glória Patri.

Aña. Beáti omnes qui timent Dóminum.

Ana. Sæpè.

Psalmus idem 128.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea: * dicat nunc Israel.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea: * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum, fabricavérunt peccatóres: * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concidet cervices peccatórum: * confundántur & convertántur retrórsum: * omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum: * quod priusquam evellátur, exáruit.

De quo non implévit manum suam qui metit: * & sinum suum, qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteribant, Benedictio Dómini super vos: * benedícimus vobis, in nómine Dómini. Glória Patri.

Aña. Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea.

Ana. De profúndis.

Psalmus idem 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ inten

déntes : * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine : * Dómine quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est : * & propter legem tuā, sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea, in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël, in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël : * ex ómnibus iniquitátibus ejus. Glória Patri.

Antiphona. De profúndis clamávi ad te Dómine.

Antiphona. Speret.

Psalmus 130.

DOmine, non est exaltátum cor meum : * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis : * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam : * sed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus est, super matre sua : * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dño : * ex hoc nunc & usque in sæculum. Glória Patri.

Antiphona. Speret Israël in Dómino.

Capitulum. 2. Thess. 3.

DOminus autem dírigat corda vestra in charitáte Dei : & patiéntia Christi.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnifica, *Antiph.* Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est & sanctum nomen ejus.

Deinde dicuntur parva Preces ut suprà. 151.

Quando verò dicuntur magna, habentur ibidem in Feria secunda. 151.

FERIA QUINTA.

Ad Vesperas.

Antiphona. Elégit.

Psalmus 131.

MEménto Dómine David : * & omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino : * votum vovit Deo Jacob.

Si introíero in tabernáculum domus meæ : * si ascéndero in lectum strati mei,

Si dédero somnum óculis meis : * & pálpebris meis dormitatiónem.

Et

Et réquiem tempóribus meis : * donec invéniam locum Dómino, tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eum in Ephrata:* invénimus eum, in campis silvæ.

Introibimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge Dómine in réquiem tuam : * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justitiam : * & sancti tui exúltent.

Propter David servum tuum : * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eum : * De fructu ventris tui, ponam super sedem tuam.

Si custodíerint filij tui testaméntum meum : * & testimónia mea hæc, quæ docébo eos.

Et filij eórum usque in sæculum : * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion : * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi : * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári : * & sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David : * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit, sanctificátio mea. Glória Patri.

Ana. Elégit Dñs Sion, elégit eam in habitatiónem sibi.

Ana. Ecce quàm bonum.

Psalmus idem 132.

Ecce quàm bonum, & quàm jocúndum:* habitáre fratres in unum.

Sicut unguéntum in cápite : * quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

Quod descéndit in oram vestiménti ejus: * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem:* & vitam usque in sæculum.

Glória Patri.

Aña. Ecce quàm bonum, & quàm jocúndum !

Aña. Laudáte.

Psalmus

Psalmus idem 134.

LAudáte nomen Dómini : * laudáte servi Dóminum.

Qui statis in domo Dómini : * in átriis domûs Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus : * psállite nómini ejus, quóniam suáve

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus : * Israël in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus est Dominus : * & Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit Dóminus fecit in cœlo & in terra : * in mari, & in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ : * fúlgura in plúviam fecit.

Qui prodúcit ventos de thesáuris suis : * qui percússit primogénita Ægypti, ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa & prodígia in médio tui Ægypte: * in Pharaónem, & in omnes servos ejus.

Qui percússit gentes multas : * & occídit reges fortes.

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Basan : * & ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem : * hæreditátem Israël pópulo suo.

Dómine nomen tuum in ætérnum : * Dómine memoriále tuum in generatióne, & generatiónem.

Quia judicábit Dñs pópulum suum: * & in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argéntum & aurum : * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquéntur : * óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non áudient: * neque enim est spíritus, in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * & omnes qui confidunt in eis.

Domus Israël benedícite Dómino : * domus Aaron benedícite Dómino.

Domus Levi benedícite Dómino : * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion: * qui hábitat in Jerúsalem. Glória Patri.

Aña. Laudáte nomen Dñi.

Aña. Confitémini,

Psalmus

Psalmus idem 135.

CONfitémini Dómino, quóniam bonus: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui facit mirabília magna solus: * quóniam in ætérnũ, misericórdia ejus.

Qui fecit cælos in intelléctu: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui firmávit terram super aquas: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui fecit luminária magna: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Solem in potestátẽ diei: * quóniam in æternum, misericórdia ejus.

Lunam & stellas, in potestátem noctis: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui percússit Ægyptum, cum primogénitis eorum. * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui edúxit Isráel de médio eorum: * quóniam in ætérnũ, misericórdia ejus.

In manu poténti, & bráchio excélso: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui divísit mare Rubrum in divisiónes: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus,

Et edúxit Israël per médium ejus: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Et excússit Pharaónem, & virtútem ejus in mari Rubro: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui transdúxit pópũlum suum, per desértum * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui percússit reges magnos: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Et occídit reges fortes: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Sehon regem Amorrhæórum: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Et Og regem Basan: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Et dedit terram eórum hæreditátem: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Hæreditátem Israël servo

vo suo: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Quia in humilitáte nostra, memor fuit nostri: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Et redémit nos ab inimícis nostris: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Qui dat escam omni carni: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Confitémini Deo cæli: * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in ætérnum, misericórdia ejus. Glória Patri.

Aña. Confitémini Dómino, quóniam bonus.

Aña. Hymnum cantáte.

Psalmus 136.

SUper flúmina Babylónis, illic sédimus & flévimus: * dum recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus: * suspéndimus órgana nostra.

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos: * verba cantiónum,

Et qui abduxérunt nos: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini: * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tui Jerúsalem: * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis: * si non memínero tui.

Si non proposúero Jerúsalem: * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto Dómine filiórum Edom: * in die Jerúsalem.

Qui dicunt, Exinaníte: * exinaníte, usque ad fundaméntum in ea

Filia Babylónis mísera: * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus qui tenébit: * & allídet párvulos tuos ad petram.

Glória Patri.

Aña, Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Capitulum. 2. Thess. 3.

DOminus autem dírigat corda vestra in cháritáte Dei: & patiéntia Christi.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Aña. Depósuit poténtes sanctos persequéntes, & exaltávit húmiles Christũ cõfiténtes.

Deinde dicuntur parva Preces ut suprà. 151.

Quando verò dicuntur magna, habentur ibidem in Feria secunda. 151.

FERIA SEXTA

Ad Vesperas.

Antiphona. In conspéctu.

Psalmus 137.

COnfitébor tibi Dñe in toto corde meo:*quóniã audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum: * & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, & veritáte tua: * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima, mea virtútem.

Cõfiteántur tibi Dñe omnes reges terrę*quia audiérunt ómnia verba,oris tui.

Et cantent in viis Dómini: * quóniam magna est, glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus,& humília réspicit:* & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & super iram inimicórum meórum, extendísti manum tuam: * & salvum me fecit,déxtera tua.

Dóminus retribuet pro me: * Dómine misericórdia tua in sæculum:*ópera mánuum tuárum,ne despícias. Glória Patri.

Aña. In cõspéctu Angelórum psallã tibi Deus meus.

Antiphona. Dómine.

Psalmus idem 138.

DOmine probásti me, & cognovísti me:* tu cognovísti sessiónem meã: * & resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longè: * sémitam meam, & funículum meum, investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti :* quia non est sermo, in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovísti ómnia, novíssima & antíqua: * tu formásti me, & posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est, sciéntia tua ex me: * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo: * & quò à fácie tua fúgiam.

Si ascéndero in cælum, tu

tu illic es : * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo : * & habitávero, in extrémis maris.

Etenim illuc manus tua dedúcet me : * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi, Fórsitan ténebræ conculcábunt me : * & nox illuminátio mea, in deliciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur à te : * & nox sicut dies illuminábitur : * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : * suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi, quia terribíliter magnificátus es. * mirabília ópera tua * & ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecísti in occúlto : * & substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui : * & in libro tuo omnes scribéntur : * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui Deus : * nimis confortátus est, principátus eórum.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabúntur : * exurréxi, & adhuc sum tecum.

Si occíderis Deus peccatóres : * viri sánguinum declináte à me.

Quia dícitis in cogitatióne : * Accípient in vanitáte, civitátes suas.

Nonne qui odérunt te Dñe, óderam : * & super inimícos tuos, tabescébam ?

Perfécto ódio óderam illos : * & inimíci facti sunt mihi.

Proba me Deus, & scito cor meũ : * intérroga me, & cognósce, sémitas meas.

Et vide si via iniquitátis in me est : * & deduc me in via ætérna.

Glória Patri.

Aña. Dómine probásti me, & cognovísti me.

Aña. A viro iníquo.

Psalmus 139.

ERipe me Dómine ab hómine malo : * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * tota die, constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntes : * venénum áspidum, sub lábiis eórum.

Custódi me Dñe de manu

nu peccatóris : * & ab homínibus iníquis, éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos : * abscondérunt supérbi, láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum: * juxta iter, scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino, Deus meus es tu : * exáudi Dómine vocem, deprecatiónis meæ.

Dómine Dómine virtus salútis meæ: * obumbrásti super caput meum, in die belli.

Ne tradas me Dómine à desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me: * ne derelínquas me, ne fortè exalténtur.

Caput circúitus eórum : * labor labiórum ipsórum, opériet eos.

Cadent super eos carbónes : * in ignem dejícies eos : * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra: * virum injustum mala cápient, in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium inopis, * & vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo : * & habitábunt recti, cum vultu tuo. Glória Patri.

Aña. A viro iníquo líbera me Dómine.

Aña. Dómine clamávi.

Psalmus idem 140.

DOmine clamávi ad te, exáudi me : * inténde voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orãtio mea, sicut incénsum in conspéctu tuo : * elevátio mánuum meárum, sacrifícium vespertínum.

Pone Dómine custódiam ori meo : * & óstium circumstántiæ, lábiis meis.

Non declínet cor meum in verba malítiæ : * ad excusándas, excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem : * & non communicábo, cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdiâ, & increpábit me.* óleum autem peccatóris, non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc & orátio mea in beneplácitis eórum:* absórpti sunt juncti petræ, júdices eórum.

Audient verba mea. quó-

n am

niam potuérunt : * sicut crassitúdo terræ, erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus inférnum: * quia ad te Dómine Dómine óculi mei : * in te sperávi, non áuferas ánimã meam.

Custódi me à láqueo, quem statuérunt mihi : * & à scándalis, operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * singuláriter sum ego, donec tránseam.

Glória Patri.

Ana. Dómine clamávi ad te exáudi me. *Aña.* Pórtio mea. *Psalmus* 141.

VOce mea ad Dóminũ clamávi: * voce mea, ad Dñm deprecátus sum.

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam : * & tribulatiónem meam, ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum : * & tu cognovísti, sémitas meas.

In via hac qua ambulábam : * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, & vidébam: * & non erat, qui cognósceret me

Périit fuga à me : * & non est qui requírat, ánimam meam.

Clamávi ad te Dómine: * dixi, Tu es spes mea; * pórtio mea in terra viséntium.

Inténde ad deprecatiónem meam : * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequéntibus me: * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimã meam, ad cõfiténdum nómini tuo : * me expéctant justi, donec retríbuas mihi.

Glória Patri.

Aña. Pórtio mea Dómine sit in terra vivéntium.

Capitulum. 2. Thess. 3.

DOminus autem dírigat corda vestra in charitáte Dei : & patiéntia Christi.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea.

℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat, Antiphona. Suscépit Israël púerum suum recordátus Dóminus misericórdiæ suæ.

Deinde dicuntur parva Preces ut suprà. 151.

Quando verò dicuntur magnæ, habentur ibidem in Feria secunda. 251.

SABBA

SABBATO
Ad Vesperas.
Antiphona. Benedíctus.
Psalmus idem 143.

BEnedíctus Dñs Deus meus, qui docet manus meas ad prælium : * & dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, & refúgium meum : * suscéptor meus, & liberátor meus.

Protéctor meus, & in ipso sperávi : * qui subdit pópulum, meum sub me.

Dñe quid est homo, quia innotuísti ei : * aut filius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est : * dies ejus sicut umbra, prætéreunt.

Dómine inclína cælos tuos, & descénde : * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, & dissipábis eos : * emítte sagíttas tuas, & conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto : * éripe me, & líbera me de aquis multis : * & de manu filiórum alienórum.

Quorum os locútum est vanitátem : * & déxtera eórum, dextéra iniquitátis.

Deus cánticum novum cantábo tibi : * in psaltério decachórdo, psallam tibi.

Qui das salútem régibus : * qui redemísti David servum tuum : * de gládio malígno, éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum : * quorum os locútum est vanitátem : * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Quorum filii sicut novellæ plantatiónes : * in juventúte sua.

Filiæ eórum compósitæ : * circumornátæ, ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena : * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fœtósæ, abundántes in egréssibus suis : * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ : * neque tránsitus, neque clamor : * in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum, qui hæc sunt : * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus. Glória Patri.

Aña. Benedíctus Dóminus Deus meus.

Aña. Per síngulos dies.

Psalmus 144.

EXaltábo te Deus meus rex : * & benedícam nómini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Per síngulos dies benedícam

dicam tibi : * & laudábo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magnus Dñs, & laudá bilis nimis:* & magnitúdinis ejus, non est finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua : * & poténtiam tuam, pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ, sanctitátis tuæ loquéntur : * & mirabília tua narrábunt

Et virtútem terribílium tuórum dicent:* & magnitúdinem tuam, narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábūt : * & justítia tua exultábunt.

Miserátor & miséricors Dóminus: * pátiens, & multùm miséricors.

Suávis Dóminus univérsis : * & miseratiónes ejus, super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi Dómine, ómnia ópera tua : * & sancti tui, benedícant tibi.

Gloriā regni tui dicent:* & poténtiam tuā loquētur.

Vt notam fáciant filiis hóminum, poténtiam tuā:* & glóriam magnificéntiæ, regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium sæculórum : * & dominátio tua in omni generatióne & generatiónē.

Fidélis Dñs, in ómnibus verbis suis : * & sanctus in ómnibus, opéribus suis.

Allevat Dominus, omnes qui córruunt : * & érigit omnes elísos.

Oculi ómnium, in te sperant: * & tu das escam illórum, in tēpore opportúno.

Aperis tu manum tuam:* & imples omne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus, in ómnibus viis suis: * & sanctus in ómnibus, opéribus suis,

Propè est Dóminus, ómnibus invocántibus eum: * ómnibus invocántibus eū, in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet : * & deprecatiónem eórum exáudiet: * & salvos fáciet eos,

Custódit Dóminus omnes diligéntes se : * & omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini, loquétur os meum:* & benedícat omnis caro, nómini sancto ejus in sæculum, & in sæculum sæculi.

Glória Patri.

Aña. Per síngulos dies benedicam te Dómine,

Aña. Laudábo.

Psalmus

Psalmus 145.

LAuda ánima mea Dóminum:* laudábo Dóminum in vita mea:* psallam Deo meo, quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus, in filiis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam:* in illa die períbunt, omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus:* spes ejus in Dómino Deo ipsius:* qui fecit cælum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum:* facit judícium injúriã patiéntibus:* dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos:* Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos:* Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas:* pupíllum & víduam suscípiet:* & vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula:* Deus tuus Sion in generatióne, & generatiónem.

Glória Patri.

Antiph. Laudábo Deum meum in vita mea.

Antiph. Deo nostro.

Psalmus 146.

LAudáte Dóminũ, quóniam bonus est psalmus:* Deo nostro sit jocúnda, decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus:* dispersiónes Israël, congregábit.

Qui sanat contrítos corde:* & álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum:* & ómnibus eis, nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus:* & sapiéntiæ ejus, non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus:* humílians autem peccatóres, usque ad terrã.

Præcínite Dómino in cõfessióne:* psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus:* & parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum:* & herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum:* & pullis corvórum, invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi, volun

voluntátem habébit: * nec in tibiis viri, beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino, super timéntes eum: * & in eis qui sperant, super misericórdia ejus.

Glória Patri.

Aña. Deo nostro jocúnda sit laudátio. *Aña.* Flabit.

Psalmus 147.

LAuda Jerúsalem Dóminum: * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras, portárum tuárum: * benedíxit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus, quis sustinebit?

Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob: * justítias, & judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia sua, non manifestávit eis.

Glória Patri.

Aña. Flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Capitulum. Rom, 11.

DEus spei répleat vos omni gáudio & pace in credéndo; ut abundétis in spe: & virtúte Spíritûs sancti.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te Dómine.

℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Capitulum Deus spei. *cum versu sequenti, dicitur in Vesperis Sabbati à Dominica iij. post Pentecosten usque ad Adventum, Aña ad* Magnificat, *dicitur prout assignatur infra in Proprio de Tempore, post Añam dicitur Oratio propria. Deinde fiunt duæ Processiones ut suo loco notabitur & nulla dicuntur Preces.*

AD COMPLETORIUM.

Pater noster. Ave María.

℣. Sancti Spíritûs adsit nobis grátia. Amen.

℣. Convérte nos Deus salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine

℞. Dómine ad adjuvándum me festina.

Glória Patri. Allelúia.

Psalmus 4.

CUm invocárem exaudívit me, Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei: * & exáudi oratiónem meam.

Filij hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Scitóte quóniam mirificávit Dñs sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascimini & nolite peccáre:* quæ dicitis in córdibus vestris: * & in cubílibus vestris, compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, & speráte in Dómino: * multi dicunt, Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultûs tui Dñe:* dedísti lætítiã in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui, multiplicáti sunt.

In pace in idípsum, dórmiam & requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe, constituísti me.

Glória Patri.

Psalmus 30.

IN te Dómine sperávi non confúndar in ætérnum: * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurẽ tuã:* accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in domum refugij: * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu:* & propter nomen tuũ dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo quem abscondérunt mihi: * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum: * redemísti me Dómine Deus veritátis.

Glória Patri.

Psalmus 90.

QUi hábitat in adjutório Altíssimi: * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino, Suscéptor meus es tu: * & refúgium meum, Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium:* & à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrá-

bit tibi : * & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timebis à timóre noctúrno.

A sagitta volánte in die:* à negótio perambulánte in ténebris : * ab incúrsu & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille:* & decem millia à dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.

Veruntamen óculis tuis cõsiderábis:* & retributiónem peccatórum videbis.

Quóniam tu es Dñe spes mea : * altíssimum posuisti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum:* & flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te : * ut custódiant te in ómnibus viis tuis,

In mánibus portábunt te : * ne fortè offéndas ad lápidem pedum tuum.

Super áspidem & basilíscũ ambulábis:* & conculcábis leónem, & dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum , quóniam cognóvit nomen meum.

Clamávit ad me,& exáudiam eum:* cum ipso sum in tribulatióne : * erípiam eum,& glorificábo eum.

Longitúdine diérum replebo eum : * & ostendam illi salutare meum. Glória Patri. *Psalmus* 133.

Ecce nunc benedicite Dóminum : * omnes servi Dómini.

Qui statis in domo Dómini : * in átriis domûs Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta : * & benedicite Dóminum.

Benedicat te Dñs ex Siõ:* qui fecit cœlum & terram.

Glória Patri.

Allelúia , *vel* Laus tibi Dñe, Rex ætérnæ glóriæ.

Deinde dicitur unus ex Hymnis sequentibus singulis Hebdomadæ diebus assignatis , nisi proprius notetur.

Diebus Dominicis quando sit de Dominica.

Hymnus.

JEsu Salvátor sæculi,
Redémptis ope súbveni:
Ac pia Dei Génitrix,
Véniam posce míseris.

Cœtus omnes Angélici,
Patriarchárum cúnei ,
Ac Prophetárum mérita ,

Nobis

Nobis precéntur véniam.
Baptista Christi prævius,
Et cláviger æthéreus,
Cum céteris Apóstolis,
Nos solvant nexu críminis.
Chorus sacrátus Mártyrum,
Conféssio Sacerdótum,
Ac Virginális cástitas,
Nos à peccátis ábluant.
Monachórum suffrágia,
Omnésque cives cœlici,
Annuant votis súpplicum;
Et vitæ poscant præmium.
Laus, honor, virtus, glória,
Deo Patri, & Filio,
Unà cum sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Feria secunda. Hymnus.

TE lucis ante terminū,
Rerum Creátor póscimus,
Ut sólitâ cleméntiâ,
Sis præsul ac custódia.
Procul recedant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.
Præsta Pater omnípotēs,
Per Jesum Christum Dóminum,
Qui tecum in perpétuum,
Regnat cum sancto Spíritu. Amen.

Feria tertia. Hymnus.

CHriste qui lux es ac dies
Noctis ténebras détegis:
Lucísque lumen créderis,
Lumen beátum prædicans.
Precámur sancte Dñe;
Defénde nos in hac nocte;
Sit nobis in te réquies;
Quiétam noctem tribue.
Ne gravis somnus írruat,
Nec hostis nos surripiat:
Nec caro illi consentiens,
Nos tibi reos státuat.
Oculi somnum cápiant,
Cor ad te semper vígilet:
Déxtera tua prótegat,
Fámulos qui te díligunt.
Defénsor noster áspice,
Insidiántes réprime;
Gubérna tuos fámulos,
Quos sánguine mercátus es

Hic genuflectitur.

Meménto nostri Dñe,
In gravi isto córpore;
Qui es defénsor ánimæ,
Adésto nobis Dómine.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu paráclito,
Et nunc & in perpétuum.
Amen.

Feria quarta. Hymnus.

SOl Angelórum réspice
Quem concupíscit méntium,
Inténta visu cástitas,

Sursum manētem cérnere.
Quo cuncta pollent cœlitus,
Cursu, recúrsu próspero:
Quo vita constat ómnium,
Inténde grates súpplicum.
Da sérvulis custódiam,
Qua temperéntur cómmoda:
Advérsa sint innóxia,
Corrúpta ne sint péctora.
Frugálitas tu sénsuum,
Sator, salus, reféctio,
Potus, cibúsque gáudium,
Lux atque virtus córdium,
Repelle mēbris lúbrica:
Ne pólluat lascívia:
Ne fœda vexet pássio,
Culpétque mentis áctio.
Virtútis infer cópiam,
Qua cónferas cleméntiam:
Oblítus ut peccáminum,
Dones quiétem témporū.
Votis rogámus ástatim,
Supérna pax illábere:
Quò cuncta tuta pérpetim,
Serves subáctis scándalis.
Præsta Pater piíssime,
Patríque Compar únice,
Cum Spíritu paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Feria quinta. Hymnus.

DEus Creátor ómnium,
Políque rector: véstiens,
Diem decóro lúmine,
Noctem sopóris grátia.
Artus solútos ut quies
Reddat labóris úsui:
Mentésque fessas állevet,
Luctúsque solvat ánxios.
Grates perácto jam die,
Et noctis exórtu preces:
Votis, reos ut ádjuves,
Hymnum canéntes sólvimus.
Te cordis ima cóncinant
Te vox canóra cóncrepet:
Te díligat castus amor,
Te mens adóret sóbria.
Ut cùm profúnda cláuserit
Diem calígo nóctium:
Fides ténebras nésciat,
Et nox fidélis lúceat.
Dormíre mentē ne sinas:
Dormíre culpa nóverit:
Castos fides refrígeret:
Somni vapórem témperet.
Exúta sensu lúbrico
Te cordis alta sómnient:
Ne hostis ínvidi dolo
Pavor quiétos súscitet.
Christum rogémus, & Patrem
Nati Patrísque Spíritum:
Unum potens per ómnia
Fove precántes Trínitas. Amen.

Feria sexta. Hymnus.

CUltor Dei meménto
Te fontis & lavácri
Rorem subísse sacrum,

Te chrísmate innotátum.
Fac cum vocánte somno,
Castum petis cubíle:
Frontem locúmque cordis
Crucis figúra signet.
Crux pellit omne crimẽ,
Fúgiunt Crucem ténebræ:
Tali dicáta signo
Mens fluctuáre nescit.
Procul procul vagántum
Porténta somniórum:
Procul esto pervicáci
Præstigiátor astu.
O tortuóse serpens,
Qui mille per mæándros,
Fraudésque flexuósas,
Agitas quiéta corda.
Discéde Christus hic est:
Hic Christus est liquésce:
Signum quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.
Corpus licet satíscens
Jáceat reclive paulùm;
Christum tamen sub ipso
Meditábitur sopóre.
Cui laus, honórque summus,
Cum Patre sempitérno,
Paraclitóque sancto,
Extat per omne sæculum.
Amen.

Sabbato. Hymnus.

ALtíssimi Verbum Patris,
Almæque Jesu Vírginis,
Bis nate nostro gáudio
Carnísque factor & caro.
Decúrsu transit jam dies:
Emitte lumen cœlitus:
Favénsque lætus vesperi
Grates benigne súscipe.
Hoc solis ad finem tibi
Immense Christe pangimus:
Cœléste ut nostris tuum
Lumen ténebris fulgeat.
Mentémque fessam dum sopor
Noctis per alta détinet:
Obscúra cedant sómnia,
Pectúsque purum lúceat.
Quietem nullus córporis
Repat dolus lascíviæ:
Sed te Deus mens sómniet,
Te cor quiétum cógitet.
Votis simul cum córdibus
Nati, Patrísque Spíritûs
Hymnum sonántes in choro,
Zelo canámus pérpetim.
Amen.

Finito Hymno dicitur

℣. Custódi me Dómine ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me.

Canticum Simeonis. Luc. 2.

NUnc dimíttis servum tuum Dómine: * secúndùm verbum tuum in pace.

Quia vidérunt óculi mei Salutáre tuum: * quod

paráſti ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem Géntium : * & glóriam plebis tuæ Iſraël.

Glória Patri.

Aña. Nunc dimíttis ſervum tuum Dómine, ſecúndùm verbum tuum in pace.

Deinde dicuntur preces ſequentes.

KYrie eleïſon, Kyrie eléiſon. Chriſte eleiſon, Chriſte eléiſon. Kyrie eléiſon. *ſecretò.* Pater noſter. *uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. *Secretò.* Credo in Deum. *uſque ad* ℣. Carnis reſurrectiónem. ℟. Vitam æternam, Amen. ℣. Benedíctus es Dómine Deus patrum noſtrórum. ℟. Et laudábilis & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula. ℣. Benedicámus Patri, & Fílio cum ſancto Spíritu. ℟. Laudémus & ſuperexaltémus eum in ſæcula. ℣. Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula. ℣. Benedícat nos omnípotens Deus. ℟. Amen. ℣. Dignáre Dómine nocte iſta. ℟. Sine peccáto nos cuſtodíre. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui illúminas noctem, & lucem poſt ténebras facis : concéde nobis, ut hanc noctem, ſine impediménto sátanæ tranſeámus; atque matutínis horis ad altáre tuum recurréntes : tibi Deo grátias referámus. Per Dóminum noſtrum.

℣. Dóminus vobíſcum :
℟. Et cum ſpíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino;
℟. Deo grátias; *Poſteà Hebdomadarius ſignando ſe ſigno Crucis, dicit :* benedíctio Dei omnipoténtis; Patris, & Filij, & Spíritûs ſancti : deſcéndat ſuper nos, & cuſtódiat nos. ℟. Amen.

In Feſtis autem iij. Lect. & Feriis dicitur loco prædictæ Orationis ſequens Oratio.

Orémus. *Oratio.*

ILlúmina quæſumus Dómine ténebras noſtras :

&

& tótius noctis insídias, tu repélle propítius. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias; *Posteà Hebdomadarius signando se signo Crucis, dicit*: Benedíctio Dei omnipoténtis; Patris, & Filij, & Spíritûs sancti: descéndat super nos, & custódiat nos.
℟. Amen.

Supradicta preces dicuntur flexis genibus, quando dicta sunt magna Preces in Vesperis.

Deinde in Festis iij. Lect. & Feriis dicitur pro Defunctis. ℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis. *Psalm.* De profúndis. 155. *quo finito dicitur* ℣. Réquiem ætérnam dona eis. Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis. ℣. Dómine exáudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

OMnipotens sempitérne Deus, cui numquam sine spe misericórdiæ supplicátur: propitiáre animábus famulórum tuórum; ut qui de hac vita, in tui nóminis confessióne decessérunt: sanctórum tuórum número fácias aggregári. Per Dóminum nostrum.

Et dicitur secretò. ℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.

Et immediatè post dicitur una ex infrascriptis Antiphonis Beata Maria.

Diebus Dominicis. Ana.

VIrgo parens Christi paritúra Deum genuísti.
Fúlgida stella maris: nos prótege, nos tueáris.
Dum paris & gaudes: cantant cæli ágmina laudes;

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. *Oratio.*

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis salúte gaudére; & glorióſa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne à præsénti liberári tristítia: & ætérna perfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum;
℟. Amen. *secretò* ℣. A subitánea, & improvísa

morte líbera nos Dómine.
℞. Amen. ℣. Deus det nobis suam pacem, & post mortem vitam ætérnam.
℞. Amen.

Feria secunda & quinta Antiphona.

SAlve Regína misericórdiæ, vita, dulcédo, & spes nostra salve. Ad te clamámus éxules filij Evæ. Ad te suspirámus geméntes & flentes in hac lacrymárum valle. Eia ergo Advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exílium osténde. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo María
℣. *& Oratio ut suprà.*

Feria tertia & sexta.
Antiphona.

AVe Regína cœlórum,
Ave Dómina Angelórum:
Salve radix sancta
Ex qua mundo lux est orta:
Gaude gloriósa.
Super omnes speciósa.
Vale valdè decóra,
Et pro nobis semper Christum exóra.
℣. *& Oratio ut suprà.*

Feria quarta & Sabbato.
Antiphona.

ALma Redemptóris Mater, quæ pérvia cæli.
Porta manes, & stella maris: succúrre cadénti
(Súrgere qui curat) pópulo: tu quæ genuísti
Natúra mirante, tuum sanctum Genitórem.
Virgo priùs ac postériùs Gabriélis ab ore
Sumens illud Ave, peccatórum miserére.
℣. *& Oratio ut supra.*





Pars Æstiva

IN FESTO SS. TRINITATIS.

DUPLEX MAJUS.

AD VESPERAS.

Antiphona.

Glória tibi Trínitas. †

Psalmus 112.

LAudáte, púeri, Dóminum: * Laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes Gentes Dóminus; * & super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus, Deus noster: * qui in altis hábitat, & humília réspicit in cœlo & in terrâ.

Súscitans à terrâ ínopem; * & de stércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus: * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo: * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri.

Aña. Glória tibi, Trínitas, æquális una Deitas, & antè ómnia sæcula, & nunc & in perpétuum.

Aña. Laus & perénnis glória.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum, omnes Gentes: * laudáte eum, omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri.

Aña. Laus & perénnis glória Deo Patri, & Filio, Sancto simul Paráclito in sæcula sæculórum.

Aña. Glória laudis.

Psalmus 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum; * laudábo Dóminum in vitâ meâ: * psallam Deo meo quámdiu fuero.

Nolíte confídere in princípibus: * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit Spíritus ejus, & revertétur in terram suam:* in illâ die peribunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus: * spes ejus, in Dómino Deo ipsíus: * qui fecit cœlum & terram, mare & ómnia, quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum:* facit judícium injúriam patiéntibus: * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cœcos.

Dóminus érigit elísos: * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas: * pupíllum & víduam suscípiet: * & vias peccatorum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula: * Deus tuus Sion in generatióne & generatiónem.

Glória Patri.

Aña. Glória laudis résonet in ore ómnium, Patri Genitæque Proli, Spirítui sancto páriter resúltet laude perénni.

Aña. Laus Deo Patri.

Psalmus 146.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus: * Deo nostra sit jocúnda decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus:* dispersiónes Israël, congregábit.

Qui sanat contrítos corde: * & álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus; * & sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus: * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dño in confessióne: * psállite Deo in cíthara.

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum; * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit: * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dño super

per timéntes eum : * & in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Glória Patri.

Aña. Laus Deo Patri, Genitæque Proli, & tibi Sancte, stúdio perénni, Spíritus, nostro résonet in ore, omne per ævum.

Aña. Ex quo ómnia.

Psalmus 147.

LAuda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuarum: * benedixit Filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit Sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suum sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob: * justítias & judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia sua non manifestávit eis.

Glória Patri.

Antiph. Ex quo ómnia, per quem ómnia, in quo ómnia, ipsi glória in sæcula.

Capitulum. Rom, 11.

O Altitúdo divitiárum sapiéntiæ & sciéntiæ Dei; quam incomprehensibília sunt judícia ejus! & investigábiles viæ ejus.

℣. Benedicámus Patrem & Filium cum Sancto Spíritu.

℟. Laudémus & superexaltémus eum in sæcula, Allelúia, allelúia, allel.

Ad Magnificat, Antiph. Grátias tibi Deus; grátias tibi vera & una Trínitas: Una & Summa Déitas; Sancta & una Unitas. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

OMnipotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ Fidei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere; & in poténtia Majestátis adoráre unitátem: Quæsumus; ut ejúsdem Fidei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Ad Processionem.

℟. Benedícat nos Deus, Deus noster; Benedícat nos Deus:* Et métuāt eum omnes fines terræ.

℣. Deus misereátur nostri, & benedícat nos Deus. Et métuant. Glória Patri.

Orémus. *Oratio.*

CONcéde, quæsumus, Omnípotens & miséricors Deus; ut sicut in nómine Patris & Filij Divíni géneris intellígimus veritátem: sic in Spíritu sancto totíus cognoscámus substántiam Trinitátis, in quâ vivis & regnas Deus in unitáte ejúsdem Spíritûs sancti, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Ad Completor. Hymnus.

O Lux, beáta Trínitas,
Et principális Unitas;
Jam Sol recédit ígneus:
Infúnde lumen córdibus.

Te manè laudum cármine,
Te deprecémur vésperè;
Te nostra supplex glória
Per cuncta laudet sæcula.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio;
Cum Spíritu Paráclito:
Et nunc & in perpétuum.
Amen.

Ad Matutinum, Invitatorium. Deum verum, Unum in Trinitáte, & Trinitátem in Unitáte, veníte adorémus. *Duplicatur.*

Psalmus. Veníte exultémus. 2.

In primo Nocturno, Antiphona. Adésto Deus unus.

Psalmus 8.

DOmine, Dóminus noster: * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terrâ!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudē propter inimícos tuos: * ut destruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus: * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis: * glóriâ & honóre coronásti eum:* & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus: * oves & bo-

ves univérsas : * ínsuper & pécora campi.

Vólucres cœli & pisces maris : * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster:* quàm admirábile est nomen tuum in universa terrâ! Glória Patri.

Antiph. Adesto unus Deus omnípotens, Pater, & Fílius, & Spíritus sanctus.

Antiph. Te unum in substántia.

Psalmus 18.

Cœli enárrant glóriam Dei : * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum : & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermones : * quorum non audiántur voces eorũ.

In omnem terram exivit sonus eorum : * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * & ipse tamquàm sponsus procédens, de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad currendam viam : * à summo cælo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat à calore ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dómine fidele, sapiéntiam præstans párvulis.

Justitiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judicia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum, & lápidem pretiósum multum : * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea : * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * & ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * & emundábor à delícto máximo,

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjutor meus,& Redémptor meus,

Glória Patri.

Ant.

Aña. Te unum in substántia, Trinitátem in persónis confitémur.

Aña. Te semper idem esse.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus: * Orbis terrárum, & univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini: * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam suam: * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ: * Dóminus fortis & potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ. Glória Patri.

Aña, Te semper idem esse, vívere & intellígere profitémur.

℣. Benedicâmus Patrem & Filium cum sancto Spíritu.

℟. Laudémus & superexaltémus eum in sæcula. Allelúia, allelúia, allel.

De Isáia Prophéta.

Lectio j. Cap. 6.

IN anno, quo mórtuus est Rex ozías, vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & ea, quæ sub ipso erant, replébant templum. Séraphim stabant super illud; sex alæ uni, & sex alæ álteri: duábus velábant fáciem ejus; & duábus velábant pedes ejus: & duábus volábant. Et clamábant alter ad álterum; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus exercítuū; plena est omnis terra glóriâ ejus: & commóta sunt superliminária cárdinum; à voce clamántis: & domus repléta est fumo. *Non duplicantur Responsoria.*

℟. Benedícat nos Deus, Deus

Deus noster ; Benedícat nos Deus : * Et métuant eum omnes fines terræ.

℣. Deus misereátur nostri, & benedícat nos Deus. Et métuant.

Lectio ij.

ET dixi : væ mihi, quia tacui; quia vir pollútus lábiis ego sum, & in médio pópuli pollúta lábia habéntis ego hábito : & Regem Dóminum exercítuum vidi óculis meis. Et volavit ad me unus de Séraphim, & in manu ejus cálculus; quem fórcipe túlerat de altári : & tétigit os meum, & dixit. Ecce tétigit hoc lábia tua ; & aufe-rétur iníquitas tua : & peccátum tuum mundábitur. Et audivi vocem Dómini, dicéntis ; Quem mittam, & quis ibit nobis ? Et dixi: Ecce ego, mitte me.

℟. Benedíctus Dóminus Deus Israël, qui facit mirabília solus : * Et benedíctum nomen Majestátis ejus in ætérnum. ℣. Replébitur Majestáte ejus omnis terra, Fiat, fiat. Et benedíctum.

Lectio iij.

ET dixit; vade, & dices Pópulo huic : audite audiéntes, & nolíte intelligere ; & vidéte visiónem: & nolíte cognóscere. Excæca cor pópuli hujus, & aures ejus ággrava; & óculos ejus claude, ne fortè vídeat óculis suis, & áuribus suis áudiat ; & corde suo intélligat, & convertátur : & sanem eum. Et dixi ; Usquequò, Dómine? Et dixit : Donec desoléntur civitátes absque habitatóre ; & domus sine hómine : & terra relinquétur desérta. Et longè fáciet Dóminus hómines : & multiplicábitur quæ derelícta fúerat in médio terræ.

℟. Quis Deus magnus sicut Deus noster : * Tu es Deus, qui facis mirabília. ℣. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam : * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. Tu es Deus. Glória Patri. Tu es Deus.

In secundo Nocturno,

Antiph. Te invocámus.

Psalmus 46.

OMnes Gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit

Subjécit pópulos nobis:* & Gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam: * spéciem Jacob quam diléxit.

Ascendit Deus in júbilo,* & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite: * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus: * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super Gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórũ congregáti sunt cum Deo Abraham: * quóniam dij fortes terræ veheménter eleváti sunt,

Glória Patri.

Ana. Te invocámus, te adorámus, te laudámus, ô beáta Trínitas.

Aña. Spes nostra.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis: * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mõs Sion: * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur: * cùm suscípiet eam.

Quóniam, ecce, Reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus sic vídimus in civitáte Dómini virtútum: * in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam:* in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítiâ plena est dextera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ,* propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie álterâ.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in sæculum sæculi: *

ipse

ipse reget nos in sæcula.
Glória Patri.
Aña. Spes nostra, salus nostra, honor noster, ó beáta Trínitas.
Aña. Líbera nos.

Psalmus 71.

DEus, judícium tuum Regi da: * & justítiam tuam fílio Regis.

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo: * & colles justítiā.

Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet fílios páuperum: * & humiliabit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, & ante lunam: * in generatióne & generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus: * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia & abundántia pacis: donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare: * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes: * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent: * Reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes Reges: * omnes Gentes sérvient ei.

Quia liberábit páuperem à poténte: * & páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & inopi,* & ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum: * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ: * & adorábunt de ipso semper: * totâ die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terrâ in summis móntiū: * superextollétur super Líbanum fructus ejus: * & florébunt de civitáte, sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula: * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ: * omnes Gentes magnificábunt eum,

Benedíctus Dñs, Deus Israël, * qui fácit mirabília solus.

Et benedíctum nomen Majestátis ejus in ætér-

num : * & replébitur Majestáte ejus omnis terra, fiat, fiat. Glória Patri.

Ant. Libera nos, salva nos, justífica nos, ò beáta Trinitas.

℣. Benedíctus es Dómine, in firmaménto cœli.

℟. Et laudábilis, & gloriósus in sæcula, Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio iv.

Sermo S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Homil. 1. de Symbolo.

Credo in Deum Patrem omnipoténtem; Credo in Fílium: Credo in Spíritum sanctum. Quàm benè, per totum symbolum personárum propríetas distínguitur! Quàm maniféstè ómnibus his: tota Trinitas explicátur. Ut sit & in unitáte tripertíta distínctio: & in Trinitáte unita conjúnctio. Quómodo si dicat: Deus, Deus, Deus; ter unus Deus; una eadémque substántia: non una persóna. Quia & in álio loco légimus trium una glória personárũ; cœléstem persultáre concéntum: qui dicit. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus. Dum Sanctus singuláriter dícitur: apértè unus agnóscitur. In trina autem repetitióne: Trinitas declarátur.

℟. Magnus Dóminus, & magna virtus ejus: * Et sapiéntiæ ejus non est número. ℣. Magnus Dóminus, & laudábilis nimis; & magnitúdinis ejus non est finis. Et sapiéntiæ.

Lectio v.

Credo & in Fílium; ex Patre ergo Fílius: id est, majéstas ex majestáte; perféctio ex perfectióne: lumen ex lúmine. Quómodo si céreus illuminétur ex álio unus; ex utróque: ignis corúscat. Duo licet cérei sint, ipsa tamen flamma est in secúndo: quæ refúlget in primo. Ita & Verbum Dei; in quantùm possunt magnis parva conferri; cum Patre álius est in persóna: Sed non álius in substántia vel natúra. Sic compléctitur únitas Trinitátem; quómodo, verbi grátiâ, si trium solidórum persónæ uno ejúsdem auri: exprimántur metállo. Tres vidéntur, in distinctióne: sed unum probántur esse in género. Tres vidéntur in número: sed

sed unum cognoscúntur in mérito. Triplex quidem persóna; sed una substántia est: numerári potest, sed distíngui non potest.

℟. Gloria Patri, Genitæque Proli, & tibi compar utriúsque semper Spiritus Alme Deus Unus: * Omni témpore sæcli. ℣. Da gaudiórum præmia; da gratiárum múnera, dissolve litis víncula, adstringe pacis fœdera. Omni.

Lectio. vj.

Credo in Spíritum sanctum. Ergo sicut Pater & Fílius; ita & Spíritus sanctus omni fide credéndus; pari confessióne venerándus: eádem majestáte reveréndus. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; Deus, Deus, Deus, ter unus Deus; iterári potest: discérni non potest. Cùm díxeris Pater; Filius; Spíritus sanctus: persónas explicuísti. Cùm díxeris Deus: substántiam demonstrásti. Tu verò vigilánter obsérva; quómodo & distínguas: & jungas. Dícimus Patrem; & Filium; & Spíritum sanctum: ne æstimes unam crédere te debére persónam. Item dícimus unum Deum: ne putes esse plures natúras. Quòd autem Patrem & Filium & Spíritum sanctū; singulátim unū post unum dícimus: hoc ídeò quia simul exprímere tria nómina humáni sermónis paupertáte non póssumus. Non quia tribus grádibus ordinémus: Ubi totum unum est, nihil ibi potest esse vel tértium: vel secúndum. Totum ergo in plenitúdine divinitátis primum est: & quod vidétur sermónis necessitáte postrémum. In his tribus persónis númerus esse potest: ordo esse non potest. Nam, etsi distinctiónem récipit Trínitas: gradum tamen nescit æquálitas.

℟. Honor, virtus, & potéstas, & impérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte: * In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. In perénni. Glória Patri. In perenni.

In tertio Nocturno, Aña. Cháritas Pater est.

Psalmus 95.

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte

táte Dómino omnis terra.

Cãtáte Dño, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diẽ salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus: * in ómnibus pópulis, mirabília ejus.

Quóniam magnus Dñs, & laudábilis nimis: * terríbilis est, super omnes Deos.

Quóniam omnes dij Géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dño pátriæ géntiũ: * afférte Dño glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriã nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adoráte Dñm in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus, Quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli & exúltet terra: * cõmoveátur mare, & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & populos in veritáte sua.

Glória Patri.

Añ. Cháritas Pater est, grátia Fílius, communicátio Spíritus sanctus, ô beáta Trínitas.

Añ. Verax est Pater.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus: * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet: * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & cómóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriã ejus.

Confundántur omnes, qui adórant scuptília: * & qui gloriántur in simuláchris suis.

Adora

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ : * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas Sanctórum suórũ : * de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino, * & confitémini memóriæ sãctificatiónis ejus.

Glória Patri.

Añа. Verax est Pater, véritas Fílius, véritas Spíritus sanctus, ô beáta Trínitas.

Añа. Una ígitur.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus Salutáre suum : * ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ & veritátis suæ Dómui Israël.

Vidérunt omnes fines terræ Salutáre Dei nostri : * jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, & exultate, & psállite.

Psállite Dómino in cythara, in cythara & voce psalmi : * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini : * moveátur mare & plenitúdo ejus : * orbis terrárum & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul : * montes exultábunt à conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia : * & pópulos in æquitáte.

Glória Patri.

Añа. Una ígitur Pater, Fílius Paraclitúsque Substántia est, ô beáta Trínitas.

℣. Verbo Dómini cœli firmáti sunt.

℟. Et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum, Allelúia, allelúia, allelúia.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio

Lectio vij. Cap. 28.

IN illo tempore : Dixit Jesus Discípulis suis. Data est mihi omnis Potéstas in cœlo & in terrá. Eúntes ergò Docéte omnes Gentes; Baptizántes eos in nómine Patris, & Filij, & Spíritûs Sancti : docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis Et réliqua.

Homilía sancti Gregórij Nazianzéni.

Tract. de Fid., Oratione. 49

QUis Catholicórum ignórat; Patrem, verè esse Patrem; Filium verè Fílium : & Spíritum sanctum verè esse Spíritum sanctum : sicut ipse Dóminus ad Apóstolos suos dicit. Eúntes baptizáte omnes Gentes; in nómine Patris, & Filij : & Spíritûs Sancti. Hæc est perfécta Trinitas in unitáte consístens : quam scilicet unius substántiæ profitémur. Nō enim nos secúndùm córporum conditiónem; divisiónem in Deo fácimus : sed secúndùm divínæ natúræ poténtiam; quæ in matéria non est : & nóminum persónas verè constáre crédimus, & unitátem Divinitátis esse testámur.

℟. Tibi laus, tibi glória, tibi gratiárum áctio. * In sæcula sempitérna ó beáta Trinitas.

℣. Et benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum, & laudábile, & superexaltátum. In sæcula.

Lectio viij.

NEc extensiónem partis alicújus ex parte, ut quidam putavérunt; Dei Filium dícimus : nec verbum sine re, velut sonum vocis accípimus; sed tria nómina, & tres persónas, unius esse esséntiæ : unius majestátis atque poténtiæ crédimus. Et ídeò unum Deum confitémur : quia únitas majestátis, plúrium vocábulo Deos próhibet appellári. Dénique Patrem, & Fílium; cathólicè nominámus : duos autem Deos dícere nec póssumus, nec debémus. Non quòd Filius Dei, Deus non sit, imò verus Deus de Deo vero; sed quia non aliúnde, quàm de ipso uno Patre, Dei Filium nóvimus : perínde unum Deum dícimus. Hoc enim Prophétæ, hoc Apóstoli tradidérunt; hoc ipse Dóminus dócuit, cùm

cùm dicit: Ego & Pater unum sumus. Unum ad unitatem Divinitátis, ut dixi, refert; sumus autem Persónis assignat.

℟. Benedicámus Patrem & Filium cum sancto Spíritu, laudémus & superexaltémus eum. * In sæcula. ℣. Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli, & laudabilis & gloriósus. In sæcula.

Lectio sancti Evangélij secúndum Lucam.

Lectio ix. Cap. 6.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis. Estóte misericórdes: sicut & Pater vester miséricors est. Nolíte judicáre; & non judicabímini: nolíte condemnáre, & non condemnabímini. Dimíttite; & dimittémini: Date, & dábitur vobis. Et réliqua.

Homília sancti Augustini Epíscopi.

Serm. 15. in Evang. Matth. de verbis Domini, post initium.

DUo sunt ópera misericórdiæ, quæ nos líberant, quæ bréviter ipse Dóminus pósuit in Evangelio; Dimíttite, & dimittétur vobis: Date, & dábitur vobis. Dimíttite, & dimittétur vobis; ad ignoscéndum pértinet: Date, & dábitur vobis, ad præstándum beneficium pértinet. Quod ait de ignoscéndo; & tu vis tibi ignósci quod peccas: & habes álium cui tu possis ignóscere. Rursus, quod pértinet ad tribuéndum beneficium; petit te mendícus: & tu es Dei mendícus. Omnes enim quando orámus, mendíci Dei sumus; ante jánuam magni patris-familias stamus; imo & prostérnimur: súpplices ingemíscimus; voléntes áliquid accípere: & ipsum aliquid, ipse Deus est. Quid à te petit mendícus? Panem. Et tu quid petis à Deo, nisi Christum? qui dicit. Ego sum panis vivus: qui de cœlo descéndi. Ignósci vobis vultis: ignóscite. Remíttite: & remittétur vobis. Accípere vultis: date, & dábitur vobis.

℟. Summæ Trinitáti, símplici Deo una Divínitas, æquális glória, coætérna majéstas: Patri, Prolíque, sancto Flámini. * Qui totum subdit suis orbem légibus.

gibus. ℣. Præstet nobis grátiam Deitas beáta Patris, ac Nati, páritérque Spiritus almi. Qui totum.
Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

Antiphona.

O Beáta & benedícta, & gloriósa Trínitas: Pater & Filius, & Spiritus sanctus; Tibi laus, Tibi glória, Tibi gratiárum actio. *Psalmus.* Dóminus regnávit. *Cum reliquis de Dominica, Aña.* O Beáta & benedícta, & gloriósa Trínitas: Pater & Filius, & Spíritus sanctus; Miserére, Miserére, Miserére, nobis.

Aña. O vera, summa, sempíterna Trinitas: Pater & Filius, & Spíritus sanctus; Tibi laus, Tibi glória, Tibi gratiárum áctio.

Aña. O vera, summa, sempitérna Trinitas: Pater & Filius, & Spiritus sanctus; Miserére, Miserére, Miserére nobis.

Aña. Te jure laudant, te adórant, te glorificant omnes creatúræ tuæ. O beáta Trínitas, Tibi laus, Tibi glória, Tibi gratiárum áctio.

Capitulum. Rom. 11.

O Altitúdo divitiárum sapiéntiæ & scientiæ Dei; quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus! & investigábiles viæ ejus.

℣. Sit Nomen Dómini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, & usque in sæculum, Allelúia, allelúia, allelúia.

Ad Benedictus, Antiph. Benedícta sit creátrix & gubernátrix ómnium sáncta & individua Trínitas, & nunc, & semper, & per infiníta sæculórum sæcula. *Duplicatur.*

Orémus, *Oratio.*

OMnipotens sempitérne Deus, qui dedisti fámulis tuis in confessióne veræ fidei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere; & in poténtia Majestátis adoráre Unitátem! Quæsumus; ut ejúsdem fidei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Ad primam dicitur Symbolum S. Athanasij. Quicúmque.

Ad Tertiam, Capitulum. O Altitúdo divitiárum. *ut suprà.*

℟. Benedicámus Patrem

&

& Filium cum sancto Spíritu, Allelúia, allelúia.

℣. Laudémus & superexaltémus eum in sæcula, Allelúia, allelúia.

Gloria Patri.

℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli.

℟. Et laudábilis, & gloriósus in sæcula, Allelúia, allelúia, allelúia.

Oratio. Omnípotens sempitérne Deus. *ut suprà.*

Ad Sextam.

Capitulum. 2. Cor. 13.

GRátia Dómini nostri Jesu Christi, & Cháritas Dei, & communicátio sancti Spíritûs: sit cum ómnibus vobis, Amen.

℟. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli, Allelúia, allelúia.

℣. Et laudábilis, & gloriósus in sæcula, Allelúia, allelúia. Glória Patri.

℣. Verbo Dómini cœli firmáti sunt.

℟. Et spíritu oris ejus omnis virtus eórum, Allelúia, allelúia, allelúia.

Orémus. *Oratio.*

COncéde, quæsumus, Omnípotens & Miséricors Deus, ut sicut in Nómine Patris & Filij Divíni Géneris intellígimus veritátem; Sic in Spíritu sancto totius cognoscámus substántiam Trinitátis: in quâ vivis & regnas Deus in unitáte ejúsdem Spíritûs sancti, per ómnia sæcula sæculórum, Amen.

Ad Nonam.

Capitulum. 1. Joan. 5.

TRes sunt, qui testimónium dant in cœlo; Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: Et hi tres unum sunt.

℟. Verbo Dómini cœli firmáti sunt, Allelúia, allel.

℣. Et spíritu oris ejus omnis virtus eórum, Allelúia, allelúia. Glória Patri.

℣. Sit Nomen Dómini benedíctum.

℟. Ex hoc nunc, & usque in sæculum, Allelúia, allelúia, allelúia.

Orémus. *Oratio.*

DOmine Deus, Pater Omnípotens, nos Fámulos tuos tuæ Majestáti subjéctos; per únicum Fílium tuum in virtúte sancti Spíritûs bénedic, & prótege: ut ab omni hoste secúri, in tuâ júgiter laude lætémur. Per Dóminum. Ejúsdem.

Ad Vesperas, Antiphona. O beáta & Benedícta. *cum*

reliquis de Laudibus.

Psalm. Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica.*

Capitulum. O altitúdo. *ut suprà.*

℣. Benedicámus Patrem, & Filiũ cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus & superexaltémus eum in sæcula, Allelúia, allelúia, allel.

Ad Magnificat, Antiph. Te Deum Patrem ingénitum, Te Filium unigénitũ, Te Spíritum sanctum Paráclitum: Sanctam & indivíduam Trinitátem toto corde & ore cõfitémur, laudámus atque benedícimus; Tibi glória in sæcula.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fidei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere; & in poténtia Majestátis adoráre Unitátem: Quæsũmus; ut ejúsdem fidei firmitáte: ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Ad Processionem. ℟. Summæ Trinitáti símplici Deo una Divínitas, æquális glória, coætérna Majéstas Patri, Prolíque, sancto Flámini, * Qui totum subdit suis * Orbem légibus. ℣. Præstet nobis grátiam Déitas beáta Patris ac Nati, paritérque Spíritûs almi. Qui totum. Glória Patri & Fílio, & Spirítui sancto. Orbem légibus.

Orémus. *Oratio.*

DOmine Deus, Pater Omnípotens, nos fámulos tuos tuæ Majestáti subjéctos; per únicum Fílium tuum in virtúte sancti Spíritûs bénedic, & protege: ut ab omni hoste secúri, in tuâ júgiter laude lætémur. Per Dóminum. Ejúsdem.

Ad Completor. Hymnus. O Lux beáta Trínitas. *ut sup.*

FERIA SECUNDA.

Omnia dicuntur ut in Psalterio, cum Oratione Dominica ut sequitur.

Orémus. *Oratio.*

DEus, in te sperántium fortitúdo, adésto propítius invocatiónibus nostris; ut quia sine te nihil potest mortális infírmitas: Præsta auxílium grátiæ tuæ; ut in exequéndis mandátis tuis: & voluntáte tibi, & actióne placeámus. Per.

Hac nocte ponuntur libri Regum, de quibus legitur per ordinem.

In Choro prima Lectio legitur de Prologo incipiente. Viginti duas. *Pro secunda verò initium Libri primi Regum.*

Incipit liber primus Regũ.

Lectio j. Cap. 1.

FUit vir unus de Ramáthaim Sophim, de monte Ephraïm, & nomen ejus Elcana, filius Jóroham, filij Eliud, filij Thohu, filij Suph Ephrathæus. Et hábuit duas uxóres; nomen uni Anna: & nomen secúndæ Phenénna. Fuerúntque Phenennæ filij: Annæ autem non erant líberi. Et ascendébat vir ille de civitáte suâ statútis diébus; ut adoráret: & sacrificáret Dómino exercítuum in Silo. Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni, & Phínees: Sacerdótes Dómini.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, & servíte illi soli: * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, & aufférte Deos aliénos de médio vestri. Et liberábit. *Lectio ij.*

VEnit ergo dies, & immolávit Elcana, dedítque Phenénnæ uxóri suæ; & cunctis filiis ejus & filiábus partes: Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. Dóminus autem conclúserat vulvam ejus; affligébat quoque eam æmula ejus; & veheménter angébat in tantùm, ut exprobráret quòd Dóminus conclusísset vulvam ejus; idque faciébat per síngulos annos, cùm redeúnte témpore ascénderent ad templum Dómini & sic provocábat eam. Porrò illa flebat: & non capiébat cibum. Dixit ergo ei Elcana vir suus. Anna, cur fles? & quare non cómedis; & quamóbrem affligitur cor tuum? Numquid non ego mélior tibi sum, quàm decem filij?

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, & de manu béstiæ liberávit me: * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórũ. ℣. Qui docet manus meas ad prælium, & dígitos meos ad bellum. Ipse me.

Lectio iij.

SUrréxit autem Anna: postquàm coméderat, & bíberat in Silo. Et Heli

Sacerdóte sedénte super sellam ante postes templi Dómini; cùm esset Anna amáro ánimo; orávit ad Dóminum, flens lárgiter, & votum vovit: dicens. Dómine exercítuum, si respíciens víderis afflictiónem famulæ tuæ; & recordátus mei fueris: nec oblítus ancíllæ tuæ, dederísque servæ tuæ sexum virílem; dabo eum Dómino ómnibus diébus vitæ ejus: & novácula non ascéndet super caput ejus.

℟. Percússit Saül mille, & David decem míllia; quia manus Dómini erat cum illo: * Percússit Philisthæũ, & ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Invocávit Dóminum omnipoténtem, & dedit in déxtera ejus tóllere hóminem fortem in bello, & exaltáre cornu gentis suæ. Glória Patri. Percússit.

FERIA TERTIA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 1.

FActum est autem, cùm illa multiplicáret preces coram Dómino: ut Heli observáret os ejus. Porrò Anna loquebátur in corde suo; tantúmque lábia illíus movebántur: & vox pénitùs non audiebátur. Æstimávit ergo eam Heli tumuléntam: dixítque ei. Usquequò ébria eris? dígere paulísper vinum quo mades. Respóndens Anna, Nequaquàm, inquit, Dómine mi: nam múlier infelix nimis ego sum, vinúmque & omne quod inebriáre potest; non bibi: sed effúdi ánimam meam in conspéctu Dómini. Ne réputes ancíllam tuam quasi unam de filiábus Bélial: quia ex multitúdine dolóris & mœróris mei locúta sum usque in præsens. Tunc Heli ait ei. Vade in pace: & Deus Israël det tibi petitiónem tuam, quam rogásti eum. Et illa dixit: Utinam invéniat ancílla tua grátiam in óculis tuis.

℟. Montes Gélboë, nec ros, nec plúvia véniant super vos; * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Neque ibi sint agri Primitiárum, quia ibi abjéctus est clypeus fórtium. Ubi.

Lectio ij.

ET ábiit múlier in viam suam; & comédit: vultúsque illius non sunt ámplius

pliùs in divérsa mutáti. Et surrexérunt manè, & adoravérunt coram Dómino; reversíque sunt: & venérunt in Domum suam Rámatha. Cognóvit autem Elcana Annam uxórem suam: & recordátus est ejus Dóminus. Et factum est post círculum diérum; concépit Anna, & péperit fílium; vocavítque nomen ejus Sámuël: eò quòd à Dómino postulásset eum. Ascéndit autem vir ejus Elcana, & omnis Domus ejus; ut immoláret Dómino hóstiam solémnem, & votum suum; & Anna non ascéndit: dixit enim viro suo. Non vadam, donec ablactétur infans; & ducam eum, ut appáreat ante conspéctum Dómini: & máneat ibi júgiter.

℟. Deus ómnium exaudítor est: * Ipse misit Angelum suum, & tulit me de óvibus Patris mei, & unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, & de manu béstiæ liberávit me. Ipse misit.

Lectio iij.

ET ait Elcana vir suus. Fac bonum, quod tibi vidétur; & mane donec abláctes eum: precorque ut impleat Dóminus verbum suum. Mansit ergo múlier; & lactávit fílium suum donec amovéret eum à lacte: & addúxit eum secum, postquàm ablactáverat; in vítulis tribus, & tribus módiis farínæ; & ámphora vini: & addúxit eum ad domum Dómini in Silo. Puer autem erat adhuc infántulus. Et immolavérunt vítulum: & obtulérunt púerum Heli. Et ait Anna: Obsecro mi Dómine; ego sum illa múlier: quæ steti coram te hîc orans Dóminum. Pro púero isto orávi; & dedit mihi Dominus petitiónem meam: quam postulávi eum. Idcírco & ego eum commodávi Dómino cunctis diébus; quibus fúerit commodátus Dómino: Et adoravérunt ibi Dóminum.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dixit Dóminus; & pósui te páscere gregem pópuli mei: & fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti: * Firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen

grande juxta nomen magnórum in terrâ ; & réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. Firmans. Glória Patri. Firmans regnum.

FERIA QUARTA

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 2.

POrrò filij Heli, filij Bélial, nesciéntes Dóminum ; neque officium Sacerdótum ad pópulum : sed quicúmque immoláſset víctimam ; veniébat puer Sacerdótis, dum coqueréntur carnes : & habébat fuscínulam tridéntem in manu suâ, & mittébat eam in lebétem ; vel in caldáriam, aut in ollam sive in cácabum ; & omne quod levábat fuscínula, tollébat Sacérdos sibi : sic faciébant univérso Israëli veniéntium in Silo.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi, ut ædificárem templum Nómini tuo : * Bénedic & sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Stetit autem Sálomon ante Altáre Dómini, & expándit manus suas in cœlum, & ait. Bénedic & sanctífica.

Lectio ij.

ETiam ántequam adolérent ádipem ; veniébat puer Sacerdótis : & dicébat immolánti. Da mihi carnem; ut coquam Sacerdóti : non enim accípiam à te carnem coctam sed crudam. Dicebátque illi ímmolans. Incendátur primùm juxta morem hódiè adeps : & tolle tibi quantumcúmque desíderat ánima tua. Qui respóndens ajébat ei. Nequaquàm : nunc enim dabis, alióquin tollam vi. Erat ergo peccátum puerórum grande nimis coram Dómino : quia retrahébant hómines à Sacrifício Dei.

℟. Audi, Dómine, hymnum & oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódiè ; ut sint óculi tui apérti, & aures tuæ inténtæ : * Super domum istam die ac nocte. ℣. Qui regis Israël, inténde ; qui dedúcis velut Joseph : qui sedes super Chérubim apparére. Super domum.

Lectio iij.

SAmuël autem ministrábat ante fáciem Dómini, puer : accínctus ephod líneo. Et túnicam

parvam

parvam faciébat ei mater sua; quam afferébat statútis diébus ascéndens cum viro suo ut immoláret hóstiam solémnem. Et benedixit Heli Elcanæ; & uxóri ejus; dixítque ei. Reddat tibi Dóminus semen de muliere hâc, pro fœnore quod commodásti Dómino: & abiérunt in locum suum. Visitávit ergo Dóminus Annam, & concépit; & péperit tres filios & duas filias. Et magnificátus est puer Sámuël apud Dóminum

℟. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, & oráverit ad sanctuárium tuum, tu exáudies de cælo, Dómine: * Et líbera eos de mánibus inimicórum eórum. ℣. Et dimitte peccáta servórum tuórum, & pópuli tui Israël. Et libera. Glória Patri. Et libera.

FERIA QUINTA.

Celebratur Festum Corporis Christi.

Si eâ die occurrat Festum Duplex vel Semiduplex transfertur in sequentem diem: Si simplex, nulla dicitur lectio de eo.

Infra Octavam non fit de Festo, nisi fuerit Duplex: vel Semiduplex de Simplici fit tantùm Commemoratio. In Missa.

In die Octava non fit, nisi de Nativitate S. Ioannis, de Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, SS. Irenæi & Sociorum ejus, vel de alio ex Solemnioribus, si occurrant, cum Commemoratione Octavæ.



IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

AD VESPERAS.

Antiphona. Sacérdos in ætérnum.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos: * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dñs ex Sion: * domináre in médio, inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ: * in splēdóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum, génui te.

Jurávit Dóminus & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnū, * secúndū órdinem, Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis: * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in viâ bibet: * proptéreà exaltábit caput.

Glória Patri.

Aña. Sacérdos in ætérnum Christus Dóminus, secúndùm órdinem Melchísedech; panem & vinum óbtulit.

Aña. Miserátor Dñs.

Psalmus 110.

COnfitebor tibi, Dómine, in toto corde: * in concílio justórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus: * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo.

Ut det illis hæreditátem géntium: * ópera mánuum

ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : * confirmáta in sæculum sæculi : * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum & terríbile nomen ejus:* inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Glória Patri.

Aña. Miserátor Dóminus escam dedit timéntibus se, in memóriam suórum mirabílium.

Aña. Cálicem Salutáris.

Psalmus 115.

CRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino : * pro ómnibus quæ retríbuit mihi.

Cálicem salutáris accípiam : * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, & filius ancíllæ tuæ.

Dirupísti, víncula mea : * tibi Sacrificábo hóstiam laudis : * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Glória Patri.

Aña. Cálicem Salutáris accípiam, & sacrificábo hóstiam laudis.

Aña. Sicut novéllæ.

Psalmus. 127.

BEáti omnes qui timent Dóminũ : * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, & benè tibi erit.

Vxor tua sicut vitis abúndans : * in latéribus domûs tuæ.

Filij tui sicut novéllæ olivárum : * in circúitu mensæ tuæ,

Ecce sic benedicétur homo : * qui timet Dóminũ.

Benedícat tibi Dóminus

ex

ex Sion : * & videas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et videas filios filiórum tuórũ : * pacẽ super Israël.

Glória Patri.

Aña. Sicut novéllæ olivárum, Ecclésiæ filij sunt in circúitu mensæ Dómini.

Aña. Qui pacem.

Psalmus 147.

LAuda Jerúsalem Dñm:* lauda Deum tuũ Sion.

Quóniam confortávit seras, portárum tuárum : * benedíxit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suum, sicut buccéllas: * ante fáciem frigoris ejus, quis sustinebit?

Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, & judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * & judícia sua, non manifestávit eis.

Glória Patri.

Aña. Qui pacem ponit fines Ecclésiæ; fruménti ádipe sátiat nos Dóminus.

Capitulum. 1. Cor. 11.

EGo enim accépi à Dómino, quod & trádidi vobis ; Quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens fregit & dixit : Accípite, & manducáte ; Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc facite in meam commemoratiónem.

℣. Panẽ de cælo præstitísti eis. ℟. Omne delectaméntũ in se habéntẽ. Allel. all. all.

Ad Magnificat, Antiph. O quàm suavis est, Dómine, Spíritus tuus, qui ut dulcédinem tuam in filios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstito, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimittens inánes.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili; Passiónis tuæ memóriam reliquísti : tribue, quæsumus ; ita nos Córporis & Sánguinis tui sacra mystéria venerári : ut Ré-

demptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis & regnas.

Ad Processionem.

℟. Homo quidam fecit Cœnam magnam, & misit servum suum horâ Cœnæ dícere invitátis, ut venírent: * Quia paráta sunt ómnia. ℣. Veníte, comédite panem meum; & bibite vinum quod míscui vobis. Quia. Glória Patri. Quia.

Orémus. *Oratio.*

FAc nos, quæsumus, Dómine; Divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri: quam Pretiósi Córporis & Sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat. Qui vivis.

Ad Completor. Hymnus.

PAnge, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguiniśque pretiósi,
Quem in mundi prétium:
Fructus ventris generósi,
Rex effúdit géntium.

Nobis dátus, nobis natus
Ex intáctâ Vírgine;
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine:
Sui moras incolátûs,
Miro clausit órdine.

In suprémæ nocte Cœnæ
Recúmbens cum frátribus;
Observátâ lege plenè
Cibis in legálibus:
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

Verbum Caro Panem verum
Verbo Carnem éfficit;
Fitque Sanguis Christi merum:
Et si sensus déficit,
Ad firmándum cor sincérũ
Sola fides súfficit.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui,
Et antíquum documéntũ
Novo cedat rítui:
Præstet fides suppleméntũ
Sénsuum deféctui.

Genitóri Genitóque
Laus & jubilátio,
Salus, honor virtus quoque
Sit, & benedictio:
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio.
Amen.

Prædictus Hymnus dicitur per Octavam.

In primo Nocturno.

Ad Matutinum, Invitatorium. Christum Regem adorémus dominántem Géntibus, Qui se manducántibus dat spíritûs pinguédinem.

Psalm. Veníte, exultémus.

In primo Nocturno.

Antiphona. Fructum salutíferum.

Psalmus 1.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórũ: * & in viâ peccatórum non stetit: * & in cathedra pestiléntiæ non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus: * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquàm lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum: * quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcúmque fáciet prosperabúntur.

Non sic ímpij, non sic: * sed tamquàm pulvis, quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpij in judício: * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * & iter impiórum períbit.

Glória Patri.

Aña. Fructum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

Aña. A fructu.

Psalmus 4.

CUm invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei: * & exáudi orationem meam.

Fílij hóminum, úsquequò gravi corde: * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Et scitóte, quóniam mirificávit Dóminus Sanctũ suum: * Dóminus exáudiet me cùm clamávero ad eum.

Irascímini, & nolíte peccáte: * quæ dícitis in córdibus vestris: * & in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificâte sacrifícium justítiæ, & speráte in Dómino: * multi dicunt; Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultûs tui Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo:

A fructu fruménti, vini, & ólei sui, multiplicáti sunt.

In pace in idípsum, dormiam & requiéscam.

Quóniam tu, Dómine singuláriter in spe constituísti me. Glória Patri.

Aña.

Aña. A fructu fruménti & vini, multiplicáti Fidéles in pace Christi requiéscunt.

Antiphona. Communióne Cálicis.

Psalmus 15.

COnsérva me, Dómine; quóniam sperávi in te: * Dixi Dómino; Deus meus es tu: * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terrâ ejus: * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei: * tu es, qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris:* étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam à déxtris est mihi ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea: * ínsuper & caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno:* nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónē.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætitia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tuà usque in finem.

Glória Patri.

Aña. Communióne Cálicis, quo Deus ipse súmitur, non vitulórum sánguine congregávit nos Dóminus.

℣. Panem cœli dedit eis.

℟. Panem Angelórū manducávit homo, Allelúia, allelúia, allel.

De Epístola prima B. Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 11.

COnveniéntibus vobis in unum, jam non est Domínicam Cœnam manducáre; unusquísque enim suam cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit, álius autem ébrius est. Numquid non domos habétis ad manducándum.

ándum, & bibéndum? Aut, Ecclésiam Dei contémnitis; & confúnditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℞. Immolábit hœdū multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschæ: * Et edent carnes, & ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus; ítaque epulémur in ázymis sinceritátis & veritátis. Et edent.

Lectio ij.

EGo enim accépi à Dómino quod & trádidi vobis; quóniam Dóminus Jesus in quâ nocte tradebátur, accépit Panem; & grátias agens, fregit: & dixit. Accípite, & manducáte; Hoc est Corpus meū: quod pro vobis tradétur. Hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter & Cálicem: postquàm cœnávit, dicens. Hic calix novum testaméntum est in meo Sánguine. Hoc fácite quotiescúmque bibétis: in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis; mortem Dómini annuntiábitis: donec véniat.

℞. Comedétis carnes, & saturabímini pánibus: * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Iste est.

Lectio iij.

ITaque, quicúmque manducáverit panem hunc vel bíberit Cálicem Dómini indignè: reus erit Córporis & Sánguinis Dómini. Probet autem seípsum homo; & sic de Pane illo edat: & de Cálice bibat. Qui enim mandúcat, & bibit indignè; judícium sibi mandúcat & bibit: non dijúdicans Corpus Dómini. Ideò inter vos multi infirmi; & imbecílles: & dórmiunt multi. Quòd si nosmetípsos dijudicarémus: non útique judicarémur. Dum judicámur autem à Dómino corrípimur: ut non cum hoc mundo damnémur.

℞. Respéxit Elias ad caput suum subcinerícium panem; qui surgens comédit & bibit: * Et ambulávit in fortitúdine cibi illius

usque

usque ad montem Dei.

℣. Si quis manducáverit ex hoc Pane vivet in ætérnum. Et ambulávit. Glória Patri. Et ambulávit.

In secundo Nocturno,

Aña. Memor sit.

Psalmus 19.

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto: * & de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícij tui: * & holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndùm cor tuum: * & omne consílium tuum confirmet.

Lætábimur in salutári tuo: * & in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo: * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus & hi in equis: * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt & cecidérunt: * nos autem surréximus, & erécti sumus.

Dómine salvum fac Regem: * & exáudi nos in die, quâ invocavérimus te. Glória Patri.

Aña. Memor sit Dóminus Sacrifícij nostri, & holocáustum nostrum pingue fiat.

Aña. Parátur nobis.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ: * propter nomen suum.

Nam si ambulávero in médio umbræ mortis: * non timébo mala, quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus, ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians, quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur

sequetur me : * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, in longitúdinem diérum. Glória Patri.

Aña. Parátur nobis mensa Dómini advérsus omnes, qui tríbulant nos.

Aña. In voce exultatiónis.

Psalmus 41.

Quemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fontem vivum : * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei ?

Fuérunt mihi láchrymæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídiè ; Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis, sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea ? & quare contúrbas me ? * spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad me ipsum ánima mea conturbáta est : * proptéreà memor ero tui de terrâ Jordánis : * & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat : * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam : * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ : * dicam Deo ; Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei & quare contristátus incédo ? * dum afflígit me inimícus.

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies ; Ubi est Deus tuus ? * Quare tristis es ánima mea ? & quare contúrbas me ?

Spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus. Glória Patri.

Aña. In voce exultatiónis résonent epulántes in mensa Dómini.

℣. Cibávit

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petrâ melle saturávit eos, Allelúia, allelúia, allelúia.

Sermo sancti Thomæ Aquinátis.

In Opusculo 57.

IMménsa Divínæ largitátis beneficia exhíbita pópulo Christiáno: inæstimábilem ei cónferunt dignitátem. Neque enim est, aut fuit aliquándo tàm grandis nátio; quæ habeat Deos appropinquántes sibi: sicut adest nobis Deus noster. Unigénitus síquidem Dei Fílius, suæ Divinitátis volens nos esse partícipes; natúram nostram assúmpsit: ut hómines deos fáceret factus Homo. Et hoc ínsuper quod de de nostro assúmpsit: totum nobis cóntulit ad salútem. Corpus namque suum pro nostrâ reconciliatióne in arâ crucis hóstiam óbtulit Deo Patri: Sánguinem suum fudit in prétium simul & lavácrum; ut redémpti à miserábili servitúte: à peccátis ómnibus mundarémur. Ut autem tanti beneficij jugis in nobis manéret memória, Corpus suum in cibum; & sánguinem in potum: sub spécie panis & vini suméndū, fidélib⁹ derelíquit. ℟. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; litigábant ergo Judæi, dicéntes: * Quómodò potest hic nobis dare carnem suam ad manducándum. ℣. Locútus est pópulus contra Dóminum; Anima nostra náuseat super cibo isto levíssimo. Quómodò. *Lectio v.*

O Pretiósum & admirándum convívium; salutíferum: & omni suavitáte replétū! Quid enim hoc cōvívio pretiósiùs esse potest? in quo non carnes vitulórum & hircórum; ut olim in lege: sed nobis Christus suméndus propónitur verus Deus. Quid hoc Sacraménto mirabílius? In ipso namque panis & vinum in Christi corpus & sánguinem substantiáliter cōvertúntur: ideóq; Christus De⁹, & Homo perféctus, sub módici panis & vini spécie cōtinétur. Manducátur ítaque à fidélibus, sed mínimè lacerátur; quinímò divíso Sacraménto: sub quálibet divisiónis partícula ínteger persevérat.

rat. Accidéntia autem sine subjécto in eodem subsístunt; ut fides locum hábeat: dum invisibíliter visibíliter súmitur, aliéna spécie occultátum; & sensus à deceptióne reddántur immúnes: qui de accidéntibus júdicant sibi notis.

℟. Cœnántibus illis accépit Jesus panem, & benedíxit ac fregit, dedítque discípulis suis, & ait: Accípite & comédite, Hoc est Corpus meum.

℣. Dixérunt viri tabernáculi mei: Quis det de cárnibus ejus ut saturémur? Accípite. *Lectio vj.*

NUllum étiam Sacraméntum est isto salúbrius, quo purgántur crímina; virtútes augéntur: & mens ómnium spiritálium charísmatum abundántia impinguátur. Offértur in Ecclésia pro vivis & mórtuis; ut ómnibus prosit: quod est pro salúte ómnium institútum. Suavitátem dénique hujus Sacraménti nullus exprímere súfficit; per quod spiritális dulcédo in suo fonte gustátur: & recólitur memória illíus; quam in sua Passióne Christus monstrávit: excellentíssimæ Charitátis. Undè, ut árctiùs hujus Charitátis imménsitas fidélium córdibus infigerétur, in última Cœnâ, quando Pascha cum discípulis celebráto transitúrus erat de hoc mundo ad Patrem: hoc Sacraméntum instítuit; tamquam Passiónis suæ memoriále perénne, figurárum véterum impletívum; miraculórum ab ipso factórum máximum: & de suâ contristátis abséntia solátium singuláre relíquit.

℟. Accépit Jesus Cálicem, postquàm cœnávit, dicens: Hic Calix Novum Testaméntum est in meo sánguine; * Hoc fácite in meam commemoratiónē.

℣. Memóriâ memor ero, & tabéscet in me ánima mea. Hoc fácite. Glória Patri. Hoc fácite.

In tertio Nocturno.

Antiph. Introíbo ad Altáre Dei. *Psalm.* 42.

JUdica me, Deus, & discérne causam meam de gente non sancta: * ab hómine iníquo & dolóso érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea: * quare me repulísti,

sti, & quare tristis incédo:* dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam; & veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, ánima mea, & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus. Glória Patri.

Aña. Introíbo ad altáre Dei; sumam Christum, qui rénovat juventútem meã.

Aña. Cibávit nos.

Psalmus 80.

EXultáte Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, & date tympanum: * psaltérium jocúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba: * in insígni die solemnitátis vestræ.

Quia præcéptum in Isræl est: * & judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud: * cùm exíret de terrâ Ægypti, linguam quam nõ nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus: * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, & liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis: * probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi pópulus meus, & contestábor te: * Israël, si audíeris me, non erit in te Deus recens: * neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terrâ Ægypti: * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam: * & Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndùm desidéria cordis eórum: * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me: * Israël si in viis meis ambulásset.

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem: * & super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei: * & erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe

fruménti:

fruménti : * & de petra melle saturávit eos.

Glória Patri.

Aña. Cibávit nos Dóminus ex ádipe fruménti, & de petrâ melle saturávit nos. *Aña.* Ex altári tuo.

Psalmus 83.

QUàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum: * concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea, exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum:* & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum:* Rex meus & Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * Ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lachrymárum: * in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor: * ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam:* áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus:* & réspice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una, in átriis tuis, super míllia.

Elégi abjectus esse in domo Dei mei:* magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, Beátus homo qui sperat in te. Glória Patri.

Aña. Ex altári tuo, Dómine, Christum súmimus; in quem cor & caro nostra exúltant.

℣. Edúcas Panem de terrâ.

℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, Allelúia, allelúia, allelúia.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap 6.

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum. Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus; qui mandúcat meã carnem,

carnem, & bibit meum sanguinem: in me manet & ego in illo. Et reliqua.

Homília S Irenæi Lugdunénsis Epíscopi & Mart.

Lib. 4. advers. Hæreses.

Lectio vij.

CHristus eum, qui ex creatúrâ panis est accépit; grátias egit: dicens. Hoc est corpus meum. Et cálicem simíliter; qui est ex eâ creatúrâ; quæ est secúndùm nos, suum sánguinem conféssus est: & novi Testaménti novam dócuit oblatiónem. Quam Ecclésia ab Apóstolis accípiens in univérso mundo offert Deo: ei qui aliménta nobis præstat. Quómodo autem constábit eis, eum panem in quo grátiæ actæ sint, corpus esse Dómini sui; & cálicem Sánguinis ejus; si non ipsum fabricatóris mundi Fílium dicant: id est, verbum ejus? Quómodo autem rursus dicunt carnem in corruptiónem devenire & non percípere vitam; quæ à córpore Dómini & Sánguine álitur? Ergo, aut senténtiam mutent: aut abstíneant offeréndo quæ prædícta sunt. Nostra autem cónsonans est senténtia Eucharístiæ: & Eucharístia rursus confírmat senténtiam nostram.

℟. Qui mandúcat meam Carnem, & bibit meum, Sánguinem, * In me manet, & ego in eo. ℣. Non est ália tam grandis nátio, quæ hábeat Deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In me manet.

Lectio viij.

QUemádmodum enim qui est à terrâ panis, percípiens invocatiónem Dei; jam non commúnis panis est: sed Eucharístia, ex duábus rebus constans, terréna & cœlésti; sic & córpora nostra percipiéntia Eucharístiam, jam non sunt corruptibília: spem Resurrectiónis habéntia. Et quemádmodum lignum vitis depósitum in terra, suo fructíficat témpore; & granum trítici décidens in terram & dissolútum, múltiplex surgit; per Spíritum Dei, qui cóntinet ómnia, quæ deínde per sapiéntiam in usum homínibus véniunt; & percipiéntia verbum Dei Eucharístia fiunt: quod est corpus & Sanguis Christi.

℟. Misit me vivens Pater,

&

& ego vivo propter Patrem: * Et qui mandúcat me, vivet propter me

℣. Cibávit illum Dóminus Pane vitæ & intelléctûs. Et qui mandúcat.

Lectio ix.

DUm mistus Calix & factus panis súscipit verbum Dei; Eucharístia fit corpus Christi: & ex eo augétur & consístit carnis nostræ substántia. Quómodo dicunt, doni Dei quæ est vita ætérna capácem non esse carnem nostram? quæ córpore & Sánguine Dómini nutrítur & ejus est membrum. Sicut ait beátus Paulus. Quia membra sumus córporis ejus de carne ejus, & de óssibus ejus: non de spirituáli áliquo & inaspectábili hómine. Dicens ista: Spíritus enim carnem & ossa non habet. Sed de vero hómine ex carne & nervis & óssibus constánte; qui & cálice ejus qui est sanguis ipsíus nutrítur: & pane qui est corpus ejus augétur.

℟. Unus panis, & unum corpus multi sumus: * omnes qui de uno pane, & de uno cálice participámus.

℣. Parásti in dulcédine tuâ páuperi Deus, qui habitáre facis unánimes in domo. Omnes.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

Antiphona.

SApiéntia ædificávit sibi domum, míscuit vinum, & pósuit mensam. Allelúia.

Psalmus. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.*

Aña. Angelórum escâ nutrivísti pópulum tuum, & Panem de Cœlo præstitísti eis, Allelúia.

Aña. Pinguis est panis Christi,& præbébit delícias régibus, Allelúia.

Aña. Sacerdótes sancti incénsum & panes ófferunt Deo, Allelúia.

Aña. Vincénti dabo manna abscónditum, & nomen novum. Allelúia.

Capitulum. I. Cor. II.

EGo enim accépi à Dómino, quod & trádidi vobis; quóniam Dóminus Jesus in quâ nocte tradebátur; Accépit panem, & grátias agens: fregit & dixit: Accípite, & manducáte; Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradétur: Hoc fácite in meam Commemora

memoratiónem.

℣. Omnia à te expéctant. ℟. Ut des illis escam in témpore, Allelúia, allelúia, allelúia.

Ad Benedictus, Aña. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum, Allelúia, allelúia.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili; Passiónis tuæ memóriam reliquísti: tribue, quæsumus; ita nos Córporis & Sánguinis tui sacra mystéria venerári: ut Redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

Ad Primam. ut in Festis ix. Lectionum.

Ad Tertiam, Capitulum. Ego enim accépi. *ut suprà.* ℟. Panem Cœli dedísti eis, Allelúia, allelúia.

℣. Panem Angelórum mãducávit homo, Allelúia, allelúia. Glória Patri.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petrâ melle saturávit eos, Allelúia, allelúia, allelúia.

Oratio. Deus, qui nobis. *ut suprà.*

Ad Sextam, Capitulum.

QUotiescúmque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis: mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

℟. Cibávit illos ex ádipe fruménti, Allelúia, allel.

℣. Et de petrâ melle saturávit eos, Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℣. Edúcas panem de terrâ. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, Allelúia, allelúia, allelúia.

Orémus. *Oratio.*

FAc nos, quæsumus, Dómine; Divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri: quam pretiósi Córporis & Sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat. Qui vivis.

Ad Nonam. Capitulum.

QUicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígnè: reus erit Córporis & Sánguinis Dómini.

℟. Edúcas panem de terrâ, Allelúia, alleluia. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Ex ádipe fruménti sátiat te. Allelúia, allelúia, allelúia.

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui admirábili providéntia cuncta dispónis: te súpplices exorámus; ut terram, quam Unigénitus Filius tuus, Dóminus noster Jesus Christus próprio Sánguine consecrávit: de mánibus inimicórum erípiens, restítuas cúltui Christiáno; vota fidélium ad ejus liberatiónem instántium misericórditer dirigéndo in viam salútis ætérnæ. Per eúmdem.

In secundis Vesperis, omnia dicuntur ut in Primis.

Ad Magnificat, Aña.

O Sacrum convívium, in quo Christus súmitur; recólitur memória Passiónis ejus: mens implétur grátiâ, & futúræ glóriæ nobis pignus datur, allelúia.

Oratio. Deus, qui nobis. *ut suprà.* 216.

Ad Processionem.

℟. Melchísedech verò rex Salem, próferens panem & vinum, óbtulit. Erat autem Sacérdos Dei altíssimi; * Benedíxit Abrahæ, & ait. ℣. Benedíctus Abraham Deo excélso, qui creávit Cœlum & terram. Benedíxit. Glória Patri. Benedíxit.

Oratio. Fac nos, quæsumus, Dómine. *ut suprà.*

Ad Completorium, Hymnus. Pange lingua. 204.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum, Invitator. Jesum Christum, qui pascit nos Córpore suo adorémus. *Psalmus.* Veníte exultémus.

Prædictum Invitatorium dicitur infra octavam.

Aña. Fructum salutíferum. *Psalm.* Beátus vir. *cum reliquis novem Añis & Psalmis, ut in die Corporis Christi.*

Sic dicitur per octavam.

℣. Panem Cœli dedit eis.
℟. Panem Angelórum manducávit Homo. Allelúia, allelúia, allelúia.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 2.

VEnit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dóminus. Numquid non apértè revelátus sum dómui Patris tui; cùm essent in Ægypto in domo Pharaónis? Et elégi eum ex ómnibus tríbubus Israël mihi in Sacerdótem; ut ascénderet ad altáre meū, & adoléret mihi incénsum; & portáret Ephod coram me: dedi dómui patris tui

ómnia de Sacrifíciis filiórum Israël. Quare calce abjecístis víctimam meam, & múnera mea, quæ præcépi ut offeréntur in Templo; & magis honorásti filios tuos quàm me; ut comederétis primítias omnis sacrificij Israël pópuli mei? Proptéreà ait Dóminus Deus Israël: loquens locútus sum, ut domus tua & domus patris tui ministráret in conspéctu meo usque in sempitérnum. Nunc autem dicit Dóminus. Absit hoc à me: Sed quicúmque glorificáverit me, glorificábo eum; qui autem contémnunt me: erunt ignóbiles.

℟. Melchísedech verò Rex Salem, próferens Panem & vinum óbtulit. Erat autem Sacérdos Dei altíssimi, * Benedíxit Abrahæ, & ait. ℣. Benedíctus Abraham Deo excélso, qui creávit Cœlum & Terram. Benedíxit,

Sermo sancti Thomæ Aquinátis.

In eodem opusc. 57.

Lectio ij.

CONVENIT devotióni fidélium solémniter recólere institutiónem tam salutíferi tamque mirábilis Sacraménti; ut ineffábilem modum divínæ præséntiæ in Sacraménto visíbili venerémur: & laudétur Dei poténtia quæ in Sacraménto eódem tot mirabília operátur; necnon & de tam salúbri tamque suávi benefício: exolvántur Deo débitæ gratiárum actiónes. Verùm etsi in die cœnæ, quando Sacraméntum prædíctum noscátur institútum; inter Missárum solémnia de institutióne ipsíus speciális méntio habeátur; totum tamen resíduum ejúsdem diéi offícium ad Christi passiónem pértinet: circa cujus veneratiónem Ecclésia illo témpore occupátur. Unde ut íntegro celebritátis offício institutiónem tanti Sacraménti recóleret plebs fidélis; Románus Póntifex Urbánus quartus hujus Sacraménti devotióne afféctus; piè státuit præfátæ institutiónis memóriam: prima quinta féria post Octávam Pentecóstes à cunctis fidélibus celebrári.

℟. Calix Benedictiónis, cui benedícimus, nónne commu

communicátio Christi est? * Et Panis quem frángimus, nonne participátio Córporis Dómini est? ℣. Quóniam unus Panis, & unum Corpus, multi sumus: nam & omnes de uno Pane, & de uno Cálice participámus. Et Panis.

Lectio iij.

UT qui per totum anni círculum hoc Sacraménto útimur ad salútem: ejus institutiónem illo témpore speciáliter recolámus; quo Spíritus sanctus corda discipulórum edócuit: ad plenè cognoscénda hujus mystéria Sacraménti. Nam & in eódem témpore cœpit hoc Sacraméntum à fidélibus frequentári. Ut autem prædicta quintâ Fériâ & per octávas sequéntes ejúsdem salutáris institutiónis honorificéntiùs agátur memória; & solémnitas de hoc celebrior habeátur, loco distributiónum materiálium quæ in Ecclésiis cathedrálibus largiúntur, exsisténtibus Canónicis Horis noctúrnis, paritérque diúrnis: præfátus Románus Póntifex eis qui hujúsmodi horis in hac solemnitáte personáliter in Ecclésiis interéssent: stipéndia spirituália Apostólica largitióne concéssit. Quátenùs per hæc fidéles ad tanti festi celebritátem: avídiùs & copiósiùs convenírent.

℟. Ego sum panis vitæ; patres vestri manducavérunt Manna in desérto, & mórtui sunt. * Hic est panis de cœlo descéndens, si quis ex ipso manducáverit, non moriétur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi; si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic est, Glória Patri. Hic est.

Ad Laudes & Vesperas per totam Octavam omnia dicuntur ut in die Festi.

SABBATO.

℣. Panem cœli dedit eis. ℟. Panem Angelórum manducávit homo. Allelúia, allelúia, allelúia.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 3.

PUer autem Sámuël ministrábat Dómino coram Heli; & Sermo Dómini erat pretiósus in diébus illis: non erat vísio manifésta. Factum est ergò in die quadam, Heli jacébat in loco suo, & óculi ejus

caligáverant; nec póterat vidére; Lucérna Dei ántequam extinguerétur, Sámuël dormiébat in Templo Dómini, ubi erat Arca Dei, Et vocávit Dóminus Sámuël, qui respóndens ait, Ecce ego: Et cucúrrit ad Heli, & dixit. Ecce ego: vocásti enim me. Qui dixit; Non vocávi: revértere, & dormi. Et ábiit, & dormívit. Et adjécit Dóminus rursùm vocáre Samuélem. Consurgénsque Sámuël ábiit ad Heli, & dixit: Ecce ego, quia vocásti me. Qui respóndit; Non vocávi te, Fili mi: revértere, & dormi. Porrò Sámuël necdum sciébat Dóminum: neque revelátus ei fúerat sermo Dómini. Et adjécit Dóminus & vocávit adhuc Samuélem tértiò. Qui consúrgens ábiit ad Heli, & ait: Ecce ego, quia vocásti me. Intelléxit ergò Heli, quia Dóminus vocáret púerum; & ait ad Samuélem, Vade, & dormi: & si deínceps vocáverit te, dices; Lóquere, Dómine: quia audit servus tuus. Abiit ergò Sámuël: & dormívit in loco suo. Et venit Dóminus, & stetit, & vocávit sicut vocáverat secúndò, Sámuël, Sámuël. Et ait Sámuël; Lóquere Dómine: quia audit servus tuus.

℟. Qui mandúcat. 214.

Sermo Sancti Cæsárij Areláténsis Epíscopi.

Homil. 7. de Pascha.

Lectio ij.

Quia nec nos habebámus unde viverémus nec Deus unde morerétur; matériam de nostra mortalitáte suscépit, ut in sua immortalitáte collocáta: mori posset vita pro mórtuis. Et ídeò qui corpus assúmptum ablatúrus erat ex óculis nostris; & sidéribus allatúrus, necessárium erat ut nobis in hac die Sacraméntum corpóris & sánguinis consecráret: ut colerétur júgiter per mystérium quod semel offerebátur in prétium. Ut quia quotidiána & indeffélsa currébat pro hóminum salúte redémptio; perpétua, étiam esset redemptiónis oblátio: & perénnis víctima víveret in memória & semper præsens esset in grátiâ. Ac única & perfécta hóstia fide æstimánda non spécie: nec exterióri

censénda

censénda visu sed interióri aspéctu. Unde méritò cœléstis confirmat auctóritas; quia caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus. Recédat ergo omne infidelitátis ambíguum; quandóquidem qui auctor est múneris: ipse étiam testis est veritátis. Nam invisíbilis Sacérdos visíbiles creatúras in substántiam córporis & Sánguinis sui, verbi sui secréta potestáte convértit. Ita dicens; Accípite & édite: hoc est corpus meum, & sanctificatióne repetíta; Accípite & bíbite: hic est sanguis meus. Ergo ad nutum præcipiéntis Dómini repéntè ex níhilo substitérunt excélsa cœlórum, profúnda flúctuum, vasta terrárum; pari poténtia in spirituálibus Sacraméntis verbi præcipit virtus: & rei servit efféctus.

℟. Misit me vivens. 214.

Lectio iij.

QUanta ítaque celebránda benefícia quæ vis divínæ benedictiónis operátur, quómodo tibi novum & impossíbile esse non debeat; quòd in Christi substántiam terréna & mortália commutántur: teípsum qui jam in Christo es regenerátus intérroga. Dudum aliénus à vita; peregrínus à misericórdia; à salútis via intrínsecùs exulábas: súbitò initiátus Christi légibus & salutáribus mystériis innovátus in corpus Ecclésiæ non vidéndo sed credéndo transísti; & de fílio perditiónis: adoptívus Dei fíeri occultâ puritáte meruísti. In mensúrâ visíbili pérmanens: major factus es teípso invisíbiliter sine quantitátis augménto. Cùm ipse atque idem esses multò alter fídei procéssibus extitísti: in exterióre nihil ádditum est, & totum in interióre mutátum est. Ac sic homo Christi fílius efféctus: & Christus in hóminis mente formátus est. Sicut ergo sine corporáli sensu prætéritâ utilitáte depósitâ súbitò novam indútus es dignitátem; & sicut hæc quæ in te Deus læsa curávit; infécta diluit; maculáta detérsit, non óculis non sénsibus tuis sunt crédita: & ita cùm reveréndum altáre cibis satiándus ascéndis; sacrum Dei tui

corpus & sánguinem fide réspice; honóre miráre; mente contínge; cordis manu súscipe: & máximè haustu interióri assúme.

℟. Unus Panis. 215.

AD VESPERAS.

Ant. Sacérdos in ætérnū. *cum reliquis Ants & Psalmis ut suprà.*

Capitulum 1. Joan. 3.

NOlíte mirári, si odit vos mundus; nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam: quóniam dilígimus Fratres.

℣. Panem de Cœlo præstitísti eis.

℟. Omne delectaméntum in se habéntem, Allelúia, allelúia, allelúia.

Ad Magnificat, Antiph. Lóquere, Dómine, quia audit servus.

Orémus. *Oratio.*

SAncti Nóminis tui, Dómine, timórem páriter & amórem fac nos habére perpétuum; Quia numquàm tuâ gubernatióne destítuis: quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis. Per Dóminum.

Ad Processionem.

℟. Homo quidam fecit Cœnam magnam, & misit servum suum horâ Cœnæ dícere invitátis, ut veníрent: Quia paráta sunt ómnia. *Oratio.* Deus qui nobis. 203.

DOMINICA infrà Octávam,

Quæ est secunda post Pentecosten.

Omnia dicuntur sicut in die, præter Lectiones, nonum ℟. & Capitula, Ants ad Benedíctus *&* Magníficat, *& Orationem; Quæ hic habentur propria.*

In primo Nocturno.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 4.

ET factum est in diebus illis, convenérunt Philísthiim in pugnam; & egréssus Israël óbviam Philísthiim in prælium: & castrametátus est juxta lápidem adjutórij. Porrò Philísthiim venérūt in Aphec: & instruxérunt áciem contra Israël. Inito autem certámine; terga vertit Israël Philisthæis: & cæsa sunt in illo certámine passim per agros quasi quátuor míllia virórum. Et revérsus est pópulus ad castra; Dixerúntque majóres natu de Israël: quare percússit nos Dóminus hódiè corā Philísthiim?

listhiim? Afferámus ad nos de Silo arcam fœderis Dómini; véniat in médium nostri: ut salvet nos de manu inimicórũ nostrórum.

℟. Immolábit hœdum multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschæ: * Et edent carnes, & ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus: ítaque epulémur in ázymis sinceritátis & veritátis. Et edent.

Lectio ij.

Misit ergò pópulus in Silo, & tulérunt indè arcam fœderis Dómini Exercítuum sedéntis super Chérubim: Erántque duo filij Heli cum arcâ fœderis Dei, Ophni & Phínees. Cúmque venísset arca fœderis Dómini in castra; vociferátus est omnis Israël clamóre grandi: & persónuit terra. Et audiérunt Philísthiim vocem clamóris; dixerúntque: Quænam hæc est vox clamóris magni in castris Hebræórum? Et cognovérunt, quòd arca Dómini venísset in castra.

℟. Comedétis carnes, & saturabímini pánibus: * Iste est Panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescẽdum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis de cœlo panem verum. Iste est.

Lectio iij.

Timuerúntque Philísthiim, dicéntes; Venit Deus in castra: Et ingemuérunt, dicéntes. Væ nobis; non enim tanta fuit exultátio heri & núdius tertius: Væ nobis. Quis nos salvábit de manu Deórum sublímium istórum? Hi sunt Dij, qui percussérunt Ægyptum omni plagâ in desérto. Confortámini; & estóte viri, Philísthiim: ne serviátis Hebræis, sicut & illi serviérunt vobis. Confortámini: & belláte. Pugnavérunt ergò Philísthiim, & cæsus est Israël, & fugit unusquísque in tabernáculũ suum: & facta est plaga magna nimis: & cecidérunt de Israël trigínta míllia péditum; & Arca Dei capta est: Duo quoque filij Heli mortui sunt, Ophni & Phinees.

℟. Respéxit Elias ad caput suum subcinerícium panẽ, qui consúrgens comédit,

& bibit. * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei.
℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Et ambulávit. Glória Patri. Et ambulávit.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Remígij Lugdunénsis Epíscopi.

In Epist. ad Corinth. cap. 9.

Lectio iv.

SIcut caro Christi, quam assúmpsit in útero virgináli, verum corpus ejus est, & pro nostra salúte occísum; ita panis, quem Christus trádidit discípulis suis; ómnibus prædestinátis ad vitam ætérnam; & quem quotídie cónsecrant Sacerdótes in Ecclésia cum virtúte divinitátis, quæ illum panem replet, verum corpus est Christi. Nec sunt duo córpora quæ assúmpsit, & iste panis, sed unum corpus Christi; in tantùm, ut dum ille frángitur, & coméditur; Christus immolátur, & coméditur, & tamen vivus manet. Sicut illud corpus, quod in cruce depósuit, pro nostra salúte, & redemptióne est immolátum; ita quotídie ad nostram salútem, & redemptiónem iste panis Deo offértur, qui licet panis videátur, corpus est Christi. Dóminus enim & Redémptor noster cónsulens nostræ fragilitáti; quia cognóvit nos frágiles esse ad peccándum; trádidit nobis hoc Sacraméntum, ut quia ipse jam non potest mori; & nos quotídie peccámus, habeámus verum sacrifícium quo possímus expiári.

℟. Panis, quem ego dabo, Caro mea est, pro mundi vitâ. Litigábant ergo Judæi, dicéntes: * Quomodò potest hic nobis dare carnem suam ad manducándum. ℣. Locútus est pópulus contra Dóminum: Anima nostra náuseat super cibo isto levíssimo. Quómodò.

Lectio v.

EGit more cujuscúmque hóminis; qui appropínquans morti áliquod munus pretiósum dimíttit alícui amicórum suórum in memóriam suam, ínquiens; Accipe hoc munus amíce charíssime, & tene illud cum omni diligéntia penes te in memóriã mei; ut quotiescúmque illud víderis, recordéris mei. Qui

amícus admíttēs illud munus amíci sui charíssimi; si eum toto ánimo diléxit; non potest non dolére, & tristári de morte amíci quotiescúmque munus sibi conspicit dimíssū' simíliter nos quotiescúmque accédimus ad consecrándum vel percipiéndum sacraméntum múneris ætérni; quod nobis Dóminus piíssimus in memóriam sui dimísit tenéndum; cum timóre & compunctióne cordis, omníque reveréntiâ debémus accédere, recoléntes quanto nos amóre diléxit, qui pro nobis seípsum óbtulit: ut nos redímeret. Simíliter & cálicem trádidit eis: postquam cœnávit: dicens. Hic Calix novum Testaméntum est in meo Sánguine; id est, hic calix quem vobis trado: Novum Testaméntum signíficat.

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus Panem, & benedíxit, ac fregit, dedítque Discípulis suis, & ait: * Accípite, & manducáte, Hoc est Corpus meum.

℣. Dixérunt viri tabernáculi: Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur. Accípite.

Lectio vj.

Quicúmque manducáverit panem, vel bíberit cálicem Dómini indígnè; id est, qui corpus & sánguinem Christi súmpserit indigne: reus erit córporis & sánguinis Dómini. Id est, pœnas ætérnas inde exsólvet; nisi pœniténtiâ dignâ hoc expiáverit: aliísque bonis opéribus. Indígnè dicit; id est, órdine non observáto: vidélicet quáliter mystérium illud celebrant vel sumunt quod tráditum est à Sanctis Patribus; vel qui nullam differéntiam credit inter illud corpus Christi, & réliquos cibos: vel qui in gravióribus criminibus commaculátus præsúmit illud súmere. Qui táliter, ut díximus, illud cómedit, & bibit; indígnè illud sumit: ideóque pœnas inde exsólvet. Apóstolus ígitur expónit: quómodo debeámus illud percípere. Probet autem seípsum homo, & sic de pane illo edat; id est, de córpore Dómini & de cálice bibat; id est sánguine Dómini.

Probet se: id est, discútiat se, exáminet se, & probábilem se reddat; utrùm dignus sit necne: Ne fortè unde álij sumunt remédiũ, accípiat ille damnatiónem.

℟. Accépit Jesus cálicem postquàm cœnávit, dicens; Hic calix novum testaméntum est in meo Sánguine: * Hoc fácite in meam commemoratiónẽ. ℣. Memóriâ memor ero, & tabéscet in me ánima mea. Hoc fácite. Glória Patri. Hoc fácite.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis Parábolam hanc. Homo quidam fecit Cœnam magnam, & vocávit multos; & misit servos suos hora cœnæ; dícere invitátis ut venírent: quia paráta sunt ómnia. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Homil. 36. de Verb. Domin.

PArátâ jam cœnâ immoláto Christo: post resurrectiónem Christi cõmendáta quam sciunt fidéles cœnâ Dómini; ejúsque mánibus & ore firmáta: missi sunt Apóstoli ad quos missi antè fúerant Prophétæ. Veníte ad cœnam. Excusavérunt qui veníre noluérunt. Quómodo? tres fuérunt excusatiónes; unus dixit: Villam emi; eo vidére illam: habe me excusátum. Alius dixit, juga boum emi quinque; ea volo probáre: habe me excusátum. Tértius dixit, uxórem duxi; habe me excusátum: non possum veníre. Putámus non istæ sunt excusatiónes; quæ impédiunt omnes hómines qui ad istam cœnam veníre detréctant? Quærámus eas, discutiámus; inveniámus: sed ut caveámus.

℟. Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem, * In me manet; & Ego in eo. ℣. Non est ália tam grandis nátio, quæ hábeat Deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In me manet.

Lectio viij.

TOllámus ergo de médio excusatiónes vanas & malas; & veniámus ad cœnam: quâ intrínsecus

ejus saginémur. Non nos impédiat extolléntia supérbiæ; non nos extóllat, vel non nos térreat curiósitas illícita, & avértat à Deo. Non nos impédiat volúptas carnis, à voluptáte cordis. Veniámus, & saginémur. Et qui venérunt nisi mendíci; débiles, claudi, cæci? Illi autem non venérunt dívites, sani; quasi benè ambulántes; & acutè cernéntes; multum de se præsuméntes, & ideò desperatióres, quantò superbióres. Véniant mendíci; quia ille invítat qui propter nos pauper factus est, cùm dives esset, ut illíus paupertáte mendíci ditarémur. Véniant débiles; quia non est opus sanis médico, sed malè habéntibus.

℟. Misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrē: * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctûs. Et qui.

Lectio ix.

VEniant claudi; qui ei dicant: Compóne gressus meos in sémitis tuis. véniant cæci qui dicant; illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte. Tales venérunt ad horam; illis priùs invitátis suâ excusatióne reprobátis, venérunt ad horam, intravérunt de platéis & vicis civitátis. Et respóndit servus qui missus erat; Dómine factum est quod jussísti, & adhuc locus est. Exi, inquit, in vias & sepes; & quos invéneris, coge intráre. Quos invéneris, ut dignéntur; noli expectáre, coge intráre. Magnam cœnam; magnam domum parávi; non ibi pátior locū vacáre.

℟. Homo quidam fecit cœnam magnam, & misit servum suum horâ Cœnæ, dícere invitátis, ut veníerent: * Quia paráta sunt ómnia. ℣. Veníte, comédite panem meum, & bíbite vinum, quod míscui vobis. Quia paráta.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

Antiphona. Sapiéntia ædificávit: *Psalmus.* Dóminus regnávit. *cum reliquis Antiphonis & Psalmis, ut in die Festi.*

Capitulum 1. Joan. 3.

NOlite mirári, si odit vos mundus. Nos

scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam: quóniam dilígimus, Fratres.

℣. Omnia à te expéctant.
℟. Ut des illis escam in témpore, Allelúia, all. all.

Ad Benedictus, Antiph. Homo quidam fecit Cœnam magnam, & vocávit multos: & misit servum suum horâ Cœnæ, dícere invitátis, ut venírent, quia ómnia paráta sunt, dicit Dóminus.

Orémus. *Oratio.*

SAncti nóminis tui, Dómine, timórem páriter & amórem fac nos habére perpétuum; quia numquàm tuâ gubernatióne destítuis: quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis. Per Dóminum.

Ad Primam, ut in festis ix. Lectionum.

Ad Tertiam, Capitulum. Nolíte mirári. 227.

℣. Panem cœli dedit eis, Allelúia, allelúia.
℣. Panem Angelórum manducávit homo, allelúia, allel. Glória Patri.
℣. Cibávit illos ex ádipe fruméntii.
℟. Et de petrâ melle sáturávit eos. Allelúia, all. all.

Oratio. Sancti nóminis *ut suprà.*

Ad Sextam.

Capitulum. 1. Joan. 3.

IN hoc cognóvimus Charitátem Dei; quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit: & nos debémus pro frátribus nostris ánimas pónere.

℟. Cibávit illos ex ádipe fruménti, Allelúia, allel.
℣. Et de petrâ melle sáturávit eos, Allelúia, allelúia. Glória Patri. ℣. Edúcas panem de terrâ. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis. Allelúia, allel. allel.

Orémus. *Oratio.*

FAc nos, quæsumus Dómine, Divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri: Quam pretiósi Córporis & Sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat. Qui vivis.

Ad Nonam.

Capitulum. 10. Joan. 3.

FIlíoli mei non diligámus verbo, neque lingua: sed ópere & veritáte.

℟. Edúcas panem de terrâ, Allelúia, allelúia.
℣. Et vinum lætíficet cor hóminis, Allelúia, allel.
Glória Patri.
℣. Pósuit fines tuos pacem.

℟. Ex

℟. Ex ádipe fruménti sátiat te, Allelúia, allelúia, allelúia.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui admirábili Providéntia cuncta dispónis: te súpplices exorámus; ut terram, quam unigénitus Fílius tuus, Dóminus noster Jesus Christus próprio Sánguine consecrávit: de mánibus inimicórum erípiens, restítuas cultui Christiáno; vota fidélium ad ejus liberatiónem instántium: misericórditer dirigéndo in viam salútis ætérnæ. Per eúmdem.

Ad Vesperas, Aña. Sacérdos in ætérnum. *cum reliquis Antiphonis, & Psalmis, ut in primis Vesperis.*

Capitulum. Nolíte mirári. *ut suprà* 227.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis.

℟. Omne delectaméntum in se habéntem, Allelúia, allelúia, allelúia.

Ad Magnificat, Antiph. Exi citò in platéas & vicos civitátis, & páuperes ac débiles, cæcos & claudos cōpélle intráre, ut impleátur domus mea dicit Dñs.

Oratio. Sancti nóminis tui. *ut suprà.* 228.

Ad Processionem.

℟. Melchísedech verò Rex Salem próferens panem & vinum obtulit. Erat autem Sacérdos Dei altíssimi; & benedíxit Abrahæ, & ait.

Oratio. Deus, qui nobis sub Sacraménto Mirábili. *ut suprà.* 216.

FERIA SECUNDA.

Infra Octavam.

℣. Panem cœli dedit eis.

℟. Panem Angelórum manducávit homo, Allelúia, allel. allel.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 5.

PHilísthiim autem tulérunt Arcam Dei, & asportavérunt eam à lápide adjutórij in Azótum. Tuleruntque Philísthiim Arcam Dei, & intulérunt eam in templū Dagon: & statuérunt eā juxta Dagon. Cúmque surrexíssent dilúculo Azótij álterâ die, ecce Dagon jacébat pronus in terrâ ante Arcam Dómini: & tulérunt Dagon, & restituérunt eum in locum suum. Rursúmque manè die álterâ consurgéntes, invenérunt Dagon jacéntem super fáciem suā in terrâ coram Arcâ Dómini.

mini. Caput autem Dagon, & duæ palmæ mánuum ejus abscissæ erant super limen porrò Dagon solus truncus remánserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant Sacerdótes Dagon, & omnes qui ingrediúntur templum ejus; super limen Dagon in Azóto: usque in hodiérnum diem. Aggraváta est autem manus Dómini super Azótios, & demolítus est eos: & ebulliérunt villæ & agri in médio regiónis illius, & nati sunt mures: & facta est confúsio mortis magnæ in civitáte. Vidéntes autem viri Azótij hujuscémodi plagam, dixérunt: non máneat Arca Dei Israël apud nos, quóniam dura est manus ejus super nos: & super Dagon Deum nostrũ. ℟. Melchísedech verò Rex Salem próferens Panem & Vinum óbtulit.; Erat autem Sacérdos Dei altíssimi. ℣. Benedíxit Abrahæ, & ait: Benedíctus Abraham Deo excélso, qui creávit cœlum & terram. Benedíxit

Sermo sancti Ambrósij Epíscopi.

Lib. 6. De Sacramentis.

Lectio ij.

Sicut verus est Dei Fílius Dóminus noster Jesus Christus, non quemádmodum hómines per grátiam sed quasi Fílius ex substántia Patris; ita vera ejus caro est, sicut ipse dixit, quam accípimus: & verus ejus sanguis quem potámus. Sed forte dicas; quod dixérunt tunc témporis étiã discípuli Christi: Quómodo vera caro? Quómodo verus sanguis? Qui similitúdinem video: non vídeo Sánguinis proprietátem. Primò ómnium dixi tibi de sermóne Christi; qui operátur: ut possit mutáre & convértere in áliud institúta natúræ. Deínde ubi non tulérunt Sermónem Christi discípuli ejus; sed audiéntes, quòd carnem suam daret manducándam; & Sánguinem suum daret bibéndum, recedébant: solus tamen Petrus dixit: Verba vitæ ætérnæ habes; & ego à te quo recédam? Ne igitur plures hoc dícerent; véluti quidam esset horror cruóris: sed manéret grátia redemptiónis; ídeò in simili-

similitúdinem quidém áccipis, Sacraméntum: sed verè natúræ grátiam virtutémque conséqueris. Ego sum, inquit: panis vivus qui de cœlo descéndi. Sed caro non descéndit de cœlo: quia carnem in terris Assumpsit ex Vírgine. Quómodo ergo descéndit panis è cœlo & panis vivus? Quia idem Dóminus noster Jesus Christus consors est, & divinitátis & córporis; & tu qui áccipis ejus carnem: divínæ ejus substántiæ in illo participáris aliménto.

℟. Calix benedictiónis, cui benedícimus, nónne communicátio Christi est? * Et panis, quem frángimus, nonne participátio Córporis Dómini est? ℣. Quóniam unus panis, & unum corpus multi sumus: nam & omnes de uno pane, & de uno cálice participámus. Et panis.

Lectio iij.

Memini sermónis mei cùm de sacraméntis tractárem. Dixi vobis; quòd ante verba Christi, quod offértur panis dicátur: ubi Christi verba deprómpta fúerint; jam non panis dícitur: sed Christi corpus appellátur. Quare ergo in oratióne Domínica, quæ pósteà séquitur, ait, Panem nostrum? Panem quidem dixit: sed supersubstantiálem. Non iste panis est qui vadit in corpus: sed ille panis vitæ ætérnæ qui ánimæ nostræ substántiam fulcit. Latinus quotidiánum dixit. Si quotidiánus est panis; cur post annum illum sumis; quemádmodum Græci in oriénte fácere consuevérunt? Accipe quotídie: quod quotídie tibi prosit: Sic vive: ut quotídie mereáris accípere.

℟. Ego sum Panis vitæ; Patres vestri manducavérunt Manna in deserto, & mórtui sunt. * Hic est panis de cœlo descéndens: si quis ex ipso manducáverit, non moriétur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi; si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic est. Glória Patri. Hic est.

FERIA TERTIA.

℣. Panem cœli dedit eis. ℟. Panem Angelórum manducávit homo. Allelúia, allel. allel.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 6.

FUit ergo Arca Dómini in Regióne Philistinórum septem ménsibus. Et vocavérunt Philisthiim Sacerdótes & divínos, dicéntes: Quid faciémus de Arcâ Dómini? indicáte nobis, quómodo remittámus eam in locum suum. Qui dixérunt; si remíttitis Arcam Dei Israël: nolite eam dimíttere vácuam; sed quod debétis réddite ei pro peccáto, & tunc curabímini: & sciétis, quare non recédat manus ejus à vobis. Qui dixérunt: Quid est quod pro delícto réddere debeámus ei? Respondere rúntque illi: Juxta númerum Provinciárum Philisthinórum, quinque anos áureos faciétis, & quinqne mures áureos, quia plaga una fuit ómnibus vobis, & Sátrapis vestris. Facietísque similitúdines anórum vestrórum, & similitúdines múrium, qui demolíti sunt terram; & dábitis Deo Israël glóriam: Si fortè rélevet manum suam à vobis, & à Diis vestris, & à terrâ vestrâ. ℟. Panis, quem ego dabo. 210.

Sermo S. Joán. Chrysóst.

Lib. 6. de Sacerdotio cap. 3.

Lectio ij.

CUm sacérdos Spíritum sanctum invocáverit; Sacrificiúmque illud horróre ac reveréntiâ pleníssimum perfécerit: commúni ómnium Dómino mánibus assíduè pertractáto; quæro ex te: quorum illam in órdine collocábimus? Quantam verò ab eo integritátem exigémus? Quantam religiónem? Consídera enim quales manus hæc administrántes esse opórteat? Qualem linguam; quæ verba illa effúndit? qua dénique re non puriórem sanctiorémve esse convéniat ánimam; quæ tantum illum, tamque dignum Spíritum recéperit? Per id tempus & Angeli Sacerdóti adstant: & cœléstium potestátum univérsus ordo clamóres éxcitat; & locus altári vicínus in illíus honórem qui immolátur: Angelórum choris plenus est. Id quod crédere abúndè licèt; vel ex tanto illo Sacrifício: quod tum perágitur.

℟. Cœnántibus illis. 211.

Lectio

Lectio iij.

QUicúmque purâ ac mundâ consciéntiâ sacrorum Córporis & Sánguinis Christi mysteriórum fuerint partícipes; Spíritum efflatúri: ab Angelis eos satéllitum more stipántibus; propter assúmptum illud viáticum: hinc recta in cœlum via deducúntur. Tu verò Sacérdos non exhorréscis tuam ánimam in tam sacrosánctum introdúcens mystérium? cùmque qui sórdidas vestes indúerit; in Sacerdótum dignitátem collegiúmque coóptans, quem tamen à réliquo convivárum choro Christus éxpulit? lúminis instar univérsum orbem illustrántis Sacerdótis ánimum splendéscere opórtet; noster autem tantum habet tenebrárum ex prava consciéntia circumfusárum: ut vereátur ac reformídet fixis intentísque óculis cum fidúcia Dóminum suum obtuéri. Sacerdótes terræ sunt Sales; nostram autem insipiéntiam omnibúsque in rebus imperítiam quotus quisque est: qui fácili patientíque ánimo ferat?

℟. Accépit Jesus. 211.

FERIA QUARTA.

℣. Panem Cœli dedit eis.
℟. Panem Angelórum manducávit homo. Allelúia, allelúia, allelúia.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 6. & 7.

PErcússit autem de viris Bethsámitibus, eò quòd vidíssent arcam Dómini: Et percússit de pópulo septuagínta viros, & quinquagínta míllia plebis. Luxítque pópulus, eò quòd Dóminus percussísset plebem plagâ magnâ. Et dixérunt viri Bethsamítæ: Quis póterit stare in conspéctu Dómini Dei sancti hujus, & ad quem ascéndet à nobis? Misérúntque núntios ad habitatóres Cariathíarim, dicéntes: Reduxérunt Philísthiim arcam Dómini, descéndite & redúcite eam ad vos. Venérunt ergò viri Cariathíarim, & reduxérunt arcam Dómini, & intulérunt eam in domum Abínadab in Gábaa. Eleázarum autem fílium ejus sanctificavérunt: ut custodíret arcam Dómini. Et factum est, ex quâ die mansit Arca Dómini in Cariathíarim, multiplicáti sunt dies,

dies, (erat quippe jam annus vigésimus) & requiévit omnis Domus Israël post Dóminum.

℟. Qui mandúcat. 214.

Sermo Magístri Flori Lugdunénsis Ecclésiæ Diáconi.

Lib. de actione Missarum.

Lectio ij.

In ministério Córporis & Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi; quod sancta Ecclésia per univérsum mundum pro ejúsdem mundi salúte offert: máximè nobis humílitas commendátur. Viam nobis fecit idem Dóminus Jesus Christus per humilitátem; quia per supérbiam recesserámus à Deo; redíre autem ad eum nisi per humilitátem, non poterámus: & quem nobis proponerémus ad imitándum non habebámus. Omnis enim mortálitas hóminum; supérbiâ tumébat: & si exísteret áliquis húmilis vir in spíritu; sicut erant Prophétæ & Patriárchæ: dedignabátur genus humánum imitári húmiles hómines. Ne ergo dedignarétur homo imitári hóminem húmilem; Deus factus est húmilis: ut vel sic supérbia humáni géneris, non dedignarétur sequi vestígia Dei.

℟. Misit me vivens. 214.

Lectio iij.

Ecce cibus sempitérnus. Sed mandúcant Angeli; mandúcant supérnæ virtútes; mandúcant cœléstes Spíritus, & mandúcant, & saginántur: & íntegrum manet quod eos sátiat & lætíficat. Quis autem homo posset ad illum cibum accédere? Unde cor tam idóneum illi cibo? Oportébat ergo ut mensa illa lactésceret: & ad párvulos perveníret. Unde autem fit cibus lac? unde cibus in lac convértitur; nisi per carnem trajiciátur? Nam mater hoc facit. Quod mandúcat mater; hoc mandúcat infans: sed quia minùs idóneus est infans qui pane vescátur; ipsum panem mater incárnat; & utilitáte mamíllæ, & lactis succo: de ipso pane pascit infántem. Quómodo ergo de ipso pane pavit nos sapiéntia Dei? Quia verbum caro factum est: & habitávit in nobis. Vide ergo humilitátem; quia

quia panem Angelórum manducávit homo; & scriptum est: Panem cæli dedit eis, Panem Angelórum manducávit homo.

℟. Unus Panis. 215.

Ad Vesperas, omnia ut in primis Vesperis Festi, quamvis hac die fuerit Festum Duplex; nisi fuerit ex Solemnioribus quia tunc Vesperæ dicuntur de Festo.

FERIA QUINTA

Octava Corporis Christi.

In primo Nocturno.

De Epístola Beáti Pauli Apostoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 7.

CHristus Jesus eò quòd máneat in ætérnum: sempitérnum habet Sacerdótium. Unde & salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat ut nobis esset Póntifex; sanctus, ínnocens; impollútus; segregátus à peccatóribus: & excélsior cœlis factus. Qui non habet necessitátem quotídiè, quemádmodum Sacerdótes; priùs pro suis delíctis hóstias offerre; deínde pro pópulis: hoc enim fecit semel seipsum offerendo. Lex enim hómines constituit Sacerdótes infirmitátem habéntes; Sermo autem jurisjurándi qui post legem est: fílium in ætérnum perféctum.

℟. Immolábit hœdũ. 207.

Lectio ij. Cap. 9.

CHristus autem assístens Póntifex futurórum bonórum; per ámpliùs & perféctiùs tabernáculum non manu factum; id est, non hujus creatiónis: neque per sánguinem hircórum aut vitulórum; sed per próprium sánguinem, introívit semel in sancta: ætérnâ Redemptióne inventâ. Si enim Sanguis hircórum & taurórum & cinis vítulæ aspérsus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis: quantò magis sanguis Christi; qui per Spíritum sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis; ad serviéndum Deo vivénti? Et ídeò novi testaménti mediátor est: ut morte intercedénte in redemptiónem

eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri testaménto, repromissiónem accípiant: qui vocáti sunt ætérnæ hæreditátis.

℟. Comedétis carnes. 207.

Lectio iij. Cap. 10.

HAbéntes ítaque fratres fidúciam in intróitu sanctórum in sánguinem Christi. Quam initiávit nobis viam novam; & vivéntem per velámen, id est, carnem suam; & Sacerdótem magnum super domum Dei: accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei; aspérsi corda à consciéntiâ malâ, & ablúti corpus aquâ mundâ: teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem; fidélis enim est qui repromísit; & cōsiderémus ínvicem in provocatiónē charitátis: & bonórū óperum.

℟. Respéxit Elias. 207.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Homilia 5. de Pascha.

Lectio iv.

MElchísedech rex salem prótulit panem & vinum: & benedíxit Abrahæ. Melchísedech autem fuit Sacérdos Dei summi; dum à præpútio: id est, à gentili circumcísio futúra benedícitur; Ecclésiæ glória prædicátur: & Synagógæ infidéli plebs ex géntibus adquisíta præpónitnr. Hic ergo Melchísedech, cujus Genealógia vel orígo notítiam illíus témporis látuit: oblatióne panis & vini hoc Christi sacrificium præsignávit. De quo Prophéta pronúntiat; Tu es Sacérdos in ætérnum: secúndùm órdinem Melchísedech. Nam & beátus Móyses de eo mystério loquens; vinum & sánguinem sub una appellatióne signíficat: in benedictióne Patriárchæ; Domínicam passiónem multò ante demonstránte: ita ínquiens, Lavábit in vino stolam suam: & in sánguine uvæ pállium suum.

℟. Panis, quem ego dabo. 210.

Lectio v.

DOmínici sánguinis vinum aqua esse miscéndum; non solum traditióne Dóminus, sed étiā ipso génere passiónis osténdit: ex cujus sacro látere Sanguis & aqua lánceæ illisióne proflúxit; sicut & prophéta

prophéta multò antè præcinit: dicens. Percússit petram: & fluxérunt aquæ. Et Apóstolus. Bibébant de consequénte eos petra: petra autem erat Christus. Bibébant, inquit; de consequénte eos petra. Vides quòd qui de Christi bíberit grátia: séquitur eum Christi misericórdia. Sed & in Salomóne de ipso Dómino prædictum légimus. Sapiéntia, inquit, ædificávit sibi domum; id est, corpus hóminis assúmpsit: in quo habitávit plenitúdo divinitátis; & súbdidit colúmnas septem: quia illum benedíctio Spíritûs sancti grátia septifórmis implévit; mactávit hóstias suas; míscuit in cratéra vinum suum: & parávit mensam suam. Et in sequénti; Veníte & édite de meis pánibus: & bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Cœnántibus illis. 211.

Lectio vj.

HOc ipso quòd numerósis trítici granis cónfici nóvimus: unitátem constat assignári populórum. Sicut enim fruméntum quod sólita purgántis sollicitúdine præparátum in cándidam spéciem molárum labóre perfícitur; ac per aquam & ignem in uníus panis substántiam congregátur: sic váriæ gentes diversæque natiónes in unam fidem conveniéntes; unum de se Christi corpus effíciunt: & Christiánus pópulus, quasi trítici innumerabília grana à sacrílegis natiónibus fide purgánte atque cribránte discérnitur; & in unum quasi in fidélium lólio pertranseúnte collígitur: & duórum testamentórum instructióne, velut fruméntum gémino molárum ópere curátum, nitéscit; & in illam primæ oríginis dignitátem natívo candóre mutátur: ac per aquam baptísmi, vel per ignem Spíritûs sancti, ætérni illius panis corpus effícitur.

℟. Accépit Jesus. 211.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum. Caro mea verè est cibus: & Sanguis meus verè est potus. Qui mandúcat meam

carnem

carnem & bibit meum Sánguinem: in me manet & ego in illo. Et réliqua.

Homília sancti Gregórij Papæ.

In lib. 2. Regum cap. 1.

PRobet seipsum homo: & sic de pane illo edat & de cálice bibat. Quid est hoc loco probáre; nisi evacuátâ peccatórum nequitiâ: se probátum ad Domínicam mensam & purum exhibére? de replétis étiam subdit. Qui enim mandúcat & bibit indignè: judícium sibi mandúcat & bibit, qui ergo quotídiè delínquimus; quotídie ad pœniténtiæ lamenta currámus; quia ipsa sola virtus est, quæ évacuat: quod in ventre ánimæ culpa coadúnat. Et tunc verè famélici saturántur; quia quò studiósiùs mundámur lamento pœniténtiæ: eò uberiórem divínæ grátiæ fructum recépimus in spiritáli refectióne. Quid sit Sánguis agni; non jam audiéndo, sed bibéndo didicístis: qui Sanguis super utrúmque postem pónitur; quando non solùm ore córporis: sed étiam ore cordis haurítur.

℟. Qui mandúcat. 214.

Lectio viij.

IN utróque étenim poste sanguis agni est pósitus; quando Sacraméntum Passiónis illius cum ore ad redemptiónem súmitur: ad imitatiónem quoque inténtâ mente cogitátur. Nam qui sic Redemptóris sui sánguinem áccipit, ut imitári Passiónem illíus necdum velit; in uno poste sánguinem pósuit: qui étiam in superliminári bus domórum ponéndus est. Nam sola Redemptóris nostri percépta Sacraménta; ad veram solemnitátem mentis non sufficiunt: nisi eis quoque & bona ópera jungántur. Quid enim prodest corpus & sánguinem illius, ore percípere; & ei pervérsis móribus contraire?

℟. Misit me vivens. 214.

Lectio ix.

SAnctificámini & veníte mecum: ut immolémus. Si enim interésse sacrifíciis non audent nisi sanctificáti: quid de sacrificántibus censéndum? sanctificáre enim, purgáre est. Quantùm ergo puros decet esse Sacerdótes; ubi invitátæ

vitátæ gentes ad Sacrificium non nisi sanctificátæ admitténdæ sunt plebes? sanctificátio quippe córporis; pudicítia est: sanctificátio mentis, cháritas & humílitas. Sanctificétur ergo ad sacrificium invitátus: sed magis ille cógitur à quo invitatur. Audiant hujusmodi quid alter Prophéta ádmonet dicens. Mundámini qui fertis vasa Dómini. Méritò qui percússos aspíciunt: dicunt. Quis póterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? Nam, si hi qui indígni sunt vidéndo moriúntur; contrectántes quómodo vivunt? Bethsamítæ quidem in sancta Ecclésia sunt mórtui Sacerdótes, & minístri Sacri altáris réprobi; quia de domo quidem solis justítiæ sunt dignitáte ministérij: non virtúte & grátiâ sanctitátis.

℟. Unus Panis. 215.
Te Deum laudámus.

FERIA SEXTA.

Omnia ut in Psalt. cum Oratione Dñicæ præced.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 8.

CONgregáti ergò univérsi majóres natu Israël, venérunt ad Samuélem in Rámatha dixerúntque ei: Ecce, tu senuísti, & filij tui non ámbulant in viis tuis; constítue nobis Regem, ut júdicet nos: sicut & univérsæ habent natiónes. Displícuit sermo in óculis Samuélis, eò quòd dixíssent: da nobis Regem, ut júdicet nos. Et orávit Sámuël ad Dóminum.

℟. Montes Gélboë, nec ros, nec plúvia véniant super vos: * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Neque ibi sint agri primitiárum, quia ibi abjéctus est clypeus fórtium. Ubi cecidérunt.

Lectio ij.

DIxit autem Dóminus ad Samuélem: audi vocem pópuli in ómnibus quæ loquúntur tibi. Non enim te abjecérunt, sed me: ne regnem super eos. Juxtà ómnia ópera sua, quæ fecérunt à die quâ edúxi eos de Ægypto; usque ad diem hanc: sicut dereliquérunt me, & serviérunt diis aliénis, sic fáciunt étiam tibi. Nunc ergò vocem eórum audi; verúmtamen contestáre eos: & prædic eis jus Regis, qui regnatúrus est super eos.

℟. Deus

℟. Deus ómnium exaudítor est, * Ipse misit Angelum suum, & tulit me de óvibus patris mei, & unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, & de manu bestiæ liberávit me. Ipse misit.

Lectio iij.

Dixit ítaque Sámuel ómnia verba Dómini ad pópulum, qui petíerat à se Regem, & ait. Hoc erit Jus Regis; qui imperatúrus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in cúrribus suis; facietque sibi équites, & præcursóres quadrigárum suárum: & constítuet sibi Tribúnos; & Centurióness; & aratóres agrórum suórum; & messóres ségetum: & fabros armórum & cúrruum suórum. Fílias quoque vestras fáciet sibi unguentárias; & focárias: & paníficas. Agros quoque vestros, & víneas; & olivéta óptima tollet: & dabit servis suis.*

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dixit Dóminus, & pósui te páscere gregem pópuli mei, & fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti: * Firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande juxta nomen magnórum, qui sunt in terrá: & réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. Firmans regnum. Glória Patri. Firmans regnum.

SABBATO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 9.

Et erat Vir de Bénjamin nómine Cis, Fílius Abiel, filij Seror, filij Bécorath, filij Aphia filij viri Jémini: fortis róbore. Et erat ei filius vocábulo Saül, eléctus & bonus: Et non erat vir de filiis Isräël mélior illo. Ab húmero & sursùm eminébat super omnem pópulum. Períerant autem ásinæ Cis Patris Saul: & dixit Cis ad Saül filium suum. Tolle tecum unum de púeris; & consúrgens vade: & quære ásinas. Qui cùm transísset per montē Ephraim, & per terram Sálisa, & non inveníssent; transiérunt étiam per terram Salim, & non erant: Sed & per terram Jémini, & mínimè reperérunt.

Lectio

Lectio ij.

CUm autem veníssent in terram Suph: dixit Saül ad púerum, qui erat cum eo. Veni, & revertámur; ne fortè dimíserit pater meus ásinas: & sollícitus sit pro nobis. Qui ait ei. Ecce, Vir Dei est in civitáte hac, vir nóbilis; omne quod lóquitur: sine ambiguitáte venit. Nunc ergo eámus illuc, si fortè índicet nobis de viâ nostrâ: propter quam vénimus. Dixitque Saül ad púerum suum. Ecce, íbimus; quid ferémus ad virum Dei? Panis defecit in sitárciis nostris; & spórtulam non habémus; ut demus hómini Dei: nec quidquam áliud. Rursùm puer respóndit Sauli: & ait. Ecce invénta est in manu mea quarta pars statéris argénti; demus hómini Dei: ut índicet nobis viam nostram.

℞. Misit me vivens. 214.

Lectio iij.

ET ascendérunt in civitátem. Cùmque illi ambulárent in médio urbis; appáruit Sámuël & egrédiens óbviàm eis: ut ascénderet in excélsum. Dóminus autem reveláverat aurículâ Samuélis ante unam diem; quàm veníret Saül: dicens. Hac ipsâ horâ; quæ nunc est: cras mittam virum ad te de terrâ Bénjamin; & unges eum ducem super pópulum meum Israël: & salvábit pópulum meum de manu Philisthinórum, quia respéxi pópulum meum: venit enim clamor eórum ad me. Cùmque aspexísset Sámuël Sáulem: Dóminus dixit ei. Ecce Vir, quem díxeram tibi: iste dominábitur pópulo meo.

℞. Unus Panis. 215.

Ad Magnificat, Antiph. Cognovérũt omnes à Dan usque Bersábee, quòd fidélis Sámuël Prophéta esset Dómini.

Oratio. Protéctor in te sperántium. *quæ habetur infrà post Lectiones ultimæ Hebdomadæ Augusti, cum aliis Orationibus usque ad Dominic. 16. post Pentec.*

Ad primam Processionem.

℞. j. Præparáte corda vestra. *ut infrà.* 242.

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij

de tuâ virtúte confídimus: sub tuâ semper pietáte gaudeámus Per Dóminum.

Ad secundã Processionem.

℟ ij. Dñs, qui erípuit. 243.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas, Dómine, semper à nobis iniquitátes repélle: Ut ad viam salútis ætérnæ secúra mente currámus. Per Dóminum.

DOMINICA III.

post Pentecosten.

Ad Matutinum. Invitat. Adorémus Deum, quia ipse fecit nos. *Psalm.* Veníte.

Psalmi, Versiculi & Añã. ut in Psalterio.

In primo Nocturno.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 9 & 10.

ACcéssit autem Saül ad Samuélem in médio portæ: & ait. Indica mihi, oro, ubi est domus vidéntis? Et respóndit Sámuël Sáüli: dicens: Ego sum videns. Ascénde ante me in excélsum, ut comedátis mecum hódiè; & dimittam te manè: Et ómnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de ásinis, quas nudiustértius perdidísti; ne sollícitus sis: quia invéntæ sunt. Et cujus erunt óptima quæque Israël? Nónne tibi, & omni dómui patris tui? Respóndens autem Saül: ait. Numquid non filius Jémini ego sum de mínima Tribu Israël, & cognátio mea novíssima inter omnes famílias de Tribu Bénjamin? Quare ergò locútus es mihi sermónem istum?

℟. Præparáte corda vestra Dómino, & servíte illi soli: * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Auférte deos aliénos de médio vestri. Et liberábit.

Lectio ij.

ASsúmens itaque Sámuël Sáülem & puerum ejus, introdúxit eos in triclinium; & dedit eis locum in cápite eórum: qui fúerant invitáti. Erant enim quasi triginta viri: Dixítque Sámuel coco. Da partem, quam dedi tibi: & præcépi ut repóneres seorsùm apud te. Levávit autem cocus armum: & pósuit ante Saül. Dixítque Sámuel: Ecce quod remánsit; pone ante te, & cómede; quia de indústria servátum est tibi: quandò pópulum vocávi. Et comédit Saul cum Samuéle in

die

die illâ. Et descendérunt de excelso in óppidum; & locútus est cum Sáüle in solário: stravítque Saül in solário, & dormivit.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, & de manu béstiæ liberávit me: * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum. Ipse.

Lectio. iij.

CUmque manè surrexíssent; & jam elucésceret: vocávit Sámuël Sáülem in solário, dicens. Surge: & dimíttam te. Et surréxit Saül: egressíque sunt ambo, ipse vidélicet & Sámuël. Cùmque descénderent in extréma parte civitátis; Sámuël dixit ad Saül: Dic púero, ut antecédat nos, & tránseat; tu autem subsíste paulísper: ut índicem tibi verbum Dómini. Tulit autem Sámuël lentículam ólei; & effúdit super caput ejus; & deosculátus est eum: & ait. Ecce, unxit te Dóminus super hæreditátem suam in príncipem; & liberábis pópulum suum de mánibus inimicórum ejus: qui in circúitu ejus sunt.

℟. Percússit Saül mille, & David decem míllia: quia manus Dómini erat cum illo: * Percússit Philisthæum & ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Invocávit Dóminum omnipoténtem, & dedit in déxtera ejus tóllere hominem fortem in bello, & exaltáre cornu gentis suæ. Glória. Percússit.

In secundo Nocturno.

Sermo S Gregórij Papæ.

De cura Pastorali. Part. 2. cap. 5.

Lectio iv.

SAül post humilitátis méritum in tumórem supérbiæ cúlmine potestátis excrévit; per humilitátem quippe prælátus est: per supérbiam reprobátus. Dómino attestánte, qui ait: Nonne cùm esses párvulus in óculis tuis; caput te constítui in tribubus Israël? Párvulum se in suis priùs óculis víderat; sed fultus temporáli poténtia: jam se párvulum non vidébat. Cæterórum namque comparatióne se præferens; quia plus cunctis póterat: magnum se præ ómnibus æstimábat. Miro autem

modo cùm apud se párvulus; apud Deum magnus; cùm verò apud se magnus appáruit: apud Deum párvulus fuit. Plerúmque ergo dum ex subjectórum affluéntia ánimus inflátur in luxum supérbiæ: ipso poténtiæ fastígio lenocinánte corrúmpitur.

℟. Montes Gélboë, nec ros, nec plúvia, véniant super vos: * Ubi cecidérunt fortes Isräël. ℣. Neque ibi sint agri primitiárum, quia ibi abjéctus est clypeus fórtium. Ubi.

Lectio v.

STúdeant ígitur sine intermissióne, qui præsunt, ut eórum poténtia quantò magna extériùs cérnitur; tantò apud eos intériùs deprimátur: ne cogitatiónem vincat; ne in delectatiónem sui ánimam rápiat; ne jam sub se mens eam regére non possit: cui se libídine dominándi suppónit. Ne enim præsidéntis ánimus ad elatiónem potestátis suæ delectatiónis rapiátur; rectè per quemdam sapiéntem dícitur: Ducem te constituérunt; noli extólli sed esto in illis: quasi unus ex illis. Hinc étiam Petrus ait. Non dominantes in clero: sed forma facti gregis. Hinc per semetipsam véritas ad altióra nos virtútum mérita próvocans, dicit. Scitis quia príncipes géntium dominántur eórum; & qui majóres sunt: potestátē exércent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicúmque volúerit inter vos major fieri, fiat sicut miníster.

℟. Deus ómnium Exaudítor est: * Ipse misit Angelum suum, & tulit me de óvibus Patris mei, & unxit me unctióne, misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, & de manu béstiæ liberávit me. Ipse.

Lectio vj.

DIsciplína vel misericórdia, multum destitúitur: si una sine áltera teneátur. Sed erga súbditos suos inésse rectóribus debet; & justè cónsolans misericórdia: & piè sæviens disciplína. Hinc namque est, quòd docénte veritáte; per Samaritáni stúdiū semivívus in stábulum dúcitur: & vinum atque óleum ejus vulnéribus adhibétur; ut per vinum scílicet

licet medeántur vúlnera: per óleum foveántur. Necésse quippe est, ut quisquis sanándis vulnéribus præest, in vino morsum dolóris adhibeat: in óleo mollítiem pietátis; quátenùs per vinum mundéntur pútrida: per óleum foveántur sanánda. Miscénda ergo est lénitas cum severitáte; faciéndum quoddam ex utróque temperaméntum; ut neque multa aspéritáte exulceréntur súbditi: neque nímia benignitáte solvántur.

℟. Ego te tuli de domo Patris tui, dixit Dóminus, & pósui te páscere gregem pópuli mei; & fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti: * Firmans regnum tuum in ætérnum.

℣. Fecíque tibi nomen grande juxta nomen magnórum, qui sunt in terrâ; & réquiem dedi tibi, ab ómnibus inimícis tuis. Firmans. Glória. Firmans.

Lectiones iij. Nocturni de Homilia Dominica iij. post Pentecosten, quæ cum aliis habetur inferiùs circa finem Officij de Tempore, in ordine aliarum Dominicarum usque ad Dominicam 16. Similiter Añæ. ad Benedictus, Magnificat & Orationes.

℟. vij. Exaudísti. Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo: * Bénedic & sanctífica domum istam in sempitérnum Deus Israël.

℣. Stetit autem Sálomon ante altáre Dómini, & expándit manus suas in cœlum, & ait: Bénedic, &c.

℟. viij. Audi, Dñe, hymnum & oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódiè: ut sint óculi tui apérti, & aures tuæ inténtæ * Super domum istam die ac nocte.

℣. Qui regis Israël, inténde; qui dedúcis velut ovem Joseph: Qui sedes super Chérubim, appáre. Super.

℟. ix. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, & oráverit ad Sanctuárium tuum, tu exáudies de cœlo, Dómine: * Et líbera eos de mánibus inimicórũ eorũ.

℣. Et dimítte peccáta servórum tuórum, & pópuli tui Israël. Et líbera.

Te Deum.

Post Vesperas, ad primam Processionem.

℟. j. Factum est. 246.

Orémus, *Oratio.*

DA, quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tuâ virtúte confídimus sub tuâ semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundã Processionem.

Añã. O Crux benedícta, quæ sola fuísti digna portáre Regem cœlórum & Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

REspice, quæsumus Dómine, super hanc familiam tuam; pro quâ Dóminus noster Jesus Christus nõ dubitávit mánibus tradi nocéntium & Crucis subíre torméntum. Qui tecum vivit.

FERIA SECUNDA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 10.

ET convocávit Sámuël pópulum ad Dóminum in Maspha, & ait ad filios Israël: Hæc dicit Dóminus Deus Israël: Ego edúxi Israël de Ægypto; & érui vos de manu Ægyptiórum; & de manu ómnium regum qui affligébant vos. Vos autem hódie projecístis Deum vestrum; qui solus salvávit vos de univérsis malis & tribulatiónibus vestris: & dixístis. Nequáquam: sed Regem constítue super nos. Nunc ergò state coram Dómino per Tribus vestras: & famílias.

℟. Factum est dum tólleret Dóminus Eliam per túrbinem in cœlum, * Elisæus clamábat, dicens: Pater mi, Pater mi, currus Israël & auriga ejus.

℣. Cùmque pérgerent, & incedẽtes sermocinaréntur: Ecce, currus ígneus, & equi ignei divisérunt utrúmque, Elisæus.

Lectio ij.

ET applícuit Sámuël omnes tribus Israël: & cécidit sors Tribus Bénjamin. Et applícuit Tribum Bénjamin & cognatiónes ejus; & cécidit cognátio Metri: & pervénit usque ad Saül, filium Cis. Quæsiérunt ergo eum: & non est invéntus. Et consuluérunt post hæc Dóminum; utrúmnam ventúrus esset illuc? Respondítque Dóminus: Ecce abscónditus est domi. Cucurrérunt itaque, & tulérunt eum indè; stetítque in médio pópuli: & áltior fuit univérso pópulo ab húmero & sursùm.

sum. Et ait Sámuël ad omnem pópulum. Certè vidétis quem elégit Dóminus: quóniam non sit símilis illi in omni pópulo. Et clamávit omnis pópulus; & ait: Vivat Rex.
℣. Dóminus, qui erípuit me. 243.

Lectio iij.

LOcútus est autem Sámuël ad pópulum legem regni; & scripsit in libro; & repósuit coram Dómino: Et dimisit Sámuël omnem pópulum, síngulos in domum suam. Sed & Saül ábiit in domum suam in Gábaa: & ábiit cum eo pars exércitûs, quorum tetígerat Deus corda. Filij verò Belial dixérunt. Num salváre nos póterit iste? Et despexérunt eum; & non attulérunt ei múnera: Ille verò dissimulábat se audire.
℟. Percússit Saül. 243.

FERIA TERTIA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 12.

DIxit autem Sámuël ad univérsum Israel: Ecce audívi vocem vestram juxta ómnia quæ locúti estis ad me, & constítui super vos regem. Et nunc rex gráditur ante vos: ego autem sénui; & incánui: porrò filij mei vobíscum sunt. Itaque conversátus coram vobis ab adolescéntiâ meâ usque ad hanc diem: ecce præstò sum. Loquímini de me coram Dómino, & coram Christo ejus; utrùm bovem cujúsquam túlerim, aut ásinum; si quémpiam calumniátus sum: si oppressi áliquem; si de manu cujúsquam munus accépi; & contémnam illud hódie: restituámque vobis. Et dixérunt. Non es calumniátus nos, neque oppressísti: neque tulísti de manu alicujus quippiam, Dixitque ad eos. Testis est Dóminus advérsùm vos: & testis est Christus ejus in die hâc, quia non invenéritis in manu meâ quíppiam. Et dixérunt: Testis.
℟. Montes Gélboë. 244.

Lectio ij.

ET ait Sámuël ad pópulum. Dóminus qui fecit Móysen & Aaron: & eduxit Patres nostros de terra Ægypti. Nunc ergò state; ut judício conténdam advérsum vos coram Dómino de ómnibus mi-

sericórdiis Dómini; quas fecit vobíscum, & cum pátribus vestris: quómodò Jacob ingréssus est in Ægyptum; & clamavérunt Patres vestri ad Dóminũ: & misit Dóminus Móysen, & Aaron, & edúxit patres vestros de Ægypto; & collocávit eos in loco hoc. Qui oblíti sunt Dómini Dei sui, & trádidit eos in manu Sísaræ magístri milítiæ Hasor, & in manu Philisthinórum, & in manu Regis Moab: & pugnavérunt advérsùm eos.

℟. Deus ómnium. 244.

Lectio ij.

POsteà autem clamavérunt ad Dóminum & dixérunt. Peccávimus, quia derelíquimus Dóminum; & servívimus Báalim & Astaroth: nunc ergò érue nos de manu inimicórum nostrórum: & serviémus tibi. Et misit Dóminus Jeróbaal & Badan, & Jephte & Sámuël, & éruit vos de mánibus inimicórum vestrórum per circúitum: & habitástis confidénter. Vidéntes quòd Naas, rex filiórum Ammon venísset advérsùm vos: dixístis mihi. Nequáquam; sed rex imperábit nobis: cùm Dóminus Deus vester regnáret in vobis. Nunc ergò præsto est rex vester, quem elegístis & petístis: Ecce dedit vobis Dóminus Regem; si timuéritis Dóminum, & serviéritis ei, & audiéritis vocem ejus; & non exasperavéritis os Dómini; éritis & vos, & Rex qui imperat vobis: sequéntes Dñm Deũ vestrũ.

℟. Ego te tuli. 245.

FERIA QUARTA,

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 13.

PErcússit Jónathas statiónem Philisthinórũ: quæ erat in Gábaa. Quod cùm audíssent Philísthiim: Saül cécinit búccinâ in omni terra dicens. Audiant Hebræi; Et univérsus Israël audívit hujuscémodi famam; percússit Saül statiónem Philisthinórum: & eréxit se Israël advérsùs Philísthiim. Clamávit ergo pópulus post Saül in Gálgala: Et Philísthiim congregáti sunt ad præliándum contra Israël, triginta míllia cúrruum; & sex míllia équitum; & réliquum vulgus: sicut aréna quæ est in líttore

maris

maris plúrima. Et ascendéntes castrametáti sunt in Machmas ad Oriéntem Béthaven. Quod cùm vidíssent viri Isráël se in arcto pósitos; afflíctus enim erat pópulus; abscōdérunt se in spelúncis, & in ábditis; in petris quoque & in antris: & in cistérnis.

℞. Exaudísti Dómine. 245.

Lectio ij.

CUmque adhuc esset Saül in Gálgala: univérsus pópulus pertérritus est qui sequebátur eum. Et expectávit septem diébus juxta plácitum Samuélis; & non venit Sámuël in Gálgala: dilapsúsque est pópulus ab eo. Ait ergo Saül: afférte mihi holocáustum & pacífica. Et óbtulit holocáustum. Cúmque compléstet ófferens holocáustum; ecce Sámuël veniébat: & egréssus est Saül óbviam ei, ut salutáret eum. Locutúsque est ad eum Sámuël: Quid fecísti? Respóndit Sáül: Quia vidi quòd pópulus dilaberétur à me, & tu non véneras juxta plácitos dies: porrò Philísthiim cōgregáti fúerant in machmas: Dixi. Nunc descéndent Philísthiim ad me in Gálgala: & fáciem Dómini non placávi; Necessitáte compúlsus: óbtuli holocáustum. Dixítque Sámuël ad Saül: stultè egísti; nec custodísti mandáta Dómini Dei tui: quæ præcépit tibi. Quòd si non fecísses; jam nunc præparásset Dn̄s regnum tuum super Isráël in sempitérnum: Sed nequáquam regnum tuum ultrà consúrget. Quæsívit Dóminus sibi virum juxtà cor suum & præcépit ei Dóminus ut esset dux super pópulum suum: eò quòd non serváveris quæ præcépit Dóminus.

℞. Audi Dómine. 245.

Lectio iij.

SAül & Jónathas filius ejus; populúsque qui invéntus fúerat cum eis; erat in Gábaa Bénjamin: porrò Philísthiim consédérant in Machmas. Et egréssi sunt ad prædándum de castris Philisthinórum tres cúnei. Unus cúneus pergébat contra viam Ephra ad terram Sual. Porrò álius ingrediebátur per viam Béthhoron: tértius autem vérterat se ad iter

términi imminéntis valli Seboïm contrà desértum. Porrò faber ferrárius non inveniebátur in omni terra Israël: Cáverant enim Philísthiim ne fortè fácerent Hebræi gládium aut lánceã. Descendébat ergo omnis Israël ad Philísthiim: ut exacúeret unusquísque vómerem suum: & ligónem; & secúrim: & sárculum. Retúsæ ítaque erant ácies vómerum; & ligónum; & tridéntum; & secúrium: usque ad stímulũ corrigéndum. Cùmque venísset dies prælij; non est invéntus ensis & láncea in manu totíus pópuli; qui erat cum Sáüle & Jónatha: excépto Saül & Jónatha fílio ejus.

℟. Dómine si convérsus. 245.

FERIA QUINTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 14.

Locúti sunt viri de statióne ad Jónathan: & ad armígerum ejus, dixerúntque: Ascéndite ad nos: & ostendémus vobis rem. Et ait Jónathas ad armígerum suum; ascendámus, séquere me: trádidit enim Dóminus eos in manus Israël. Ascéndit autem Jónathas mánibus & pédibus reptans: & ármiger ejus post eum. Itaque álij cadébant ante Jónathan: álios ármiger ejus interficiébat sequens eum. Et facta est plaga prima; quâ percússit Jónathas & ármiger ejus, quasi vigínti virórum; in média parte júgeri: quam par boum in die aráre consuévit. Et factum est miráculum in castris per agros; sed & omnis pópulus statiónis eórum qui ierant ad prædándum obstúpuit; & conturbáta est terra: & áccidit quasi miráculum à Deo. Et respexérunt speculatóres Saül, qui erant in Gabaa Bénjamin; & ecce multitúdo prostráta: & huc illúcque diffúgiens. Et ait Saül pópulo, qui erat cum eo; Requírite: & vidéte quis abíerit ex nobis.

℟. Præparáte corda. 242.

Lectio ij.

Conclamávit ergo Saül & omnis pópulus qui erat cum eo: & venérunt usque ad locum certáminis; & ecce versus fúerat gládius uniuscujúsque ad próximum suum: & cædes

des magna nimis. Sed & Hebræi qui fuerant cum Philisthiim heri & nudiustértius; ascenderántque cum eis in castris; reversi sunt ut essent cum Israël qui erant cum Saül & Jónatha. Omnes quoque Israëlitæ qui se abscónderant in monte Ephraim audientes quod fugíssent Philisthæi, sociavérunt se cum suis in prælio. Et erāt cum Saul quasi decem millia virórum. Et salvávit Dóminus in die illâ Israël pugna autem pervénit usque ad Béthaven. Et viri Israël sociáti sunt sibi in die illâ adjurávit autem Saül pópulum dicens. Maledictus vir, qui comédérit panem usque ad vésperam donec ulcíscar de inimícis meis. Et non manducávit univérsus pópulus panem; Omnéque terræ vulgus venit in saltum in quo erat mel super fáciem agri. Ingréssus est itaque pópulus saltum; & appáruit fluens mel nullúsque applícuit manum ad os suum. Timébat enim pópulus juraméntum.

℟. Dóminus qui. 243.

Lectio iij.

PErcussérunt ergo in die illâ Philisthæos à Machmis usque in Aíalon. Defatigátus est autem pópulus nimis; Et versus ad prædam tulit oves; & boves; & vítulos; & mactavérunt in terrâ comedítque pópulus cum sánguine. Nuntiavérunt autem Sáüli dicentes; quod pópulus peccásset Dómino cómedens cum sánguine. Qui ait. Prævaricáti estis volvite ad me jam nunc saxum grande. Et dixit Saül Dispergímini in vulgus, & dícite eis; ut addúcat ad me unusquísque bovem suum, & aríetem; & occídite super istud; & vescímini & non peccábitis Dómino comedéntes cum sánguine. Addúxit itaque omnis pópulus unusquísque bovem in manu sua usque ad noctem & occidérunt ibi. Ædificávit autem Saül altáre Dómino tuncque primùm cœpit ædificáre altáre Dómino.

℟. Percússit Saul. 243.

FERIA SEXTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 15.

AIt Sámuël ad Saül: Non revertar tecum; quia projecísti sermónem Dómini: & projécit te Dóminus ne sis rex super Israël. Et convérsus est Sámuël ut abíret; ille autem apprehéndit summitátem pállij ejus: quæ & scissa est. Et ait ad eum Sámuël: Scidit Dóminus regnum Israël à te hódie, & trádidit illud próximo tuo melióri te. Porrò triumphátor in Israël non parcet; & pœnitúdine non flectétur: neque enim homo est ut agat pœniténtiam. At ille ait: Peccávi. Sed nunc honóra me coram Senióribus pópuli mei; & coram Israël: & revértere mecum, ut adórem Dóminum Deũ tuum. Revérsus ergo Sámuël secútus est Saülem: & adorávit Saül Dóminum. Dixítque Sámuel: addúcite ad me Agag regem Amalec. Et oblátus est ei Agag pinguíssimus: & tremens. Et dixit Agag: Siccine séparat amára mors? Et ait Sámuël: sicut fecit absque líberis mulíeres gládius tuus, sic absque líberis erit inter mulíeres mater tua. Et in frusta concídit eum Sámuël coram Dómino in Gálgala.

℞. Montes Gélboë. 244.

Lectio ij. Cap. 16.

DIxítque Dóminus ad Samuélem; Usquequo tu luges Saul, cùm ego projécerim eum ne regnet super Israël? Imple cornu tuum óleo, & veni; ut mittã te ad Isaï Bethlehemítem: provídi enim in filiis ejus mihi regem. Et ait Sámuël: Quómodo vadam? áudiet enim Saül: & interficiet me. Et ait Dóminus; vítulum de arménto tolles in manu tuâ; & dices: Ad immolándum Dómino veni. Et vocábis Isaï ad víctimam; & ego osténdam tibi quid fácias: & unges quemcúmque monstrávero tibi. Fecit ergo Sámuël: sicut locútus est ei Dóminus. Venítque in Béthleem, & admiráti sunt Senióres civitátis occurréntes ei, dixerúntque: pacificúsne est ingréssus tuus? Et ait: Pácificus; ad immolándum Dómino veni; sanctificámini: & veníte mecum ut ímmolem. Sanctificávit ergo Isaï & filios ejus: & vocávit eos ad

ad Sacrifícium.

℟. Déus ómnium exauditor. 244.

Lectio iij.

ET dixit Dóminus ad Samuélem: ne respícias vultum ejus, neque altitúdinem statúræ ejus; quóniam abjéci eum, nec juxta intúitum hóminis ego júdico: homo enim videt ea quæ parent, Dóminus autem intuétur cor. Et vocávit Isaï Abínadab: & addúxit eum coram Samuéle. Qui dixit: Nec hunc elégit Dóminus. Addúxit autem Isaï Samma, de quo ait: Etiam hunc non elégit Dóminus. Addúxit itaque Isaï Septem filios suos coram Samuéle, & ait Sámuël ad Isaï: Non elégit Dóminus ex istis. Dixítque Sámuël ad Isaï: Numquid jam completi sunt filij? Qui respóndit; adhuc réliquus est párvulus: & pascit oves. Et ait Sámuël ad Isaï: Mitte & adduc eum, nec enim discumbémus priúsquàm huc ille véniat. Misit ergo & addúxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aspéctu; decoráque fácie: & ait Dóminus. Surge: unge eum, ipse est enim. Tulit ergo Sámuël cornu ólei; & unxit eum in médio fratrum ejus; & diréctus est Spíritus Dñi à die illâ in David & deínceps: surgénsque Sámuël ábiit in Rámatha.

℟. Ego tu tuli. 245.

SABBATO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 16.

SPíritus autem Dómini recéssit à Saül: & exagitábat eum spíritus nequam à Dómino. Dixerúntque servi Saül ad eum. Ecce spíritus Dei malus exágitat te. Júbeat Dóminus noster, & servi tui qui coram te sunt, quærent hóminem sciéntem psállere cíthara; ut quando arripúerit te spíritus Dómini malus; psallat manu suâ: & lévius feras. Et ait Saül ad servos suos. Providéte ergo mihi áliquem benè psallentem: & addúcite eum ad me. Et respóndens unus de púeris ait: Ecce vidi fílium Isaï Bethlehemítem, sciéntem psállere; & fortíssimum róbore: & virum bellicósum; & prudéntem in verbis; & virum pulchrum: & Dóminus est cum eo.

eo. Misit ergo Saül núntios ad Isai dicens. Mitte ad me David filium tuum : qui est in páscuis. Tulit itaque Isai ásinum plenum pánibus ; & lagénam vini & Hœdum de capris unum : & misit per manum David filij sui Sáüli.

Lectio ij. Cap. 17.

EGréssus est vir spúrius de castris Philisthinórum, nómine Góliath, de Geth, altitúdinis sex cubitórum & palmi ; & cassis ærea super caput ejus : & loríca squamata induebátur. Porrò pondus lorícæ ejus : quinque míllia sicló-rum æris erat. Et ócreas æreas habébat in crúribus : & clypeus æreus tegebat humeros ejus. Hastíle autem hastæ ejus, erat quasi liciatórium texentium ; ipsum autem ferrum Hastæ ejus, sexéntos siclos habébat ferri : & ármiger ejus antecedébat eum. Stansque clamábat advérsùm phalángas Israël & dicebat eis. Quare venístis paráti ad prælium ? Numquid ego non sum Philisthæus, & vos servi Saül ? Elígite ex vobis virum : & descéndat ad singuláre certámen. Si quíverit pugnáre mecum, & percússerit me, érimus vobis servi ; si autem ego prævalúero, & percússero eum ; vos servi éritis : & serviétis nobis. Et ajébat Philisthæus. Ego exprobrávi agmínibus Israël hódiè ; Date mihi virum : & íneat mecum singuláre certámen. Audiens autem Saül, & omnes Israëlítæ, sermónes Philisthæi hujuscémodi : stupebant : & metuébant nimis.

Lectio iij

AIt David ad viros qui stabant secum dicens. Quid dábitur viro qui percússerit Philisthæum hunc & túlerit oppróbrium de Israël ? Quis enim est hic Philisthæus incircumcísus qui exprobrávit ácies Dei vivéntis ? Referébat autem ei pópulus eúmdem sermónem dicens. Hæc dabúntur viro : qui percússerit eum. Quod cùm audísset Eliab frater ejus major, loquénte eo cum áliis ; irátus est contra David : & ait. Quare venísti, & quare dereliquísti páuculas oves illas in desérto ? Ego novi supérbiam tuam ; & nequítiam

nequítiam cordis tui: quia ut vidéres prælium, descendisti. Et dixit David. Quid feci? Numquid non verbum est? Et declinávit paululùm ab eo ad álium: dixítque eúmdem sermónem. Et respóndit ei pópulus verbum sicut priùs. Audita sunt autem verba, quæ locútus est David: & annuntiáta in conspéctu Saül. Ad quem cùm fuísset addúctus: locútus est ei. Non cóncidat cor cujusquam in eo; ego servus tuus vadam: & pugnábo advérsùs Philisthæum.

Ad Magnificat, Ana. Præváluit David in Philisthæum in fundâ & lápide, in nómine Dómini.

Ad primam Processionem ℟. Præparáte corda vestra Dómino, & servíte illi soli: * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis cónscij, de tua virtúte confidimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundam Processionē. ℟. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit. Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas Dómine semper à nobis iniquitátes repelle: ut ad viam salútis ætérnæ secúrâ mente currámus. Per Dóminum.

DOMINICA IV.

Post Pentecosten.

In primo Nocturno.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 17

IBat Philisthæus incédens; & appropinquans advérsùm David: & ármiger ejus ante eum. Cùmque inspexísset Philisthæus; & vidísset David: despéxit eum. Erat enim adoléscens: rufus, & pulcher aspéctu. Et dixit Philisthæus ad David. Nūquid ego canis sum; quòd tu venis ad me cum báculo? Et maledíxit Philisthæus David in diis suis: Dixítque ad David. Veni ad me, & dabo carnes tuas volatílibus cœli & bestiis terræ. Dixit autem David ad Philisthæum. Tu venis ad me cum gládio & hastâ & clypeo; ego autem vénio ad te in nómine Dómini exercituum;

ćituum; Dei ágminum Israël: quibus exprobrásti hódie.

℟. Præparáte corda vestra Dómino & servíte illi soli: * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Auférte Deos aliénos de médio vestri. Et liberábit.

Lectio ij.

ET dabit te Dóminus in manu mea, & percútiam te, & áuferam caput tuum à te: & dabo cadávera castrórum Philisthiim hódiè volatílibus cœli; & béstiis terræ; ut sciat omnis terra: quia est Deus in Israël. Et nóverit univérsa Ecclésia hæc, quia non in gládio nec in hasta salvat Dóminus; ipsíus enim est bellum: & tradet vos in manus nostras. Cùm ergo surrexísset Philisthæus, & veníret; & appropinquáret contrà David: festinávit David, & cucúrrit ad pugnã ex advérso Philisthæi.

℟. Dñs qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me: * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Qui docet manus meas ad prælium, & dígitos meos ad bellum. Ipse me.

Lectio iij.

MIsit David manum suam in peram; tulítque unum lápidem & fundâ jecit; & circumdúcens percússit Philisthæum in fronte: & infixus est lapis in fronte ejus, & cécidit in fáciem suam super terram. Prævaluítque David advérsùm Philisthæum in funda & lápide: percussúmque Philisthæum interfécit. Cùmque gládium non habéret in manu David, cucúrrit & stetit super Philisthæum, & tulit gládium ejus; & edúxit eum de vagína sua; & interfécit eum: præciditque caput ejus. Vidéntes autem Philisthiim, quòd mórtuus esset fortíssimus eórum: fugérunt.

℟. Percússit Saül mille & David decem míllia, quia manus Dómini erat cum illo: * Percússit Philisthæũ & ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Invocávit Dóminum omnipoténtem, & dedit in déxtera ejus tóllere hóminem fortem in bello & exaltáre cornu gentis suæ. Percússit. Glória Patri. Percússit.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Remigij Lugdunensis Episcopi.

In epist. ad Ephes. cap. 6.

Lectio iv.

BOni Reges Israëlitárum significábant Dóminum Jesum Christum; & Principes qui sunt in Ecclésia Dómini, qualis fuit David, pugnans contra Góliath: qui interpretátur manu fortis sivè desiderábilis. Aliíque quamplúrimi. Et sicut populus Israël significábat pópulum credéntium; qui sunt Israëlitæ: ita mali Reges & Príncipes cum suis géntibus; qui contrà populum Dei pugnábant: ut fuérunt Reges Idumæórum; atque Philistinórum significábant Dæmones, qui principántur pagánis & Hæréticis: qui Ecclésiam Dei semper impúgnant. Proptéreà, vos ô Christiáni, quia colluctátio est vobis advérsùs príncipes & potestátes; accípite armatúram Dei; id est, omnes virtútes, ut posśitis resístere in die malo & in ómnibus perfécti stare, id est: in ómnibus prósperis & advérsis perseveráre: firmi in fide, boníſque opéribus.

℟. Montes Gélboë nec ros nec plúvia véniant super vos: * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Neque ibi sint agri primitiárum quia ibi abjéctus est clypeus fórtium. Ubi cecidérunt.

Lectio v.

QUod dicit Apóstolus, Indúite armatúram Dei; tale est, ac si díceret: indúite Dóminum Jesum Christum; id est, omnes virtútes quas scitis in illo esse: in vobis assúmite. Jesus Christus, est justus; verus; pátiens; castus; mansuétus: appellátur agnus, & leo, & vítulus. Indúite vos justítiam; veritátem; patiéntiam; charitátem; castitátem; mansuetúdinem; estóte agnus; id est, mites: leo; fortes in fide: in bono ópere. Et contra Diábolum estóte & vítulus mortificántes vosmetípsos cum vítiis & concupiscéntiis: ut posśitis stare advérsùs insídias diáboli. Multis modis insidiátur nobis diábolus; insidiátur namque nobis per malas suggestiónes; insidiátur per

per vitia carnis nostræ, & incentiva malárum delectatiónum: insidiátur per minístros suos; per hæréticos, vidélicet & falsos fratres, atque pagános; sed contra has omnes debémus nos viríliter pugnáre: ne possímus superári.

℟. Deus ómnium exaudítor est: * Ipse misit Angelum suum & tulit me de óvibus patris mei & unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me. Ipse misit.

Lectio vj.

ET gáleam salútis assúmite. Gálea in cápite pónitur; omnésque córporis sensus munit & prótegit: visum vidélicet in óculis; audítum in áuribus; gustum in ore; olfáctum in náribus: tactum in toto cápite. Quid debémus ergo intelligere per gáleam? quæ ut díximus; omnes sensus córporis prótegit: Dóminum Jesum Christum & protectiónem illíus. Per caput verò mentem; quia sicut cápite tegúntur membra: ita cogitatiónes mente dispo-nántur. Ponámus ígitur Gáleam in cápite; id est: protectiónem Christi recondámus in secréto mentis nostræ; habéntes in illo fidúciam non in nobis ipsis; & ipse tuebitur omnes sensus nostros: ne à diábolo hoste antíquo possint vulnerári.

℟. Ego te tuli de domo patris tui dixit Dóminus & pósui te páscere gregem pópuli mei & fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti: * Firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum qui sunt in terra & réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. Firmans. Glória Patri. Firmans.

In tertio Nocturno.

Lectiones de Homilia Evangelij Dominicæ quarta post Pentecosten quæ habetur inferius.

℟. vij. Exaudísti Dómine oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo: * Bénedic & sanctífica domum istam in sempitérnum Deus Israël. ℣. Stetit autem Sálomon ante altáre Dómini & expándit manus suas in cœlum:

lium & ait. Bénedic.

℟. viij. Audi Dómine hymnum & oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódiè, ut sint óculi tui apérti & aures tuæ inténtæ: * Super domum istam die ac nocte. ℣. Qui regis Israël inténde qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim appáre. Super domum.

℟. ix. Dómine si convérsus fúerit pópulus tuus & oráverit ad sanctuárium tuum tu exáudies de cælo Dómine: * Et libera eos de mánibus inimicórum eórum. ℣. Et dimítte peccáta servórum tuórum & pópuli tui Israël. Et líbera.

Te Deum laudámus.

Post Vesperas ad primam Processionem.

℟. Factum est dum tólleret Dóminus Eliam per túrbinem in cœlum Elizæus clamábat dicens, Pater mi, Pater mi, currus Israël & auriga ejus.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus, ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confidimus, sub tuâ semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundam Process.

Aña. O Crux benedícta quæ sola fuisti digna portáre Regem cœlórum & Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

RÉspice quæsumus Dómine super hanc famíliam tuam; pro qua Dóminus noster non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & Crucis subire torméntum. Qui tecum vivit, &c.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Regum.

Lectio j Cap. 18.

EGrediebátur quoque David ad ómnia quæcúmque misísset eum Saul, & prudénter se agebat; posuítque eum Saul super viros belli; & accéptus erat in óculis univérsi pópuli, maximéque in conspéctu famulórum Saül. Porrò cùm reverterétur, percússo Philisthæo, David, egréssæ sunt mulíeres de univérsis úrbibus Israël, cantántes; choróśque ducentes in occúrsum Saül Regis in tympanis lætítiæ, & in sistris. Et præcinébant mulíeres ludéntes atque dicéntes. Percússit Saül

mille

mille : & David decem millia. Irátus est autem Saül nimis, & displicuit in óculis ejus sermo iste : dixítque : dedérunt David decem millia ; & mihi mille dedérunt : quid ei súperest, nisi solum regnum ? Non rectis ergo óculis Saül aspiciébat David à die illâ : & deinceps.

℟. Factum est dum tólleret Dóminus Eliam per túrbinem in cœlum: * Elizæus clamábat dicens, Pater mi, pater mi, currus Israël & auriga ejus.

℣. Cùmque pérgerent & incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus & equi ígnei divisérunt utrúmque. Elizæus.

Lectio ij.

POst diem autem álteram, invásit spíritus Dei malus Saül : & prophetábat in médio domûs suæ ; David autem psallébat manu sua : sicut per síngulos dies. Tenebátque Saül lánceam, & misit eam; putans quòd configere posset David cum pariete : & declinávit David à fácie ejus secúndò. Et tímuit Saül David : eò quòd Dóminus esset cum eo, & à se recessisset. Amóvit ergo eum Saül à se, & fecit eum tribúnum super mille viros ; & egrediebátur : & intrábat in conspéctu pópuli. In ómnibus quoque viis suis David prudénter agebat : & Dóminus erat cum eo. Vidit ítaque Saül quòd prudens esset nimis : & cœpit cavére eum. Omnis autem Israël & Juda diligébat David : ipse enim ingrediebátur & egrediebátur ante eos.

℟. Dñs qui erípuit. 256.

Lectio iij.

DIxit autem Saül : sic loquímini ad David. Non habet rex sponsália necésse ; nisi tantùm centum præpútia Philisthinórum : ut fiat últio de inimícis regis. Porrò Saül cogitábat trádere David in manus Philisthinórum. Cùmque renuntiássent servi ejus David, verba quæ díxerat Saül, plácuit sermo in óculis David : ut fieret gener Regis. Et post paucos dies surgens David : ábiit cum viris, qui sub eo erant. Et percússit ex Philísthiim ducéntos viros ; & áttulit eórum præpútia ; & annumerávit ea Regi : ut esset gener

gener ejus. Dedit itaque Saül ei Michol filiam suam uxórem.

℟. Percússit Saül. 256.

FERIA TERTIA.

Lectio j. Cap. 19.

LOcútus est ergo Jónathas de David bona ad Saül patrem suum: dixítque ad eum. Ne pecces Rex in servum tuum David: quia non peccávit tibi, & ópera ejus bona sunt tibi valde. Et pósuit ánimam suam in manu sua; & percússit Philisthæum, & fecit Dominus salútem magnam univérso Isräeli: vidisti, & lætátus es. Quare ergo peccas in Sánguine innóxio; interfíciens David: qui est absque culpa? Quod cùm audísset Saül: placátus voce Jónathæ, jurávit. Vivit Dóminus: quia non occidétur. Vocávit itaque Jónathas David, & indicávit ei ómnia verba hæc, & introdúxit Jónathas David ad Saül: & fuit ante eum sicut fúerat heri & nudiustértiùs.

℟. Montes Gélboë. 257.

Lectio ij.

MIsit autem Saül apparitores qui ráperent David: & respónsum est quòd ægrotáret Rursúmque misit Saül núntios; ut vidérent David, dicens: Afférte eum ad me in lecto ut occidátur. Cùmque venissent núntii; invéntum est simulácrum super lectum: & pellis caprárum ad caput ejus. Dixítque Saül ad Michol. Quare sic illusísti mihi; & dimisísti inimícum meum ut fúgeret? Et respóndit Michol ad Saül. Quia ipse locútus est mihi: Dimitte me alióquin interfíciam te. David autem fúgiens salvátus est: & venit ad Sámuël in Rámatha, & nuntiávit ei ómnia; quæ fecerat sibi Saül, & abiérunt ipse & Sámuël: & moráti sunt in Naioth.

℟. Deus ómnium exaudítor. 258.

Lectio iij. Cap. 20.

FUgit autem David de Naioth quæ est in Rámatha: veniénsque locútus est coram Jónatha. Quid feci? quæ est iníquitas mea; & quod peccátum meum in patrem tuum: quia quærit ánimam meã? Qui dixit ei. Absit: non moriéris; neque enim fáciet pater meus quidquam grande

grande vel parvum; nisi priùs indicáverit mihi: hunc ergo celávit me pater meus sermónem tantúmmodò, nequáquã erit istud. Et jurávit rursum Davídi. Et ille ait. Scit profèctò pater tuus; quia inveni grátiam in óculis tuis: & dicet, Nésciat hoc Jónathas ne fortè tristétur. Quinímò vivit Dóminus; & vivit ánima tua: quia uno tantùm, ut ita dicam, gradu ego morsque divídimur. Et ait Jónathas ad David: quodcúmque díxerit mihi ánima tua, fáciam tibi.

℟. Ego te tuli. 258

FERIA QUARTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 20.

ET áddidit Jónathas dejeráre David: eò quòd diligeret illum, sicut enim ánimam suam ita diligébat eum. Dixítque ad eum Jónathas: Cras Caléndæ sunt & requiréris. Requirétur enim sessio tua usque peréndie. Descéndes ergo festínus; & vénies in locum ubi celándus es in die qua operári licet: & sedébis juxta lápidem, cui nomen est Ezel. Et ego tres sagíttas mittam juxta eum: & jáciam quasi exércens me ad signum. Mittam quoque & púerum; dicens ei: Vade, & affer mihi sagíttas. Si díxero púero; Ecce sagíttæ intra te sunt: tolle eas; tu veni ad me, quia pax tibi est: & nihil est mali vivit Dóminus. Si autem sic locútus fúero púero; Ecce sagíttæ ultrà te sunt: vade in pace, quia dimísit te Dóminus. De verbo autem quod locúti sumus ego & tu: sit Dóminus inter me & te, usque in sempitérnum.

℟. Exaudísti Dómine. 258.

Lectio ij. Cap 21.

VEnit autem David in Nobe ad Achímelech Sacerdótem; & obstúpuit Achímelech: eò quòd venísset David. Et dixit ei. Quare tu solus; & nullus est tecum? & ait David ad Achimelech Sacerdótem. Rex præcépit mihi sermónem: & dixit. Nemo sciat rem propter quam missus es à me: & cujúsmodi præcépta tibi déderim; nam & púeris condíxi in illum & illum locum. Nunc ergo si quid habes ad manum; vel quinque panes: da mihi

-hi, aut quidquid invéneris. Et respóndens Sacérdos ad David: ait illi. Non hábeo láicos panes ad manum; sed tantùm panem sanctum si mundi sunt púeri: máximè à muliéribus. Et respóndit David Sacerdóti: & dixit ei. Equidem si de muliéribus ágitur; continúimus nos ab heri & nudiustértius: quando egrediebámur & fuérunt vasa puerórum sancta.

℟. Audi Dómine hymnum. 259.

Lectio iij.

DIxit autem David ad Achímelech. Si habes hic ad manum hastam aut gládium; quia gládium meum & arma mea non tuli mecum: sermo enim Regis urgébat. Et dixit Sacerdos. Ecce hic gládius Góliath Philisthæi, quem percussísti in valle terebínthi; est involútus pállio post Ephod: si istum vis tollere; tolle: neque enim hic est alius absque eo. Et ait David. Non est huic alter símilis: da mihi eum. Surréxit itaque David, & fugit in die illa à fácie Saül: & venit ad Achis Regem Geth. Dixerúntque servi Achis ad eum; cùm vidíssent David: numquid non iste est David rex terræ; nonne huic cantábant per choros dicéntes; Percússit Saül mille & David decem míllia? Pósuit autem David sermónes istos in corde suo; & extímuit valdè à fácie Achis regis Geth. Et immutávit os suum coram eis; & collabebátur inter manus eórum; & impingébat in óstia portæ: defluebántque salívæ ejus in barbam.

℟. Dómine si convérsus. 259.

FERIA QUINTA.

Lectio j. Cap. 24.

AScéndit ergo David indè: & habitávit in locis tutíssimis Engáddi. Cùmque revérsus esset Saül, postquam persecútus est Philisthæos; nuntiavérunt ei dicéntes: Ecce David in desérto est Engáddi. Assúmens ergo Saül tria míllia electórum virórum ex omni Israël: perréxit ad investigándum David, & viros ejus; étiam super abruptíssimas petras: quæ solis ibícibus pérviæ sunt. Et venit ad caulas óvium: quæ se offerebant viánti.

Eratque

Erátque ibi spelúnca quam ingréssus est Saül : ut purgáret ventrem. Porrò David, & viri ejus in interióre parte spelúncæ latébant; & dixérunt servi David ad eum : Ecce dies de qua locutus est Dóminus ad te. Ego tradam tibi inimícum tuum : ut fácias ei, sicut placúerit in óculis tuis. Surréxit ergo David : & præcídit oram chlámydis Saül siléntér. Post hæc percússit cor suum David : eò quòd abscidísset oram chlámydis Saül.

℟. Præparáte corda vestra. 256.

Lectio ij.

Dixítque ad viros suos. Propítius sit mihi Dóminus; ne fáciam hanc rem Dómino meo Christo Dómini : ut mittam manum meam in eum, quia Christus Dómini est. Et confrégit David viros suos sermónibus; & non permísit eos : ut consúrgerent in Saül. Porrò Saül exúrgens de spelúnca pergébat cœpto itínere. Surréxit autem & David post eum; & egréssus de spelúncâ, clamávit post tergum Saül : dicens. Dómine mi Rex. Et respéxit Saül post se : & inclínans se David, pronus in terram, adorávit. Dixítque ad Saül : Quare audis verba hóminum loquéntium; David quærit malum advérsùm te? ecce hódie vidérunt óculi tui; quòd tradíderit te Dóminus in manu mea in spelúnca; & cogitávi ut occíderem te : sed pepércit tibi óculus meus. Dixi enim; Non exténdam manum meam in Dóminum meum : quia Christus Dómini est.

℟. Dñs qui erípuit. 256.

Lectio iij.

Et tu indicásti hódiè quæ féceris mihi bona; quómodo tradíderit me Dóminus in manum tuam : & non occíderis me. Quis enim cùm invénerit inimícum suum; dimíttet eum in via bona? sed Dóminus reddat tibi vicissitúdinem hanc : pro eo, quòd hódiè operátus es in me. Et nunc quia scio quòd certíssimè regnatúrus sis, & habitúrus in manu tua regnum Israël : jura mihi in Dómino; ne déleas semen meum post me : neque áuferas nomen meum de

de domo patris mei. Et jurávit David Saüli. Abiit ergo Saül in domum suam: & David & viri ejus ascendérunt ad tutióra loca.

℟. Percússit Saül. 269.

FERIA SEXTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 25.

MOrtuus est autem Sámuël; & congregátus est univérsus Israël & planxérunt eum: & sepeliérunt eum in domo sua in Rámatha. Consurgénsque David descéndit in desértum Pharan. Erat autem vir quíspiam in solitúdine Maon: & posséssio ejus in Carmélo; & homo ille magnus nimis; erántque ei oves tria míllia: & mille capræ. Et áccidit ut tonderétur grex ejus in Carmélo. Nomen autem viri illíus erat Nabal: & nomen uxóris ejus Abígail. Erátque múlier illa prudentíssima & speciósa; porrò vir ejus durus, & péssimus; & malitiósus: erat autem de génere Caleb. Cùm ergo audísset David in desérto; quòd tónderet Nabal gregem suum: misit decem júvenes & dixit eis. Ascéndite in Carmélum; & veniétis ad Nabal: & salutábitis eum ex nómine meo pacíficè.

℟. Montes Gélboë. 270.

Lectio ij.

REspóndens autem Nabal púeris David: ait. Quis est David? & quis est filius Isai? hódie increvérunt servi: qui fúgiunt Dóminos suos. Tollam ergo panes meos, & aquas meas; & carnes pécorum, quæ occídi tonsóribus meis: & dabo viris, quos néscio unde sint? Regressi sunt ítaque púeri David per viam suam; & revérsi venérunt: & nuntiavérunt ei ómnia verba quæ díxerat. Tunc ait David púeris suis: Accingátur unusquísque gládio suo. Et accíncti sunt sínguli gládiis suis; accinctúsque est & David ense suo, & secúti sunt David quasi quadringénti viri: porrò ducénti remansérunt ad sárcinas.

℟. Deus ómnium exaudítor. 270.

Lectio iij.

CUm autem vidísset Abígail David, festinávit, & descéndit de ásino; & prócidit coram David super fáciem suam: &

adorávit super terram. Et cécidit ad pedes ejus: & dixit. In me sit, Dómine mi, hæc iníquitas; loquátur, óbsecro, ancílla tua in áuribus tuis: & audi verba fámulæ tuæ: Ne ponat, oro, Dóminus meus rex cor suum super virum istũ iníquum Nabal: quóniam secúndùm nomen suum stultus est, & stultítia est cum eo; ego autem ancílla tua non vidi púeros tuos, Dómine mi: quos misisti. Nunc ergo, Dómine mi, vivit Dóminus, & vivit ánima tua, qui prohíbuit te ne veníres in sánguinem; & salvávit manum tuam tibi, & nunc fiant sicut Nabal inimíci tui: & qui quærunt Dómino meo malum. Quaprópter súscipe benedictiónem hanc, quam áttulit ancílla tua tibi Dómino meo: & da púeris qui sequúntur te Dóminum meum. Aufer iniquitátem fámulæ tuæ, fáciens enim fáciet Dóminus tibi Dómino meo domum fidélem; quia prælia Dómini, Dómine mi, tu præliáris: malítia ergo non inveniátur in te ómnibus diébus vitæ tuæ.

℟. Ego te tuli. 271.

SABBATO.

De Libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 27.

ET ait David in corde suo. Aliquándo íncidam una die in manus Saül: nonne mélius est ut fúgiam, & salver in terra Philisthinórum; ut despéret Saül, cessétque me quærere in cunctis fínibus Israel? fúgiam ergo manus ejus. Et surréxit David, & ábiit ipse & sexcénti viri cum eo: ad Achis fílium Maoch regem Geth. Et habitávit David cum Achis in Geth: ipse & viri ejus, vir & domus ejus; & David, & duæ uxóres ejus, Achínoam Jezrahelítis: & Abígail uxor Nabal Carméli.

Lectio ij. Cap. 28.

DIxítque Saül servis suis; Quærite mihi mulíerem habéntem pytónem & vadam ad eam: & sciscitábor per illam. Et dixérunt servi ejus ad eum. Est múlier pythónem habens in Endor. Mutávit ergo hábitum suum, vestitúsque est áliis vestiméntis; & ábiit ipse, & duo viri cum eo, venerúntque

ad

ad mulíerem nocte: & ait illi. Divína mihi in pythóne: & súscita mihi quē díxero tibi. Et ait múlier ad eum. Ecce, tu nosti quanta fécerit Saül, & quomodo eráserit magos & haríolos de terra; quare ergo insidiáris ánimæ meæ: ut occídar? Et jurávit ei Saül in Dómino: dicens. Vivit Dóminus: quia non evéniet tibi quidquam mali propter hanc rem.

Lectio iij.

DIxit autem Sámuël ad Saül: Quare inquietásti me ut suscitárer? Et ait Saül: Coárctor nimis; siquidem Philísthiim pugnant advérsùm me, & Deus recéssit à me, & exaudíre me nóluit; neque in manu Prophetárum neque per sómnia; vocávi ergo te: ut osténderes mihi quid fáciam. Et ait Sámuël: Quid intérrogas me, cùm Dóminus recésserit à te, & transíerit ad æmulum tuum? Fáciet enim tibi Dóminus sicut locútus est in manu mea; & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud próximo tuo David: Quia non obedísti voci Dómini, neque fecísti iram furóris ejus in Amalech. Idcírcò quod páteris: fecit tibi Dóminus hódiè.

Ad Magnificat, Antiph. Planxit autem David planctum hujuscémodi super Saül & super Jónathan fílium ejus dicens: Inclyti Israël super montes tuos interfécti sunt quómodo cecidérunt fortes in bello.

Ad primam Processionem. ℟. j. Præparáte corda vestra Dómino, & servíte illi soli, & liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dñm.

Ad secundã Processionem. ℟. ij. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me: * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas Dómine semper à nobis iniquitátes repélle: ut ad viam salútis ætérnæ secúra mente currámus. Per Dóminum.

DOMINICA V.
post Pentecosten.
In primo Nocturno.
De Libro secúndo Regum.
Lectio j. Cap. I.

FActum est autem postquam mórtuus est Saül, ut David reverterétur à cæde Amalech: & manéret in Síceleg duos dies. In die autem tértia, appáruit homo véniens de castris Saül, veste concíssa, & púlvere conspérsus caput; & ut venit ad David: cécidit super fáciem suam, & adorávit. Dixítque ad eum David: Unde venis? Qui ait ad eum: De castris Israël fugi. Et dixit ad eum David: Quod est verbum quod factum est? Indica mihi. Qui ait: Fugit pópulus ex prælio; & multi corruéntes è pópulo mórtui sunt: sed & Saül & Jónathas filius ejus interiérunt.

℟. Præparáte corda vestra Dómino: * Et servíte illi soli & liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Auférte Deos aliénos de médio vestri. Et servíte.

Lectio ij.

DIxítque David ad adolescéntem, qui nuntiábat ei: Unde scis quia mórtuus est Saül, & Jónathas filius ejus? Et ait adoléscens, qui nuntiábat ei; Casu veni in montem Gélboë, & Saül incumbébat super hastam suam; porrò currus & équites appropinquábant ei; & convérsus post tergum suum: vidénsque me vocávit. Cui cùm respondíssem; adsum: dixit mihi. Quisnam es tu? Et aio ad eum: Amalecítes ego sum. Et locûtus est mihi; sta super me, & intérfice me, quóniam tenent me angústiæ: & adhuc tota ánima mea in me est. Stansque super eum occídi illum: sciebam enim quòd vívere non póterat.

℟. Dóminus qui erípuit me de ore leónis, & de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Qui docet manus meas ad præliũ & dígitos meos ad bellum. Ipse me.

Lectio iij.

APprehéndens autem David vestiménta sua scidit; omnésque viri qui erant cum eo: Et planxérunt & flevérunt, & jejunavérunt usque ad vésperam;

ram; super Saül, & super Jónathan filium ejus, & super pópulum Dómini; & super domum Israël: eò quòd corruíssent gládio. Dixítque David ad júvenem qui nuntiáverat ei. Unde es tu? Qui respóndit: filius hóminis ádvenæ Amalecítæ ego sum. Et ait ad eum David: Quare non timuísti míttere manum tuam, ut occíderes Christum Dómini? Vocánsque David unum de púeris suis, ait: Accédens írrue in eum. Qui percússit illum, & mórtuus est. Et ait ad eum David: Sanguis tuus super caput tuũ; os enim tuum locútum est advérsùm te, dicens: Ego interféci Christum Dñi.

℟. Percússit Saül mille & David decem míllia quia manus Dómini erat cum illo: * Percússit Philisthæum & ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Invocávit Dóminum omnipoténtem & dedit in déxtera ejus tóllere hóminem fortem in bello & exaltáre cornu gentis suæ. Percússit. Glória Patri. Percússit.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi Epíscopi.

De vita, Moribus, & Offic. Clericor. Homil. 4.

MElior est láïcus qui in prima facie sæculárem vitam profitétur, revéra autem compléctitur spirituálem; quàm sacérdos, qui in prima quidem fácie profitétur vitam spirituálem: revéra autem compléctitur carnálem. Et mélior est láïcus ante Deum pœniténtiam agẽs: quàm cléricus pérmanens in peccátis. Láïcus enim in die judícij stolam sacerdotálem accípiet; & ab eo Chrísmate ungétur in sacerdótium; sacérdos autem peccátor spoliábitur sacerdótij dignitáte quam hábuit: & erit inter infidéles & hypócritas dicénte Dómino de malo dispensatóre. Si autem cœperit sedére servus, & manducáre & bíbere cũ ebriósis; véniet Dóminus ejus die qua non sperat, & horâ qua ignórat, & dividet eum: partémque ejus ponet cum hypócritis & infidélibus.

℟. Montes Gélboë nec ros nec plúvia véniant super vos: * Ubi cecidérunt fortes Israel. ℣. Neque ibi sint agri primitiárum, quia ibi abjéctus est clypeus fórtium. Ubi.

Lectio v.

SÆculáris homo post peccátum fácilè ad pœniténtiam venit, tam occupátus negligéntiâ sæculári; dum scriptúris non satis atténdit; semper ei quæ in scriptúris pósita sunt, nova vidéntur; ideóque cùm audit áliquid de glória sanctórum, aut de pœnâ peccatórum, quasi novum áliquid áudiens, expavéscit; dumque aut bona concupíscit, aut mala timet: compúnctus ad pœniténtiam citò recúrrit. Nihil autem impossibiliùs, quàm illum corrígere; qui ómnia scit & tamen contémnens bonum: díligit malum. Omnia enim quæcúmque sunt in scriptúris propter quotidiánam meditatiónem ante óculos ejus inveteráta & vília æstimántur. Nam quidquid illic terríbile est: usu viléscit.

℟. Deus ómnium exauditor est: * Ipse misit Angelum suum & tulit me de óvibus patris mei, & unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me. Ipse misit.

Lectio vj.

PRoptérea Clericus qui semper meditátur scriptúras, aut omníno observatúrus est, & erit perféctus; aut si semel cœperit illas contémnere: numquam excitátur in illis, ut tímeat. Quis aliquándo vidit Cléricum cito pœniténtiam agéntem? Sed & si deprehénsus humiliáverit se, non ídeo dolet quia peccávit; sed ut Saül confúnditur: quia pérdidit glóriam suam. Putásne Dóminus quasi crudélis; Cléricis pœniténtiam denegávit, dicens: Si sal infatuátum fúerit in quo condiétur? Sed quasi naturálem rem esse consíderans; quia non est qui dóceat illum errántem: qui errántes álios corrigébat. Ideo áddidit & dixit. Amen dico vobis: quia publicáni & meretríces præcédent vos in Regnum Dei. Id est, non dico populáres, qui secúndùm

eúndùm rationem verbi vitam suam dispénsant; sed publicáni & meretrices, qui desidériis mundiálibus & voluptátibus carnálibus se ipsos mancipavérunt: præcédent vos in regnum Dei. Quia illi convérsi desíderant esse quod non erant; vos autem denegátis in ópere quod vidémini profitéri in verbo; & estis tamquã árbores fólia sine fructu habẽtes: non pascẽtes Dñm suum, sed deludéntes.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dixit Dóminus; & pósui te páscere gregem pópuli mei: & fui tecum in ómnibus ubicúmq; ambulásti: * Firmans regnum tuum in ætérnum.

℣. Fecíque tibi nomen grande juxta nomen magnórum qui sunt in terrâ: & réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. Firmans. Glória Patri. Firmãs.

℟. ij. Exaudísti Dómine oratiónem servi tui ut ædificárem templum Nómini tuo: * Bénedic & sanctífica domum istam in sempitérnum Deus Israël.

℣. Stetit autem Sálomon ante Altáre Dómini & expándit manus suas in Cœlum & ait. Bénedic.

℟. viij. Audi Dómine hymnum & oratiónem quam servus tuus orat coram te hódie ut sint oculi tui apérti, & aures tuæ inténtæ: * Super domum istam die ac nocte. ℣. Qui regis Israël inténde qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim appáre. Super.

℟. ix. Dómine si convérsus fúerit pópulus tuus & oráverit ad sanctuárium tuum: tu exáudies de cœlo Dómine: * Et líbera eos de mánibus inimicórum eórum. ℣. Et dimítte peccáta servórum tuórum & pópuli tui Israël. Et líbera.

Te Deum laudámus.

Post Vesperas, ad primam Processionem.

℟. j. Factum est. 272.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscii de tuâ virtúte confídimus: sub tuâ semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundã Processionem.

Antiph. O crux benedicta quæ sola fuísti digna portáre Regem cœlórum & Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

RESpice quæsumus Dómine super hanc famíliam tuam ; pro quâ Dñs noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium : & Crucis subire torméntum. Qui tecum vivit.

FERIA SECUNDA.

De Libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 2.

ET nuntiátum est David : quòd viri Jabes Galaad sepelíssent Saül. Misit ergo David núntios ad viros Jabes Gálaad : dixítque ad eos. Benedícti vos Dómino ; qui fecístis misericórdiam hanc cum Dómino vestro Saül : & sepelístis eum. Et nunc retríbuet vobis quidem Dóminus misericórdiam & veritátem ; sed & ego reddam grátiam : eó quòd fecístis verbum istud. Confortentur manus vestræ, & estóte filij fortitúdinis ; licet enim mórtuus sit Dóminus vester Saül : tamen me unxit domus Juda in regem sibi.

℟. Factum est dum tólleret Dñs Eliam per túrbinem in cœlum : * Elizæus clamábat dicens: Pater mi, pater mi currus Israël & auríga ejus. ℣. Cùmque pérgerent & incedéntes sermocinaréntur ecce currus ígneus & equi ígnei divisérunt utrúmque. Elizæus.

Lectio ij.

DIxitque Abner ad Joab : surgant púeri, & ludant coram nobis. Et respóndit Joab : Surgant. Surrexérunt ergo & transiérunt número duódecim, de Bénjamin ex parte Isboseth filij Saül : & duódecim de púeris David. Apprehensóque unusquísque cápite cómparis sui ; defíxit gládium in latus contrárij ; & cecidérunt simul : vocatúmque est nomen loci illíus, Ager robustórum in Gábaon. Et ortum est bellum durum satis in die illa : fugatúsque est Abner & viri Israël à púeris David. Erant autem ibi tres filij Sárviæ, Joab, & Abísaï, & Asaël : porrò Asaël cursor velocíssimus fuit ; quasi unus de cápreis : quæ morántur in sylvis.

℟. Dóminus qui erípuit. 268.

Lectio iij. Cap. III.

FActa est ergo longa concertátio inter domum Saül: & inter domum David. David profícíscens; & semper seípso robústior: domus autem Saül decréscens quotídiè. Natíque sunt filij David in Hebron: fuitque primogénitus ejus Amnon de Achínoam Jezraëlítide. Et post eum Chéleab de abigaïl uxore Nabal Carméli. Porrò tértius Absalom filius Máacha filiæ Thólmai regis Gessur. Quartus autem Adónias filius Haggith: & quintus Sapphátia filius Abital.

℟. Percússit Saül. 269.

FERIA TERTIA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 3.

MIsit ergo Abner núntios ad David pro se dicéntes. Cujus est terra? Et ut loqueréntur; fac mecum amicítias, & erit manus mea tecum: & redúcam ad te univérsum Israël. Qui ait: Optimè. Ego fáciam tecum amicítias: sed unam rem peto à te, dicens. Non vidébis fáciem meam; ántequam addúxeris Michol filiam Saul: & sic vénies & vidébis me. Misit autem David núntios ad Isboseth filiū Saul: dicens. Redde uxórem meam Michol: quam despóndi mihi centum præpútiis Philísthiim. Misit ergo Isboseth: & tulit eam à viro suo Pháltiël filio Laïs. Sequebatúrque eam vir suus plorans: usque Bahúrim.

℟. Montes Gélboë. 270.

Lectio ij.

DIxit autem David ad Joab & ad omnem pópulum qui erat cum eo; scíndite vestiménta vestra, & accingímini saccis; & plángite ante exéquias Abner: porrò rex David sequebátur féretrum. Cùmque sepelíssent Abner in Hebron, levávit rex David vocem suam; & flevit super túmulum Abner: flevit autem & omnis pópulus. Plangénsque rex & lugens Abner: ait. Nequáquam ut mori solent ignávi: mórtuus est Abner. Manus tuæ ligátæ non sunt, & pedes tui non sunt compédibus aggraváti: sed sicut solent cádere coram fíliis iniquitátis, sic corruísti. Congeminánsque omnis

pópulus flevit super eum.
℟. Deus omnium exauditor. 270.

Lectio iij. Cap. 4.

VEniéntes igitur filij Remmon Berothítæ; Rechab, & Báana, ingréssi sunt fervénte die domum Isboseth: qui dormiébat super stratum suum merídiè. Et ostiária domûs purgans tríticum: obdormívit. Ingréssi sunt autem domum laténter assuméntes spicas trítici; & percussérunt eum in ínguine Rechab & Báana frater ejus: & fugérunt. Cùm autem ingréssi fuíssent domum, ille dormiebat super lectũ suum in conclávi, & percutiéntes interfecérũt eum; sublatóque cápite ejus, abiérunt per viam desérti tota nocte; & attulérunt caput Isboseth ad David in Hebron: dixerúntque ad Regem. Ecce caput Isboseth filij Saül inimíci tui; qui quærébat ánimam tuam: & dedit Dóminus Dómino meo regi ultiónem hódie de Saül & de sémine ejus.

℟. Ego te tuli. 271.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 4.

REspondens David Rechab, & Báana fratri ejus, filiis Remmon Berothítæ, dixit ad eos. Vivit Dóminus qui éruit ánimam meam de omni angústiá; quóniam eum, qui annuntiáverat mihi, & díxerat; Mórtuus est Saül: qui putábat se próspera nuntiáre; ténui, & occídi eum in síceleg: cui oportébat mercédem dare pro núntio. Quantò magis nunc, cùm homines ímpij interfecérunt virum innóxium, in domo sua, super lectum suum; non quæram sánguinem ejus de manu vestrâ; & áuferam vos de terra? Præcépit itaque David púeris suis, & interfecerunt eos; præcidentésque manus & pedes eórum: suspendérunt eos super piscinam in Hebron.

℟. Exaudísti Dómine. 271.

Lectio ij. Cap. 5.

ET venérunt univérsæ tribus Israël ad David in Hebron dicéntes: Ecce nos os tuum & caro tua sumus. Sed & heri & nudiustértius cùm esset Saül rex super nos, tu eras edúcens

&

& redúcens Iſraël ? Dixit autem Dóminus ad te. Tu paſces pópulum meum Iſraël ? & tu eris dux ſuper Iſraël. Venérunt quoque & ſenióres Iſraël ad regem in Hebron, & percúſſit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Dómino ? unxerúntque David in regem ſuper Iſraël.

℟. Audi Dómine. 271.

Lectio iij. Cap. 6.

CONgregávit autem rurſum David omnes eléctos ex Iſraël trigínta míllia. Surrexítque David, & ábiit; & univérſus pópulus qui erat cum eo de viris Juda, ut addúcerent arcam Dei ſuper quam invocátum eſt nomen Dómini exercítuum ? ſedéntis in Chérubim ſuper eam. Et impoſuérunt arcam Dei ſuper plauſtrum novum; tulerúntque eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa ? Oza autem & Ahio filij Abínadab minábant plauſtrum novum. Cùmque tuliſſent eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa ? cuſtódiens arcam Dei Ahio præcedébat arcam.

℟. Dómine ſi convérſus. 271.

FERIA QUINTA.

De libro ſecúndo Regum.

Lectio j. Cap. 6.

DAvid autem & omnis Iſraël ludébant coram Dómino; in ómnibus lignis fabrefáctis ? & cytharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis. Poſtquam autem venérunt ad áream Nachon, exténdit Oza manum ad arcam Dei, & ténuit eam; quóniam calcitrábant boves ? & declinavérunt eam. Iratúſque eſt indignatióne Dóminus contra Ozam, & & percúſſit eum ſuper temeritáte ? qui mórtuus eſt ibi juxta arcam Dei. Contriſtátus eſt autem David, eò quòd percuſsiſſet Dóminus Ozam; & vocátum eſt nomen loci illíus, Percúſſio Ozæ ? uſque in diem hanc. Et extímuit David Dóminum in die illa ? dicens: Quómodo ingrediétur ad me arca Dómini ?

℟. Præparáte corda. 279.

Lectio ij.

DAvid ſaltábat totis víribus ante Dóminũ. Porrò David erat accínctus ephod líneo. Et David & omnis domus Iſraël ducébãt arcã teſtaménti Dó-

mini : in júbilo, & in clangóre búccinæ. Cùmque intrásset arca Dómini in civitátem David : Michol filia Saül prospiciens per fenéstram, vidit Regem David subsilientem ; atque saltántem coram Dómino : & despéxit eum in corde suo. Et introduxérunt arcam Dómini ; & imposuérunt eam in loco suo in médio tabernáculi quod teténderat ei David : & óbtulit David holocáusta & pacífica coram Dómino.

℟. Dóminus qui erípuit. 279.

Lectio iij.

ET egréssa Michol filia Saül in occúrsum David : ait. Quàm gloriósus fuit hódiè rex Israël : discoóperiens se ante ancíllas servórum suórum, & nudátus est quasi si nudétur unus de scurris ! Dixítque David ad Michol : Ante Dóminum qui elégit me pótiùs quàm patrem tuũ ; & quàm omnem domum ejus, & præcépit mihi ut essem dux super pópulum Dómini in Israël : Et ludã ; & vílior fiam plusquàm factus sum : & ero húmilis in óculis meis ; & cum ancillis de quibus locúta es gloriósior apparébo. Igitur Michol filiæ Saül non est natus filius usque in diem mortis suæ.

℟. Percússit Saül. 280.

FERIA SEXTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 7.

FActum est autem cùm sedísset rex in domo sua ; & Dóminus dedísset ei réquiem úndique ab univérsis inimícis suis : Dixit ad Nathan prophétam. Vidésne quòd ego hábitem in domo cédrina ; & arca Dei pósita sit in médio péllium ? Dixítque Nathan ad regem ; Omne quod est in corde tuo, vade, fac : quia Dóminus tecum est. Factum est autem in illa nocte ; & ecce sermo Dómini ad Nathan : dicens. Vade ; & lóquere ad servum meum David : hæc dicit Dóminus. Numquid tu ædificábis mihi domum ad habitándum ?

℟. Montes Gélboë. 280.

Lectio ii.

HÆc dices servo meo David : Hæc dicit Dóminus exercituum. Ego tuli te de páscuis sequentem.

tem greges; ut esses dux super pópulum meum Israël: Et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti, & interféci univérsos inimícos tuos à fácie tuâ; fecíque tibi nomen grande: juxta nomen magnorum qui sunt in terrâ. Et ponam locum pópulo meo Israël: & plantábo eum, & habitábit sub eo; & non turbábitur ámplius nec addent filij iniquitátis: ut afflígant eum sicut priùs.

℟. Deus ómnium. 281.

Lectio iij.

CUmque compléti fúerint dies tui, & dormíeris cum pátribus tuis; suscitábo semen tuum post te: quod egrediétur de útero tuo, & firmábo regnum ejus. Ipse ædificábit domum nómini meo: & stabíliam thronū regni ejus usque in sempitérnum. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium; qui si iníquè áliquid gésserit, árguam eum in virgâ virórum: & in plagis filiórum hóminum. Misericórdiam autem meam non áuferam ab eo; sicut ábstuli à Saül: quem amóvi à fácie meâ. Et fidélis erit domus tua; & regnum tuum usque in ætérnum ante fáciem tuam: & thronus tuus erit firmus júgiter.

℟. Ego te tuli. 281.

SABBATO.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 9.

ET dixit David: Putásne est áliquis qui remánserit de domo Saül, ut fáciam cum eo misericórdiam propter Jónathan? Erat autem de domo Saül servus nómine Siba: quem cùm vocásset rex ad se, dixit ei. Tune es Siba? Et ille respóndit: Ego sum servus tuus. Et ait rex: Numquid súperest áliquis de domo Saül; ut fáciam cum eo misericórdiam Dei? Dixítque Siba regi: súperest filius Jónathæ débilis pédibus. Ubi, inquit, est? Et Siba ad regem. Ecce, ait: in domo est Machir filij Ammiël in Lódabar. Misit ergo rex David: & tulit eum de domo Machir filij Ammiël de Lódabar.

Lectio ij.

CUm autem venísset Miphiboseth filius Jónathæ filij Saül ad David: córruit

córruit in fáciem suam, & adorávit. Dixítque David. Miphíboseth? Qui respóndit: Adsum servus tuus. Et ait ei David: Ne tímeas; quia fáciens fáciam in te misericórdiam propter Jónathan patrem tuum, & restítuam tibi omnes agros Saül patris tui: & tu cómedes panem in ménsâ meâ semper. Qui adórans eum: dixit. Quis ego sum servus tuus; quóniam respexísti super canem mórtuum símilem mei?

Lectio iij.

VOcávit ítaque rex Sibam púerum Saül: & dixit ei. Omnia quæcúmque fuérunt Saül, & univérsam domum ejus: dedi fílio Dómini tui. Operáre ígitur ei terram tu & filij tui; & servi tui, & ínferes fílio Dómini tui cibos ut alátur: Miphíboseth autem fílius Dómini tui cómedet semper panem super mensam meam. Erant autem Sibæ quíndecim filij: & vigínti servi. Dixítque Siba ad regem: sicut jussísti Dómine mi rex servo tuo; sic fáciet servus tuus; & Miphíboseth cómedet super mensam meã: quasi unus de filiis regis.

Ad Magnificat, Aña. Dixit David ad Dóminum cùm vidísset Angelum cædéntem pópulum; Ego sum qui peccávi; ego iníquè egi, isti qui oves sunt, Quid fecérunt?

Ad primam Processionem. ℟. j. Præparáte corda. *ut infrà.* 279.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tuâ semper pietáte gaudeámus. Per Dominum.

Ad secundã Processionem. ℟. ij. Dóminus qui erípuit. 279.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas Dómine semper à nobis iniquitátes repélle: ut ad viam salútis ætérnæ secúra mente currámus. Per Dóminum.

DOMINICA VI.

Post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 11.

FActum est autem, verténte anno, eo témpore quo solent reges ad bella procédere; misit David Joab: & servos suos cum eo;

eo; & univérsum Israël, & vastavérũt filios Ammon, & obsedérunt Rabba: David autem remánsit in Jerúsalem. Dum hæc ageréntur: áccidit ut súrgeret David de strato suo post merídiem, & deambulá ret in solário domûs régiæ, vidítque mulíerem se lavántem; ex advérso super solárium suum: erat autem múlier pulchra valde. Misit ergo rex: & requisívit quæ esset múlier. Nuntiatúmque est ei; quòd ipsa esset Bethsábee filia Eliam: uxor Uriæ Hethæi.

℟. Præparáte corda vestra Dómino: * Et servíte illi soli & liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Auférte deos aliénos de medio vestri. Et servíte.

Lectio ij.

Missis ítaque David nuntiis: tulit eam Quæ cùm ingréssa esset ad illum dormívit cum illa; statímque sanctificáta est ab immundítia sua: & revérsa est in domum suam concépto fœtu. Mitténsque nuntiávit David, & ait: Concépi. Misit autem David ad Joab dicens: Mitte ad me Uriam Hethæum. Misítque Joab Uriam ad David. Et venit Urias ad David. Quæsívitque David quàm rectè ágeret Joab, & pópulus: & quómodo administrarétur bellum. Et dixit David ad Uriam: Vade in domum tuam & lava pedes tuos.

℟. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me: * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Qui docet manus meas ad præliũ & dígitos meos ad bellum. Ipse me erípiet.

Lectio iij.

Et egréssus est Urias de domo regis: secutúsque est eum cibus régius. Dormívit autem Urias ante portam domûs régiæ cum áliis servis Dómini sui: & non descéndit ad domum suam. Nuntiatúmque est David à dicéntibus: Non ivit Urias in domum suam. Et ait David ad Uriam: Numquid non de viá venísti? Quare non descendísti in domum tuam? Et ait Urias ad David: Arca Dei & Israël & Juda hábitant in papiliónibus; & Dóminus meus Joab,

Joab, & servi Dómini mei super faciem terræ mánēt; & ego ingrédiar domum meam, ut cómedam & bibam & dórmiam cum uxóre meâ? per salútem tuam; & per salútem ánimæ tuæ' non fáciam rem hanc.

℟. Percússit Saül mille & David decem millia quia manus Dómini erat cum illo: * Percússit Philisthæū & ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Invocávit Dóminam omnipoténtem & dedit in déxtera ejus tóllere hóminem fortem in bello & exaltáre cornu gentis suæ. Percússit. Glória Patri Percússit.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Homil. 5. ad Monachos.

Lectio iv.

NOn putémus tam fácile remítti posse inústa semel crímina? & profúndo vúlnere in ánimæ ipsíus impréssa viscéribus. Multo opus est fletu; multo gémitu; multo dolóre cordis? ad sanándos ipsíus cordis dolóres. Tota incumbéndum est spíritûs contritióne; ut vetústa mala, tamquam sagittæ quædam? de consciéntia debellénur. Non súfficit summis lábiis dícere. Peccávi; parce? remítte. Et Saül dicébat? Peccávi. Sed non obtínuit illam véniā? quam David una pœniténtiæ voce proméruit. Et hoc quare? quia confessiónem illam nuda magis verba? quàm veri gémitus exprimébant. Quia non compensábat magnitúdinem críminis? læta humiliátio supplicántis. Non levi agēdum est contritióne; ut débita illa redimántur? quibus mors ætérna debétur; nec transitória opus est satisfactióne pro malis illis? propter quæ parátus est ignis ætérnus.

℟. Montes Gélboë nec ros nec plúvia véniant super vos: * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Neque ibi sint agri primitiárum quia ibi abjéctus est clypeus fórtium. Ubi cecidérunt.

Lectio v.

NEmo ergo de prætéritis secúrus sit. Tanti láquei objécti sunt ante pedes ánimæ nostræ; tam innúmeri hostes obsérvant & custódiunt iter nostrum; tantæ fóveæ & tanta prærúpta?

rúpta? tantæ rerum difficultátes intérjacent inter nos & finem nostrum. Via ipsa quæ per se arcta atque árdua est; tantis spiritálium latrónum insídiis obsidétur; tantos nos scópulos, tantósque fluctus transire necésse est? & vidére ántequam ánchoram optáto in líttore collocémus. Putámus nos de prætéritis debére esse secúros; & sine quotidiánâ cura, sine quotidiáno timóre & tremóre diem nostrum transígere debére?

℟. Deus ómnium exaudítor est: * Ipse misit Angelum suum & tulit me de óvibus patris mei, & unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me. Ipse misit.

Lectio vj.

QUis tránsiens super alicújus profúnda flúminis per arctíssimi pontis angústias; etiámsi majórem partem inoffénso transmíserit pede, jam perículum evasísse se credat? cum in último pontis spátio si páululùm titubáverit casum quem in médio spátio timébat incúrrit? sic nos, etiámsi magna pars vitæ istíus prósperè videátur fuisse transácta; non ideò fidúciam præsumámus? cùm adhuc perículum pars extréma minétur. Quis in ácie pósitus ante finem certáminis, aut ante victóriæ securitátem arma depónat? nemo ergo secúrum debére esse se júdicet? ántequam ad finem felíci consummatióne pervéniat. Nec hoc nobis sufficere putémus ad plenam salútem; quod inter servos Dei vel habitatióne censémur? vel nómine computámur.

℣. Ego te tuli de domo patris tui, dixit Dóminus & pósui te páscere gregem pópuli mei; & fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti; * Firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande juxta nomen magnórum qui sunt in terrâ & réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. Firmans. Glória Patri. Firmans.

℟. vij. Exaudísti Dómine oratiónem servi tui ut ædificárem templum nómini tuo:

tuo: * Bénedic & sanctífica domum istam in sempitérnum Deus Israël.

℣. Stetit autem Sálomon ante altáre Dómini & expándit manus suas in cœlum & ait. Bénedic.

℟. viij. Audi Dómine hymnum & oratiónem quam servus tuus orat coram te hódie: ut sint óculi tui apérti & aures tuæ inténtæ: * Super domum istam die ac nocte. ℣. Qui regis Israël inténde qui dedúcis velut ovem Joseph qui sedes super Chérubim appáre. Super domum.

℟. ix. Dómine si convérsus súerit pópulus tuus & oráverit ad sanctuárium tuum tu exáudies de cœlo Dómine: * Et líbera eos de mánibus inimicórum eórum. ℣. Et dimítte peccáta servórum tuórum & pópuli tui Israël. Et líbera.

Te Deum laudámus.

Post Vesperas ad primam Processionem.

℟. j. Factum est. 283.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tuâ virtúte confídimus; sub tuâ semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

Ad secundam Processionem.

Aña. O Crux benedícta quæ sola fuísti digna portáre Regem Cœlórum & Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

RÉspice quæsumus Dómine super hanc famíliam tuam; pro quâ Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium; & Crucis subíre torméntum. Qui tecum vivit, &c.

FERIA SECUNDA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 11.

AIt ergò David ad Uriam; Mane hic étiam hódie; & cras dimíttam te. Mansit Urias in Jerúsalem in die illâ & áltera; & vocávit eum David ut coméderet coram se & bíberet, & inebriávit eum; qui egréssus véspere dormívit in strato suo cum servis Dómini sui; & in domum suam non descéndit. Factum est ergo manè, & scripsit David epístolam ad Joab; misítque per manum Uriæ, scribens in epístola; Pónite Uriam ex

adverso

advérso belli, ubi fortíssimum est prælium: & derelínquite eum, ut percússus intéreat. Igitur cùm Joab obsidéret urbem, pósuit Uriam in loco ubi sciébat viros esse fortíssimos.

℟. Factum est dùm tólleret Dñs Eliam pertúrbinem in cœlum: * Elizæus clamábat dicens: Pater mi, pater mi, currus Israël & auríga ejus. ℣. Cùmque pérgerent & incedéntes sermocinaréntur ecce currus ígneus & equi ígnei divisérunt utrúmque. Elizæus.

Lectio ij.

QUis percússit Abímelech filium Jeróbaal: nonne múlier misit super eum fragmen molæ de muro; & interfécit eum in Thebes: quare juxta murum accessístis? dices: Etiam servus tuus Urias Hethæus occúbuit. Abiit ergo núntius, & venit; & narrávit David ómnia: quæ ei præcéperat Joab. Et dixit núntius ad David: Prævaluérunt advérsùm nos viri; & egréssi sunt ad nos in agrum: nos autem facto ímpetu persecúti eos sumus usque ad portam civitátis, & direxérunt jácula sagittárij ad servos tuos ex muro désuper; mortuíque sunt de servis regis: quinétiam servus tuus Urias Hethæus mórtuus est.

℟. Dñs qui erípuit 279.

Lectio iij.

ET dixit David ad núntium; Hæc dices Joab: non te frangat ista res, várius enim evéntus est belli; nunc hunc & nunc illum consúmit gladius; confórta bellatóres tuos advérsùs urbem ut déstruas eam, & exhortáre eos. Audivit autem uxor Uriæ; quòd mórtuus esset Urias vir suus: & planxit eũ. Transácto autem luctu, misit David, & introdúxit eam in domum suam; & facta est ei uxor, peperítque ei filium: & displícuit verbum hoc, quod fécerat David coram Dómino.

℟. Percússit Saül. 280.

FERIA TERTIA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 12.

MIsit ergo Dñs Nathan ad David: qui cùm venisset ad eum, dixit ei. Duo viri erant in civitáte unâ; unus dives: & alter pauper. Dives habébat

bat oves: & boves plúrimos valdè. Pauper autem nihil habébat omnínò præter ovem unam párvulam; quam émerat & nutríerat: & quæ créverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illíus cómedens & de cálice ejus bibens: & in sinu illíus dórmiens, erátque illi sicut filia.

℟. Montes Gélboë. 280.

Lectio ij.

CUm autem peregrínus quidam veníſſet ad dívitem: parcens ille súmere de óvibus & de bobus suis; ut exhibéret convívium peregríno illi qui vénerat ad se: tulit ovem viri páuperis & præparávit cibos hómini qui vénerat ad se. Irátus autem indignatióne David advérsùs hóminem illum nimis; dixit ad Nathan: Vivit Dóminus quóniam filius mortis est vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quádruplum; eò quòd fécerit verbum istud: & non pepércerit.

℟. Deus ómnium exauditor. 281.

Lectio iij.

ET dixit David ad Nathan: Peccávi Dómino. Dixítque Nathan ad David: Dóminus quoque tránstulit peccátum tuum, non moriéris. Verúmtamen quóniam blasphemáre fecísti inimícos Dómini; propter verbum hoc: filius, qui natus est tibi, morte moriétur. Et revérsus est Nathan in domum suam. Percússit quoque Dóminus párvulum; quem pepérerat uxor Uriæ David: & desperátus est. Deprecatúsque est David Dóminum pro párvulo; & jejunávit David jejúnio, & ingréssus seórsum: jácuit super terram.

℟. Ego te tuli. 281.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 12.

VEnérunt autem senióres domûs ejus; cogéntes eum ut súrgeret de terrâ: qui nóluit, nec comédit cum eis cibum. Accidit autem die séptimâ ut moreretúr infans; timuerúntque servi David nuntiáre ei: quòd mórtuus esset párvulus. Dixérunt enim. Ecce, cùm párvulus adhuc víveret loquebámur ad eum; & non audiébat vocem nostram: quantò magis

magis si dixérimus; Mórtuus est puer, se afflíget?
℟. Exaudísti Dómine. 281.

Lectio ij.

CUm ergo David vidísset servos suos mussitántes; intelléxit quòd mórtuus esset infántulus: dixítque ad servos suos. Num mórtuus est puer? qui respondérunt ei: Mórtuus est. Surréxit ergo David de terrâ: & lotus unctúsque est. Cùmque mutásset vestem ingréssus est domum Dómini; & adorávit, & venit in domum suam: petivítque ut pónerent ei panem, & comédit. Dixérunt autem ei servi sui. Quis est sermo quem fecísti? propter infántem, cùm adhuc víveret jejunásti & flebas; mórtuo autem púero, surrexísti: & comedísti panem.

℟. Audi Dómine. 282.

Lectio iij.

QUi ait, Propter infántem cùm adhuc víveret; jejunávi & flevi: dicébam enim. Quis scit si forté donet eum mihi Dóminus; & vivat infans? nunc autem quia mórtuus est, quare jejúnem? numquid pótero revocáre eum ámpliùs? ego vadam magis ad eum: ille verò non revertétur ad me. Et consolátus est David Bethsábee uxórem suam; ingressúsque ad eam dormívit cum ea, quæ génuit filium & vocávit nomen ejus Sálomon: & Dóminus diléxit eum. Misítque in manu Nathan Prophétæ; & vocávit nomen ejus, amábilis Dómino: eò quòd dilígeret eum Dóminus.

℟. Dñe si convérsus. 282.

FERIA QUINTA.

De libro secúndo Regum,

Lectio j. Cap. 15.

POst hæc fecit sibi Absalom currus & équites: & quinquagínta viros qui præcéderent eum. Et manè consúrgens Absalom, stabat juxta intróitum portæ; & omnem virum, qui habébat negótium ut veníret ad regis judícium: vocabat Absalom ad se, & dicébat. De quâ civitáte es tu? qui respóndens aiebat: Ex unâ tribu Israël ego sum servus tuus. Respondebátque ei Absalom: Videntur mihi sermónes tui boni & justi. Sed non est qui te áudiat constitútus à rege. Dicebátque Absalom:

lom: quis me constítuat júdicem super terram, ut ad me véniant omnes qui habent negótium; & justè júdicem?

℟. Præparáte. 279.

Lectio ij.

DIxitque ei rex David: Vade in pace. Et surréxit, & ábiit in Hebron. Misit autem Absalom exploratóres in univérsas tribus Israël: dicens. Statim ut audiéritis clangórem búccinæ, dicite; Regnávit Absalom in Hebron. Porrò cum Absalom iérunt ducénti viri de Jerúsalem vocáti; eúntes símplici corde: & causam pénitùs ignorãtes. Accersívit quoque Absalom Achítophel Gilónitem consiliáriũ David: de civitáte sua Gilo. Cùmque immoláret víctimas; facta est conjurátio válida: populúsque concúrrens augebátur cum Absalom. Venit ígitur núntius ad David, dicens: Toto corde univérsus Israël séquitur Absalom.

℟. Dóminus qui erípuit. 279.

Lectio iij.

ET ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerúsalem, Súrgite, fugiámus; neque enim erit nobis effúgium à facie Absalom: festináte egredi; ne fortè véniens óccupet nos & impéllat super nos ruínam: & percútiat civitátem in ore gládij. Dixerúntque servi regis ad eũ; Omnia quæcúmque præcéperit Dóminus noster rex: libénter exequémur servi tui. Egréssus est ergo Rex, & univérsa domus ejus, pédibus suis: & derelíquit rex decem mulíeres concubínas ad custodiéndam domum.

℟. Percússit Saül. 280.

FERIA SEXTA.

De Libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 15.

ET ait David Ethai: Veni & transi. Et tránsívit Ethai Gethæus; & omnes viri qui cum eo erant: & réliqua multitúdo. Omnésque flebant voce magna, & univérsus pópulus transíbat; rex quoque transgrediebátur Torréntẽ Cedron: & cunctus pópulus incedébat contra viam, quæ réspicit ad desértum. Venit autem & Sadoc Sacérdos & univérsi Levítæ cum eo: portántes arcam fœderis

fœderis Dei ; & deposué-
runt arcam Dei : & ascén-
dit Abíathar, donec explé-
tus esset omnis pópulus,
qui egréssus fúerat de ci-
vitáte. Et dixit rex ad Sa-
doc : Repórta arcam Dei
in urbem ; si invénero grá-
tiam in óculis Dómini, re-
dúcet me : & osténdet mi-
hi eam, & tabernáculum
suum.

℟. Montes Gélboë 280.

Lectio ij.

SI autem díxerit mihi ; Non places : præstò sum, fáciat quod bonum est coram se. Et dixit rex ad Sadoc Sacerdótem. O videns revértere in civitátem in pace ; & Achímaas filius tuus, & Jónathas filius Abíathar duo filij vestri : sint vobíscum. Ecce ego abscóndar in campéstribus desérti : donec véniat sermo à vobis índicans mihi. Reportavérunt ergo Sadoc & Abíathar arcam Dei in Jerúsalem : & mansérunt ibi. Porrò David ascendébat Clivum olivárū ; scándens & flens, nudis pédibus incédens, & opérto cápite : sed & omnis pópulus, qui erat cum eo opérto cápite, ascendébat plorans.

℟. Deus ómnium. 281.

Lectio iij.

NUntiátum est autem David, quòd & Achítophel esset in conjuratióne cum Absalom ; dixítque David : Infátua, quæso, Dómine consílium Achítophel. Cùmque ascénderet David summitátem montis, in quo adoratúrus erat Dóminum : ecce occúrrit ei Chúsai Aráchites, scissa veste : & terrâ pleno cápite. Et dixit ei David : si véneris mecum, eris mihi óneri. Si autem in civitátem revertáris ; & díxeris Absalom, Servus tuus sum, rex, sicut fui servus patris tui ; sic ero servus tuus : dissipábis consílium Achítophel.

℟. Ego te tuli. 281.

SABBATO.

De Libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 16.

VEnit ergo rex David usque ad Bahúrim ; & ecce egrediebátur inde vir de cognatióne domus Saül, nómine Séměi, filius Gera : procedebátque egrédiens, & maledicébat. Mittebátque lápides contra David, & contra univérsos servos regis David : omnis autem

autem pópulus, & univérsi bellatóres, à dextro & à sinístro látere regis incedébant. Ita autem loquebátur Séme͏̈i cùm maledíceres regi. Egrédere; egrédere vir sánguinum: & vir Bélial.

Lectio ij.

REddidit tibi Dóminus univérsum sánguinem domûs Saül, quóniam invasísti regnum pro eo; & dedit Dóminus regnum in manu Absalom filij tui: & ecce premunt te mala tua quóniam vir sánguinum es. Dixit autem Abísai filius Sárviæ regi. Quare malédicit canis hic mórtuus Dómino meo regi? vadam: & amputábo caput ejus. Et ait rex: Quid mihi & vobis est filij Sárviæ? dimíttite eum ut maledícat: Dóminus enim præcépit ei, ut maledíceret David: & quis est qui áudeat dícere, quare sic fécerit?

Lectio iij.

ET ait rex Abísai & univérsis servis suis; Ecce filius meus qui egréssus est de útero meo quærit ánimam meam: quantò magis nunc filius Jémini? dimíttite eum: ut malédicat juxta præceptum Dómini. Si fortè respíciat Dóminus afflictiónem meam: & reddat mihi Dóminus bonum pro maledictióne hac hodiérna. Ambulábat ítaque David & sócij ejus per viã cum eo. Séme͏̈i autem per jugum montis ex látere; contra illum gradiebátur, maledícens: & mittens lápides advérsùm eum terrámque spargens. Venit ítaque Rex, & univérsus pópulus cum eo lassus: & refocilláti sunt ibi.

Ad Magnificat, Antiph. Rex autem opérto cápite incédens lugébat filium dicens: Absalom fili mi, fili mi Absalom, quis mihi det ut ego móriar pro te fili mi Absalom?

Nisi ponenda sit Antiphona pro Dominica prima Augusti quia tunc omissis Antiphonis & Lectionibus de libris Regum ponuntur de libris Salomonis, quod etiam servatur in sequentibus hebdomadis.

Ad primam Processionem. ℟. Præparáte. *ut infrà.*

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmi

infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tuâ semper pietáte gaudeámus. Per Dñm.

Ad 2. Processionem.

℟. ij. Dóminus qui erípuit. *ut infrà.*

Orémus. *Oratio.*

Cunctas, Dómine, semper à nobis iniquitátes repélle: ut ad viam salútis ætérnæ secúra mente currámus. Per Dóminum.

DOMINICA VII. *post Pentecosten.*

In primo Nocturno.

Incipit liber tértius Regū.

Lectio j. Cap. 1.

Et rex David senúerat, habebátque ætátis plúrimos dies; cùmque operirétur véstibus: non calefiébat. Dixérunt ergo ei servi sui. Quærámus Dómino nostro regi adolescéntulam vírginem; & stet coram rege, & fóveat eum, dormiátque in sinu suo: & calefáciat Dóminum nostrum regem. Quæsiérunt ígitur adolescéntulam speciósam in ómnibus fínibus Israël: & invenérunt Abisag Sunamítidem, & adduxérunt eam ad regem. Erat autem puélla pulchra nimis; dormiebátque cum rege, & ministrábat ei: rex verò non cognóvit eam.

℟. Præparáte corda vestra Dómino: * Et servíte illi soli & liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Auférte deos aliénos de médio vestri. Et servíte.

Lectio ij.

Adónias autem filius Haggith elevabátur dicens: Ego regnábo. Fecítque sibi currus & équites: & quinquagínta viros qui cúrrerēt ante eum. Nec corrípuit eum pater suus aliquándo, dicens. Quare hoc fecísti? Erat autem & ipse pulcher valdè: secúndus natus post Absalom. Et sermo ei cum Joab filio Sárviæ; & cum Abíathar Sacerdóte: qui adjuvábant patres Adóniæ. Sadoc verò Sacérdos; & Banáias filius Joíadæ, & Nathan prophéta, & Sémeï & Reï, & robur exércitûs David: non erat cum Adónia.

℟. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstię liberávit me: * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum.

℣. Qui docet manus meas ad prælīū & dígitos meos ad bellum. Ipse me.

Lectio iij.

DIxit ítaque Nathan ad Bethsábee matrem Salomónis. Num audísti; quòd regnáverit Adónias filius Haggith, & Dóminus noster David hoc ignórat? Nunc ergo veni; áccipe consílium à me: & salva ánimam tuam, filiíque tui Salomónis. Vade; & ingrédere ad regem David: & dic ei. Nonne tu Dómine mi rex jurásti mihi ancíllæ tuæ dicens; Sálomon filius tuus regnábit post me, & ipse sedébit in sólio meo? quare ergo regnat Adónias? Et adhuc ibi te loquénte cum rege; ego véniam post te: & complébo sermónes tuos.

℟. Percússit Saül mille & David decem míllia quia manus Dómini erat cum illo: * Percússit Philisthæū & ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Invocávit Dóminum omnipoténtem & dedit in déxtera ejus tóllere hóminem fortem in bello & exaltáre cornu gentis suæ. Percússit. Glória Patri. Percússit.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Hierónymi Presb. ad Nepotiánum.

De vita Clericorum & Sacerdotum.

Lectio iv.

HOspitíolum tuum, ô Sacérdos, aut raro aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puéllas & vírgines Christi aut æquáliter ignóra: aut æquáliter dílige. Ne sub eódem tecto mánsites: nec in præterita castitáte confidas. Nec sánctior David, nec Samsóne fórtior: nec Salomóne potes esse sapiéntior. Meménto semper, quòd paradísi colónū de possessióne suâ múlier ejécerit. Ægrotánti tibi quílibet sanctus frater assístat: & germána, vel mater aut probátæ quælibet apud omnes fidei. Quòd si hujuscémodi non fúerint consanguinitátis castimoniæque persónæ; multas anus nutrit Ecclésia, quæ & officium præbeant, & beneficium accípiant ministrándo: ut infírmitas quoque tua fructum hábeat eleemósynæ. Scio quosdam convaluisse córpore: & ánimo ægrotáre

tare cœpisse. Periculosè tibi ministrat cujus vultum frequenter attendis.

℟. Montes Gelboë nec ros nec plúvia véniant super vos: * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Neque sint ibi agri primitiárum quia ibi abjéctus est clypeus fórtium. Ubi.

Lectio v.

SOlus cum sola secrétò & absque árbitro vel teste nō sédeas. Si familiáriùs est áliquid loquéndum; habet nutrícem, majórem domûs, vírginem, víduam, vel maritátam; non est tam inhumána, ut nullum præter hábeat cui se áudeat crédere. Cavéto omnes suspiciónes; & quicquid probabíliter fingi potest ne fingátur, antè devíta. Crebra munúscula, & sudaríola, & fascíolas; & vestes ori applícitas, & oblátos ac degustátos cibos blandásque & dulces litérulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desidérium omnes delícias, & lepóres, & risu dignas urbanitátes; & cæteras inéptias amatórum in comédiis erubéscimus in sæculi homínibus detestámur; quantó magis in Cléricis, quorum & Sacerdótium propósito, & propósitum ornátur Sacerdótio?

℟. Deus ómnium exaudítor est: * Ipse misit Angelum suum & tulit me de óvibus patris mei & unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me. Ipse.

Lectio vj.

DIvínas Scriptúras sæpiùs lege; imo numquam de mánibus tuis sacra Léctio deponátur. Disce quòd dóceas; óbtine eum qui secúndùm doctrínam est fidélem sermónem ut possis exhortári in doctrína sana & contradicéntes revíncere. Pérmane in his quæ didicísti, & crédita sunt tibi; sciens à quo didíceris parátus semper ad satisfactiónem omni poscénti te rationem, de ea quæ in te est spe. Non confúndant ópera tua sermónem tuum; ne cùm in Ecclésia lóqueris tácitus quílibet respóndeat. Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? delicátus ma-

gíster est : qui pleno ventre de jejúniis disputat. Accusáre avarítiam & latro potest ? Sacerdóti Christi os, mens, manúsque concórdent. Esto subjéctus Pontífici tuo : & quasi ánimæ paréntem eum súscipe.

℟. Ego te tuli de domo patris tui dixit Dóminus & pósui te páscere gregem pópuli mei & fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti: * Firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomē grāde juxta nomen magnórum qui sunt in terrâ & réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. Firmans. Glória Patri. Firmans.

℟. vij. Exaudísti Dómine oratiónem servi tui ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic & sanctífica domum istam in sempitérnum Deus Israël.

℣. Stetit autem Sálomon antè altáre Dómini & expándit manus suas in cœlum & ait. Bénedic.

℟. viij. Audi Dómine hymnum & oratiónem quam servus tuus orat coram te hódiè, ut sint óculi tui apérti & aures tuæ inténtæ : * Super domum istam die ac nocte. ℣. Qui regis Israël inténde qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim appáre. Super.

℟. ix. Dómine si convérsus fúerit pópulus tuus & oráverit ad sanctuárium tuum tu exáudies de cœlo Dómine : * Et líbera eos de mánibus inimicórum eórum. ℣. Et dimítte peccáta servórum tuórum & pópuli tui Israël. Et líbera. Te Deum laudámus.

Post Vesperas ad primam Processionem.

℟. j. Factum est. *ut infrà.*

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tuâ virtúte confídimus : sub tuâ semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

Ad secundam Processionem.

Aña. O Crux benedícta quæ sola fuísti digna portáre regem cœlórum & Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

RΕspice quæsumus Dómine super hanc famíliam tuam ; pro quâ Dóminus noster Jesus Christus

Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium: & crucis subíre torméntum. Qui tecum.

FERIA SECUNDA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 1.

MActávit boves, & pínguia quæque, & aríetes plúrimos & vocávit omnes filios regis, Abíathar quoque Sacerdótem, & Joab príncipem milítiæ: Salomónem autem servum tuum non vocávit. Verúmtamen Dómine mi rex, in te óculi respíciunt totíus Israël: ut Indices eis, quis sedére débeat in sólio tuo Dómine mi rex post te. Eritque cùm dormíerit Dóminus meus rex cum pátribus suis: érimus ego & filius meus Sálomon peccatóres.

℟. Factum est dum tólleret Dóminus Eliam per túrbinem:* Elizæus clamábat, dicens: Pater mi, pater mi, currus Israël & auríga ejus. ℣. Cùmque pérgerent & incedéntes sermocinaréntur ecce currus ígneus & equi ígnei divisérunt utrúmque. Elizæus.

Lectio ij.

ADhuc illa loquénte cum rege: Nathan prophéta venit. Et nuntiavérunt regi dicéntes: Adest Nathan prophéta. Cùmque introísset in conspéctu regis, & adorásset eum pronus in terram: Dixit Nathan. Dómine mi rex, tu dixísti; Adónias regnet post me: & ipse sédeat super thronum meum quia descéndit hódie, & immolávit boves, & pínguia, & aríetes plúrimos; & vocávit univérsos filios regis, & príncipes exércitûs, Abíathar quoque Sacerdótem; illísque vescéntibus & bibéntibus coram eo, & dicéntibus: Vivat rex Adónias. Me servum tuum, & Sadoc Sacerdótem; & Banáiam filium Joíadæ, & Salomónem fámulũ tuum: non vocávit.

℟. Dñs qui erípuit. 289.

Lectio iij.

ET respóndit rex David, dicens: Vocáte ad me Bethsábee. Quæ cùm fuísset ingréssa coram rege, & stetísset ante eum: jurávit rex & ait: Vivit Dóminus qui éruit ánimam meam de omni angústia: quia si-

eut jurávi tibi per Dóminum Deum Israël dicens. Sálomon filius tuus regnábit post me, & ipse sedébit super sólium meum pro me: sic fáciam hódie. Summissóque Bethsábee in terram vultu adorávit regem, dicens. Vivat Dóminus meus David in ætérnum. Dixit quoque rex David, Vocáte mihi Sadoc Sacerdótem; & Nathan Prophétam: & Banáiam filium Joíadæ. Qui cùm ingréssi fuíssent coram rege: Dixit ad eos. Tóllite vobíscum servos Dómini vestri; & impónite Salomónem filium meum super mulam meam: & dúcite eum in Gihon. Et ungat eum ibi Sadoc Sacérdos, & Nathan prophéta; in regem super Israël: & canétis búccinâ; atque dicétis: Vivat rex Sálomon.

℟. Percússit Saül. 290.

FERIA TERTIA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 2.

APpropinquavérunt autem dies David ut morerétur: præcepítque Salomóni filio suo dicens. Ego ingrédior viam univérsæ terræ: confortáre, & esto vir. Et obsérva custódias Dómini Dei tui, ut ámbules in viis ejus; ut custódias cæremónias ejus & præcépta ejus; & judícia & testimónia sicut scriptum est in lege Móysi: ut intélligas univérsa quæ fácies & quocúmque te vertéris; ut confírmet Dóminus sermónes suos quos locútus est de me: dicens. Si custodíerint filij tui vias suas, & ambuláverint coram me in veritáte in omni corde suo; & in omni ánima sua: non auferétur tibi vir de sólio Israël.

℟. Montes Gélboë. 291.

Lectio ij.

DOrmívit ígitur David cum pátribus suis: & sepúltus est in civitáte David. Dies autem quibus regnávit David super Israël quadragínta anni sunt: in Hebron regnávit septem annis, in Jerúsalem, trigínta tribus. Sálomon autem sedit super thronum David patris sui: & firmátum est regnum ejus nimis. Et ingréssus est Adónias filius Haggith ad Bethsábee matrem Salomónis. Quæ dixit ei: Pacificúsne est ingréssus tuus? Qui respóndit:

dit: Pacíficus. Addidítque: Sermo mihi est ad te. Cui ait: Lóquere. Et ille. Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum; & me proposúerat omnis Israël sibi in regem; sed translátum est regnum, & factum est fratris mei: à Dómino enim constitútum est ei. Nunc ergo petitiónem unam precor à te: ne confúndas fáciem meam. Quæ dixit ad eum: Lóquere.

℟. Deus ómnium. 291.

Lectio ij.

ET ille ait, Precor ut dicas Salomóni regi; neque enim negáre tibi quidquam potest: ut det mihi Abisag sanamítidem uxórem. Et ait Bethsábee: Benè, ego loquar pro te regi. Venit ergo Bethsábee ad regem Salomónem; ut loquerétur ei pro Adónia: & surréxit Rex in occúrsum ejus; adoravítque eam & sedit super thronum suum; positúsque est thronus matri regis: quæ sedit ad déxteram ejus. Dixítque ei. Petitiónem unam párvulam ego déprecor à te: ne confúndas fáciem meam. Et dixit ei rex, Pete mater mea: neque enim fas est ut avértam fáciem tuam.

℟. Ego te tuli. 292.

FERIA QUARTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap 2.

QUæ ait: Detur Abisag Sunamítis Adóniæ fratri tuo uxor. Respondítque rex Sálomon: & dixit matri suæ. Quare póstulas Abisag Sunamítidem Adóniæ? póstula ei & regnum; ipse est enim frater meus major me: & habet Abíathar Sacerdótem, & Joab filium Sárviæ. Jurávit ítaque rex Sálomon per Dóminum dicens. Hæc fáciat mihi Deus, & hæc addat: quia contra ánimam suam locútus est Adónias verbum hoc. Et nunc vivit Dóminus qui firmávit me: & collocávit me super sólium David patris mei; & qui fecit mihi domum sicut locútus est: quia hódie occidétur Adónias.

℟. Exaudísti Dómine. 292.

Lectio ij.

MIsítque rex Sálomon per manum Banáiæ filij Joíadæ; qui interfécit eum: & mórtuus est. Abíathar quoque

Sacerdóti dixit Rex. Vade in Anathoth ad agrum tuum; équidem vir mortis es: sed hódie te non interfíciam; quia portásti arcam Dómini Dei coram David patre meo: & sustinuísti labórem in ómnibus, in quibus laborávit pater meus. Ejécit ergo Sálomon Abíathar, ut non esset Sacérdos Dómini; ut impleréτur sermo Dómini: quem locútus est super domum Heli in Silo. Venit autem núntius ad Joab, quòd Joab declinásset post Adóniam, & post Salomónem non declinásset; fugit ergo Joab in tabernáculum Dómini: & apprehéndit cornu altáris.

℟. Audi Dómine. 292.

Lectio iij.

NUntiatúmque est regi Salomóni: quòd fugísset Joab in tabernáculum Dómini, & esset juxta altáre; misítque Sálomon Banáiam fílium Joíadæ dicens: Vade intérfice eum. Et venit Banáias ad tabernáculum Dómini: & dixit ei. Hæc dixit rex: Egrédere. Qui ait; Non egrédiar: sed hic móriar. Renuntiávit Banáias regi sermónem dicens; Hæc locútus est Joab: & hæc respóndit mihi. Dixítque ei rex: Fac sicut locútus est, & intérfice eum; & sépeli & amovébis sánguinem innocéntem; qui effúsus est à Joab: à me, & à domo patris mei. Et reddet Dóminus sánguinem ejus super caput ejus; quia interfécit duos viros justos, meliorésque se: & occídit eos gládio, patre meo David ignoránte; Abner fílium Ner príncipem milítiæ Israël: & Amasam fílium Jether príncipem exercitûs Juda.

℟. Dñe si convérsus. 292.

FERIA QUINTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 3.

APpáruit autem Dóminus Salomóni per sómnium nocte dicens: Póstula quod vis ut dem tibi. Et ait Sálomon: Tu fecísti cum servo tuo David patre meo misericórdiam magnam; sicut ambulávit in conspéctu tuo in veritáte, & justítia, & recto corde tecum: custodísti ei misericórdiam tuam grandem; & dedísti ei fílium sedéntem super thronum ejus:

ejus ! sicut est hódie. Et nunc Dómine Deus, tu regnáre fecísti servum tuũ pro David patre meo; ego autem sum puer párvulus ! & ignórans egréssum & intróitum meum. Et servus tuus in médio est pópuli, quem elegísti; pópuli infiníti ! qui numerári & supputári non potest præ multitúdine.

℟. Præparáte corda. 300.

Lectio ij.

DAbis ergo servo tuo cor dócile ut pópulum tuum judicáre possit ! & discérnere inter bonum & malum. Quis enim póterit judicáre pópulum istum; pópulum tuum hunc multum? Plácuit ergo sermo coram Dómino ! quòd Sálomon postulásset hujuscémodi rem. Et dixit Dóminus Salomóni. Quia postulásti verbum hoc, & non petísti tibi dies multos; nec divítias, aut ánimas inimicórum tuórum; sed postulásti tibi sapiéntiam ad discernéndum judícium ! Ecce feci tibi secúndùm sermónes tuos, & dedi tibi cor sápiens & intélligens; in tantum ut nullus ante te símilis tui fúerit ! nec post te surrectúrus sit.

℟. Diis qui erípuit. 301.

Lectio iij.

SEd & hæc quæ non postulásti dedi tibi; divítias scílicet & glóriam ! ut nemo fúerit símilis tui in régibus cunctis retrò diébus. Si autem ambuláveris in viis meis, & custodíeris præcépta mea, & mandáta mea; sicut ambulávit pater tuus ! longos fáciam dies tuos. Igitur evigilávit Sálomon, & intelléxit quòd esset sómniũ; cùmque venísset Jerúsalem ! stetit coram arca fœderis Dómini; & óbtulit holocáusta, & fecit víctimas pacíficas ! & grande convívium univérsis fámulis suis.

℟. Percússit Saül. 301.

FERIA SEXTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 3.

VEnérunt duæ mulíeres meretríces ad regem; steterúntque coram eo ! Quarum una ait. Obsecro mi Dómine; ego & mulier hæc habitabámus in domo unâ ! & péperi apud eam in cubículo. Tértia autem die postquam ego

péperi ; péperit & hæc : & erámus simul nullúsque álius nobíscum in domo : excéptis nobis duábus. Mórtuus est autem filius mulíeris hujus nocte : dórmiens quippe oppréssit eum. Et consúrgens intempéstæ noctis siléntio ; tulit filium meum de látere meo ancíllæ tuæ dormiéntis : & collocávit in sinu suo ; suum autem filium, qui erat mórtuus : pósuit in sinu meo.

℟. Montes Gélboë. 302.

Lectio ij.

CUmque surrexíssem manè ut darem lac filio meo, appáruit mórtuus ; quem diligéntiùs intuens clara luce : deprehéndi non esse meū quem genúeram. Respondítque áltera múlier. Non est ita ut dicis ; sed filius tuus mórtuus est : meus autem vivit. E contrário illa dicébat, Mentíris : filius quippe meus vivit, & filius tuus mórtuus est. Atque in hunc modum contendébant coram rege. Tunc rex ait. Hæc dicit ; filius meus vivit : & filius tuus mórtuus est. Et ista respóndit. Non, sed filius tuus mórtuus est : meus autē vivit.

℟. Deus ómnium exauditor. 302.

Lectio iij.

DIxit ergo rex : Affèrte mihi gládium. Cùmque attulíssent gládium coram rege, Divídite, inquit, infántem vivum in duas partes ; & date dimídiam partem uni : & dimídiam partem álteri. Dixit autem múlier cujus filius erat vivus ad regem : commóta sunt quippe víscera ejus super filio suo ; Obsecro Dómine ; date illi infántem vivum : & nolite interfícere eum. E contrário illa dicébat. Nec mihi, nec tibi sit : sed dividátur. Respóndit rex & ait. Date huic infántem vivum ; & non occidátur : hæc est enim mater ejus. Audívit ítaque omnis Israël judícium quod judicásset rex, & timuérunt regem : vidéntes sapiéntiam Dei esse in eo ad faciéndum judícium.

℟. Ego te tuli. 305.

S A B B A T O

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 5.

MIsit autem Sálomon ad Hiram dicens. Tu scis

ſcis voluntátem David patris mei ; & quia non potúerit ædificáre domum nómini Dómini Dei ſui propter bella imminéntia per circúitum : donec daret Dóminus eos ſub veſtígio pedum ejus. Nunc autem réquiem dedit Dóminus Deus meus mihi per circúitum ; & non eſt ſatan : neque occúrſus malus. Quamóbrem cógito ædificáre templum nómini Dómini Dei mei ; ſicut locútus eſt Dóminus David patri meo : dicens. Filius tuus quem dabo pro te ſuper ſólium tuum : ipſe ædificábit domum nómini meo.

Lectio ij.

PRæcipe ígitur ut præcidant mihi ſervi tui cedros de libano ; & ſervi mei ſint cum ſervis tuis ; mercédem autem ſervórum tuórum dabo tibi quamcúmque petíeris : ſcis enim quómodo non eſt in pópulo meo vir qui nóverit ligna cædere ſicut ſidónij. Cùm ergo audiſſet Hiram verba Salomónis ; lætátus eſt valdè : & ait. Benedíctus Dóminus Deus hódie : qui dedit David filium ſapientíſſimum ſuper pópulum hunc plúrimum. Et miſit Hiram ad Salomónem : dicens. Audivi quæcúmque mandáſti mihi : ego fáciam omnem voluntátem tuam , in lignis cédrinis & abiégnis.

Lectio iij.

HIram dabat Salomóni ligna cédrina ; & ligna abiégna : juxta omnem voluntátem ejus. Sálomon autem præbebat Hiram , coros trítici vigínti míllia , in cibum dómui ejus ; & vigínti coros puríſſimi ólei : hæc tribuebat Sálomon Hiram per ſíngulos annos. Dedit quoque Dóminus ſapiéntiam Salomóni, ſicut locútus eſt ei ; & erat pax inter Hiram & Salomónem : & percuſſérunt ambo fœdus. Elegítque rex Sálomon operários de omni Iſraël : & erat indíctio trigínta míllia virórum.

Ad Magnificat , Añ. Offerébat Sálomon tribus vícibus per annos ſíngulos holocáuſta & pacíficas víctimas ſuper altare quod ædificáverat Dómino.

Ad primam Proceſſionem. ℟. j. Præparáte. 300.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confidimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

Ad secundã Processionem. ℟. ij. Dóminus vobíscum qui eripuit. 301.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas, Dómine, semper à nobis iniquitátes repélle: ut ad viam salútis ætérnæ securá mente currámus. Per Dñm.

DOMINICA VIII. *post Pentecosten.*

IN I. NOCTURNO.

De libro tértio Regum. *Lectio j.* Cap. 9.

FActum est autem cùm perfecísset Sálomon ædifícium domús Dómini, & ædifícium regis; & ómne quod optáverat & volúerat fácere, appáruit ei Dóminus secúndò: sicut appárúerat in Gábaon. Dixítque ei Dóminus ad eum. Exaudívi oratiónem tuam & deprecatiónem tuam; quam deprecátus es coram me: sanctificávi domum hanc, quam ædificásti; ut pónerem nomen meum ibi in sempitérnum: & erunt óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus. Tu quoque si ambuláveris coram me, sicut ambulávit pater tuus, in simplicitáte cordis, & in æquitáte; & féceris ómnia quæ præcépi tibi, & legítima mea & judícia mea serváveris; ponam thronum regni tui super Isráël in sempitérnum, sicut locútus sum David patri tuo, dicens: Non auferétur vir de génere tuo de sólio Isráël.

℟. Præparáte corda vestra Dómino. * Et servíte illi soli, & liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Auférte deos aliénos de medio vestri. Et servíte.

Lectio ij.

SI autem aversióne avérsi fuéritis vos & filij vestri, non sequéntes me, nec custodiéntes mandáta mea, & cæremónias meas, quas propósui vobis; sed abiéritis & colúéritis deos aliénos & adoravéritis eos: áuferam Isráël de superfície terræ quam dedi eis; & templum quod sanctificávi nómini meo, projíciam

ciam à conspéctu meo: eritque Israël in provérbiū & in fábulam cunctis pópulis. Et domus hæc erit in exémplum; omnis qui transíerit per eam stupébit, & sibilábit: & dicet. Quare fecit Dóminus sic terræ huic, & dómui huic? & respondébunt. Quia dereliquérunt Dñm Deum suum, qui edúxit patres eórum de Terra Ægypti, & secúti sunt deos aliénos; & adoravérunt eos, & coluérunt eos: idcircò indúxit Dóminus super eos omne malum hoc.

℞. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me. * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Qui docet manus meas ad prælium & dígitos meos ad bellum. Ipse me.

Lectio iij.

EXplétis autem annis vigínti postquam ædificáverat Sálomon duas domos, id est, domum Dómini, & domum regis; (Hiram rege Tyri præbénte Salomóni ligna cédrina & abiégna, & aurum juxta ómne, quod opus habúerat): tunc dedit Sálomon Hiram vigínti óppida in Terra Galilææ. Et egréssus est Hiram de Tyro; ut vidéret óppida quæ déderat ei Sálomon; & non placuérunt ei: & ait. Hæcine sunt civitátes, quas dedísti mihi frater? Et appellávit eas terram chabul: usque in diem hanc. Misit quoque Hiram ad regē Salomónē cētum vigínti talénta auri.

℞. Percússit Saül mille & David decem míllia, quia manus Dómini erat cum illo. * Percússit Philisthæū: & ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Invocávit Dóminum omnipoténtem, & dedit in déxtera ejus tóllere hóminem fortem in bello & exaltáre cornu gentis suæ Percússit. Glória Patri. Percússit.

In secundo Nocturno

Ex Concílio Generáli Lugdunénsi secúndo.

Constit. 25.

Lectio iv.

DEcet domum Dómini sanctitúdo. Decet ut cujus in pace factus est locus ejus: sit cultus cum débita veneratióne pacíficus tamquam in veri Salomónis Templo. Sit itaque ad Ecclésias

Ecclésias húmilis & devótus ingréssus; sit in eis quiéta conversátio; Deo grata, inspiciéntibus plácida; quæ considerántes non solum ínstruat, sed reficiat. Conveniéntes ibídem nomen illud quod est super omne nomen à quo áliud sub cœlo non est homínibus datum; in quo salvos fieri credéntes opórteat; nomen vidélicet Jesu Christi qui salvum fecit pópulum suum à peccátis eórum, exhibitióne reveréntiæ speciális attóllant. Et quod generáliter scríbitur ut in nómine Jesu omne genu flectátur, singuli singuláriter in se illud impléntes.

℟. Montes Gélboë nec ros nec plúvia véniant super vos: * ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Neque ibi sint agri primitiárum, quia ibi abjéctus est clypeus fórtium, Ubi.

Lectio v.

PRæcípuè dum agúntur missárum sacra mystéria gloriósum illud nomen quandocúmque recólitur; flectant génua cordis sui, quod vel cápitis inclinatióne testéntur. Attendántur in locis ipsis inténtis præcórdiis sacra solémnia; devótis ánimis, orationíbus intendátur. Nullus in locis eisdē in quibus cum pace & vota cónvenit celebrári, seditiónem éxcitet; conclamatiónem móveat, ímpetum ne committat. Cessent in illis universitátum & societátum quarúmlibet consília, conciónes, & pública parlamēta.

℟. Deus ómnium exaudítor est. * Ipse misit Angelum suum, & tulit me de óvibus Patris mei, & unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus qui erípuit me de ore leónis, & de manu béstiæ liberávit me. Ipse misit.

Lectio vj.

CEssent vana & multò fortiùs fœda & profána collóquia. Cessent confabulatiónes quælibet. Sint postrémò quæcúmque ália quæ divinū turbáre possunt officium aut óculos divínæ majestátis offēdere ab ipsis prorsus extránea. Ne ubi peccatórum est vénia postulánda, ibi peccándi detur occásio aut deprehendánt ij peccáta commítti. Cessent in Ecclésiis earúmque

que cœmetériis negotiatiónes & præcipuè nundinárum ac fori cujúsque tumúltus. Omnis in eis judiciórum sæculárium strépitus conquiéscat. Nulla ibi causa per láicos criminális máximè agitétur. Sint loca éadem laicórum cognitiónibus aliéna.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dixit Dóminus, & pósui te páscere gregem pópuli mei :* Et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum qui sunt in terra : & réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. Et fui. Glória Patri, Et fui.

℟. vij. Exaudísti Dñe oratiónẽ servi tui : ut ædificárem templum nómini tuo. * Bénedic & sanctífica domum istam in sempitérnum Deus Israël. ℣. Stetit autem Sálomon ante altáre Dómini & expándit manus suas in cœlum & ait : Bénedic.

℟. viij. Audi Dómine hymnum & oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie, ut sint óculi tui apérti & aures tuæ inténtæ : * Super domum istam in sempitérnum Deus Israël. ℣. Qui regis Israël inténde qui dedúcis velut ovẽ Joseph : qui sedes super Chérubim appáre. Super.

℟. ix. Dómine si convérsus fúerit pópulus tuus oráverit ad sanctuárium tuum, tu exáudies de cœlo Dómine : * Et líbera eos de mánibus inimicórum eórum ℣. Et dimitte peccáta servórum tuórum, & pópuli tui Israël. Et.

Te Deum laudámus.

Post Vésperas, ad primam Processionem.

℟. j. Factum est. *ut infrà.*

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus, ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus : sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundam Process. Aña. O Crux benedícta quæ sola fuísti digna portáre regem cœlórum & Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

RÉspice, quæsumus, Dómine super hanc famíliam tuam ; pro qua Dóminus noster Jesus

Christus

Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium: & crucis subíre torméntum. Qui tecum, &c.

FERIA SECUNDA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 10.

SEd & Regína Saba, audítâ famâ Salomónis in nómine Dómini: venit tentáre eum in ænigmátibus. Et ingréssa Jerúsalem multo cum comitátu, & divítiis, camélis portántibus arómata, & aurum infinítum nimis; & gemmas pretiósas, venit ad regem Salomónem: & locúta est ei univérsa quæ habébat in corde suo. Et dócuit eam Sálomon ómnia verba quæ proposúerat: non fuit sermo, qui regem posset latére, & non respondéret ei. ℟. Factum est dum tólleret Dóminus Eliam per túrbinem: * Elisæus clamábat, Pater mi, pater mi, currus Israël & auríga ejus. ℣. Cùmque pérgerent & incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus & equi ígnei divisérunt utrúmque. Elisæus.

Lectio ij.

VIdens autem Regína Saba omnem sapiéntiam Salomónis & domum quam ædificáverat, & cibos mensæ ejus, & habitácula servórum, & órdines ministrántium, vestésque eórum; & pincérnas & holocáusta, quæ offerébat in domo Dómini: non habébat ultrà spíritum. Dixítque ad Regē: Verus est sermo, quem audívi in terra mea super sermónibus tuis, & super sapiéntia tua; & non credébam narrántibus mihi, donec ipsa veni, & vidi óculis meis; & probávi quòd média pars nuntiáta non fúerit: major est sapiéntia & ópera tua, quam rumor quem audívi. ℟. Dñs qui erípuit. 301.

Lectio iij.

BEáti viri tui, & beáti servi tui; qui stant coram te semper: & áudiunt sapiéntiam tuam. Sit Dóminus Deus tuus benedíctus, cui complacuísti; & pósuit te super thronum Israël: eò quòd diléxerit Dóminus Israël in sempitérnum & constítuit te Regem, ut fáceres judícium & justítiam. Dedit ergò regi centum vigínti talénta auri & arómata multa nimis: & gemmas pretiósas.

Non

Non sunt alláta ultrà aró-mata tam multa: quàm ea quæ dedit Regína Saba Regi Salomóni. Sed & classis Hiram, quæ portábat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis: & gemmas pretiósas.

℟. Percússit Saül. 301.

FERIA TERTIA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap 11.

REx autem Sálomon adamávit mulíeres alienígenas multas; filiam quoque Pharaónis, & Moabítidas, & Ammonítidas, Idumæas, & Sidónias, & Hetthæas de géntibus: super quibus dixit Dóminus filiis Israël. Non ingrediémini ad eas; neque de illis ingrediéntur ad vestras: certíssimè enim avértent corda vestra, ut sequámini deos eárum. His ítaque copulátus est Sálomon ardentíssimo amóre. Fuerúntque ei uxóres quasi Regínæ septingéntæ; & concubínæ trecéntæ: & avertérunt mulíeres cor ejus. Cùmque jam esset senex, depravátum est cor ejus per mulíeres; ut sequerétur deos aliénos: nec erat cor ejus perféctum cum Dómino Deo suo, sicut cor David patris ejus.

℟. Montes Gélboë. 302.

Lectio. ij.

SEd colébat Sálomon Astárthen deam Sidoniórum: & Moloch idólum Ammonitárum. Fecítque Sálomon quod non placúerat coram Dómino: & non adimplévit ut sequerétur Dóminum sicut David pater ejus. Tunc ædificávit Sálomon fanum Chamos idólo Moab, in monte qui est contra Jerúsalem: & Moloch idólo filiórum Ammon. Atque in hunc módum fecit univérsis uxóribus suis alienigenis; quæ adolébant thura: & immolábant diis suis.

℟. Deus ómnium. 302.

Lectio iij.

IGitur irátus est Dóminus Salomóni; quòd avérsa esset mens ejus à Dómino Deo Israël: qui apparúerat ei secúndò; & præcéperat de verbo hoc, ne sequerétur deos aliénos: & non custodívit quæ mandávit ei Dóminus. Dixit ítaque Dóminus Salomóni. Quia habuísti hoc apud

apud te & non custodísti pactum meum, & præcépta mea quæ mandávi tibi; disrúmpens scindam regnum tuum: & dabo illud servo tuo. Verúmtamen in diébus tuis non fáciam propter David patrem tuum.

℟. Ego te tuli. 303.

FERIA QUARTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 11.

JEróboam quoque filius Nabat, Ephrathæus, de Saréda, servus Salomónis; cujus mater erat nómine Sarva, múlier vídua: levávit manum contra Regem. Et hæc est causa rebelliónis advérsùs eum; quia Sálomon ædificávit Mello: & coæquávit voráginem civitátis David patris sui. Erat autem Jeróboam vir fortis & potens, vidénsque Sálomon adolescéntem bonæ índolis, & indústrium: constitúerat eum præféctum super tribúta univérsæ domûs Joseph.

℟. Exaudísti Dómine. 303.

Lectio ij.

FActum est ígitur in témpore illo, ut Jeróboam egrederetur de Jerúsalem, & inveniret eum Ahias Silónites Prophéta in via opértus pállio novo: erant autem duo tantùm in agro. Apprehendénsque Ahias pállium suum novum; quo coopértus erat, scidit in duódecim partes. Et ait ad Jeróboam. Tolle tibi decem scissúras; hæc enim dicit Dóminus Deus Israël: Ecce ego scindam regnum de manu Salomónis & dabo tibi decem tribus.

℟. Audi Dómine. 303.

Lectio iij.

VOluit ergo Sálomon interfícere Jeróboam, qui surréxit & áufugit in Ægyptum ad Sesac Regem Ægypti: & fuit in Ægypto usque ad mortem Salomónis. Réliquum autem verbórum Salomónis, & ómnia quæ fecit, & sapiéntia ejus: ecce univérsa scripta sunt in libro verbórum diérum Salomónis. Dies autem quos regnávit Sálomon in Jerúsalem super omnem Israël: quadragínta anni sunt. Dormivítque Sálomon cum pátribus suis & sepúltus est in civitáte David patris sui: regnavítque Róboam filius ejus pro eo.

℟. Dñe

℟. Dñe si convérsus. 303.

FERIA QUINTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 12.

VEnit autem Róboam in Sichem: illic enim congregátus erat omnis Israël ad constituéndum eum Regem. At vero Jeróboam filius Nabat, cùm adhuc esset in Ægypto prófugus à fácie regis Salomónis; audíta morte ejus: revérsus est de Ægypto. Misserúntque & vocavérunt eum. Venit ergò Jeróboam, & omnis multitúdo Israël, & locúti sunt ad Róboam, dicéntes; Pater tuus duríssimum jugum impósuit nobis; tu itaque imminue páululùm de império patris tui duríssimo, & de jugo gravíssimo quod impósuit nobis: & serviémus tibi. Qui ait eis, Ite usque ad tértium diem: & revertímini ad me.

℟. Præparáte. 310.

Lectio ij.

CUmque abiísset pópulus, íniit consílium Rex Róboam cum senióribus, qui assistébant coram Salomóne patre ejus cùm adhuc víveret: & ait. Quod datis mihi consílium, ut respóndeam pópulo huic? Qui dixérunt ei. Si hódie obedíeris pópulo huic, & servíeris; & petitióni eórum césseris; locutúsque fúeris ad eos verba lénia: erunt tibi servi cunctis diébus. Qui derelíquit consílium senum, quod déderant ei; & adhíbuit adolescéntes, qui nutríti fúerant cum eo: & assistébant illi.

℟. Dñs qui erípuit. 310.

Lectio iij.

REspondítque rex pópulo dura; derelícto consílio seniórum quod ei déderant; & locútus est eis secúndùm consílium júvenum: dicens. Pater meus aggravávit jugum vestrum; ego autem addam jugo vestro: Pater meus cécidit vos flagéllis, ego autem cædam vos scorpiónibus. Et non acquiévit Rex pópulo; quóniam aversátus fúerat eum Dóminus: ut suscitáret verbum suum, quod locútus fúerat in manu Ahiæ Silónitæ, ad Jerobóam filium Nabat. Videns ítaque pópulus quòd noluísset eos audíre Rex: respóndit ei, dicens. Quæ nobis pars

pars in David, vel quæ hæréditas in filio Isaï?

℟. Percússit Saül. 311.

FERIA SEXTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 14.

DIxit Dóminus ad Ahiam, Ecce uxor Jeróboam ingréditur ut cónsulat te super filio suo, qui ægrótat: hæc & hæc loquéris ei. Cùm ergo illa intráret, & dissimuláret se esse quæ erat; audívit Ahias sónitum pedum ejus introeúntis per óstium: & ait. Ingrédere uxor Jeróboam: quare áliam te esse símulas? ego autem missus sum ad te durus núntius.

℟. Montes Gélboë nec ros. 312.

Lectio ij.

VAde, & dic Jeróboam: hæc dicit Dóminus Deus Israël. Quia exaltávi te de médio pópuli, & dedi te ducem super pópulum meum Israël: & scidi regnum domûs David & dedi illud tibi; & non fuísti sicut servus meus David, qui custodívit mandáta mea; & secútus est me in toto corde suo, fáciens quod plácitum esset in conspéctu meo: sed operátus es mala super omnes qui fuérunt ante te, & fecísti tibi Deos aliénos & conflátiles; ut me ad iracúndiam provocáres: me autem projecísti post corpus tuum.

℟. Deus ómnium exaudítor est. 312.

Lectio iij.

IDcírcò ecce ego indúcam mala super domum Jeróboam: & percútiam de Jeróboam mingéntem ad paríetem, & clausum & novíssimum in Israël: & mundábo relíquias domûs Jeróboam, sicut mundári solet fimus usque ad purum. Qui mórtui fúerint de Jeróboam in civitáte, cómedent eos canes; qui autem mórtui fúerint in agro, vorábunt eos aves cœli: quia Dóminus locútus est. Tu ígitur surge & vade in domum tuam: & in ipso intróitu pedum tuórum in urbem moriétur puer.

℟. Ego te tuli. 313.

SABBATO.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 18.

ACcédens autem Elias ad omnem pópulum, ait.

ait: Usquequò claudicátis in duas partes? Si Dóminus est Deus, sequímini eum: si autem Baal, sequímini illum. Et non respóndit ei pópulus verbum. Et ait rursus Elias ad pópulum: Ego remánsi Prophéta Dómini solus; Prophétæ autem Baal quadringenti & quinquagínta viri sunt.

Lectio ij.

DEntur nobis duo boves, & illi éligant sibi bovem unum, & in frusta cædéntes ponant super ligna; ignem autem non suppónant: & ego fáciam bovem álterum; & impónam super ligna: ignem autem non suppónam. Invocáte nómina deórum vestrórum, & ego invocábo nomen Dómini mei; & Deus qui exaudíerit per ignem: ipse sit Deus. Respóndens omnis pópulus ei: Optima propositio.

Lectio iij.

DIxit ergo Elias prophétis Baal. Elígite vobis bovem unum; & fácite primi, quia vos plures estis: & invocáte nómina deórum vestrórum, ignémque non supponátis. Qui cùm tulíssent bovem. quem déderat eis, fecérunt: & invocábant nomen Baal de manè usque ad merídiem, dicéntes: Baal exáudi nos. Et non erat vox, nec qui respondéret: transiliebántque altáre quod fécerant. Cùmque esset jam merídies; illudébat illis Elias, dicens: Clamáte voce majóre.

Ad Magnificat, Aña.

Dum tólleret Dóminus Eliam per túrbinem in cœlum, Elisæus clamábat: Pater mi, currus Israël & auríga ejus.

Ad primam Processionem.

℟. j. Præparáte. *ut infrà.*

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus, omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundam Processionem.

℟. ij. Dóminus qui erípuit. 310.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas, Dómine, semper à nobis iniquitátes repélle: ut ad viam salútis ætérnæ secúrâ mente currámus. Per Dóminum nostrum.

DOMI

DOMINICA IX.

Post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber quartus Regũ.

Lectio j. Cap. 1.

PRævaricátus est autem Moab in Israël; post quàm mórtuus est Achab. Cecidítque Ochózias per cancéllos cœnáculi sui, quod habébat in Samaría; & ægrotávit: misítque núntios, dicens ad eos. Ite consúlite Beélzebub Deũ Accaron: utrùm vívere queam de infirmitáte mea hac. Angelus autem Dómini locutus est ad Eliam Thesbíten dicens: Surge & ascénde in occúrsum nuntiórum regis Samaríæ; & dices ad eos: Numquid non est Deus in Israël, ut eátis ad consuléndum Beélzebub Deum Accaron? Quamóbrem hæc dicit Dominus; De léctulo super quem ascendísti: non descéndes, sed morte moriéris. Et ábiit Elias. Reversíque sunt núntij ad Ochóziam.

℟. Præparáte corda vestra Dómino: * Et servíte illi soli & liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Auférte Deos aliénos de médio vestri. Et servíte.

Lectio ij. Cap. 2.

VIdéntes autem filij Prophetárum; qui erant in Jéricho è contra dixérunt: Requiévit spíritus Eliæ super Elizéum. Et veniéntes in occúrsum ejus; adoravérunt eum proni in terram. Dixerúntque illi. Ecce, cum servis tuis sunt quinquagínta viri fortes, qui possunt ire & quærere Dóminum tuum; ne fortè túlerit eum Spíritus Dómini; & projécerit eum in unum móntium: aut in unam vállium. Qui ait: Nolíte míttere. Coëgerúntque eum donec acquiésceret; & díceret: Míttite. Et misérunt quinquagínta viros; qui cùm quæsissent tribus diébus: non invenérunt.

℟. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me: * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Qui docet manus meas ad prælium & dígitos meos ad bellum. Ipse me.

Lectio iij. Cap. 4.

ET Elizéus revérsus est in Gálgala. Erat autem fames

fames in terrâ: & filij Prophetárum habitábant coram eo: dixítque uni de púeris suis. Pone ollam grandem: & coque pulméntum filiis prophetárum. Et egréssus est unus in agrum ut collígeret herbas agréstes; invenítque quasi vitem silvéstrem, & collegit ex ea colocynthidas agri: & implévit pállium suum; & revérsus concidit in ollam pulménti: nesciébat enim quid esset. Infudérunt ergo sóciis ut coméderent, cùmque gustássent de coctióne, clamavérunt, dicéntes: Mors in olla vir Dei. Et nō potuérunt comédere.

℟. Percússit Saül mille & David decem míllia quia manus Dómini erat cum illo: * Percússit Philisthæū & ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Invocávit Dóminum omnipoténtem & dedit in déxtera ejus tóllere hóminem fortem in bello & exaltáre cornu gentis suæ. Percússit. Glória Patri. Percússit.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

De clamat. de vita & móribus cleric. cap. 7.

Lectio iv.

VÆ tibi Clérice. Mors in olla, inquit Prophéta; mors in ollis cárnium: mors in hujúsmodi delíciis est. Non modò, quia secùs intróitum delectatiónis pósita esse cognóscitur: sed ob id máximè quia pópuli constat esse peccáta quæ cómedis. Sumptus Ecclesiásticos gratis habére te réputas? Cantándo, ut ajunt, tibi proveníre vidéntur; sed bonum erat magis fódere: aut étiam mendicáre. Peccáta enim pópuli cómedis: ac si tibi própria minùs sufficere videréntur. Sollícitus esto tamquam redditúrus ratiónem pro eis; gémitus fúndere: dignos ágere pœniténtiæ fructus. Alióquin tibi ea nóveris imputánda quæ modo inter delícias cómedis & parvipéndis: & dissímulas tamquam nihil attinéntia tibi. O judiciórum Dei abyssus multa! ô terríbilis Deus in consíliis super filios hóminum! Frustrà tunc incípient míseri dícere móntibus; Cádite super nos: & cóllibus operíte nos. Vénient, venient ante

ante tribúnal Christi, audiétur populórum queréla gravis; accusátio dura; quorum vixére stipéndiis: nec diluérunt peccáta.

℟. Montes Gélboë nec ros nec plúvia véniant super vos: * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Neque ibi sint agri primitiárum, quia ibi abjéctus est clypeus fórtium. Ubi cecidérunt fortes Israël.

Lectio v.

SEd esto, studiósè quis & fructuósè labóret: Dignus planè est operárius mercéde suâ. Ut qui de altári servit: de altári vivat. Vivat, inquam de altári; ut juxta eúmdem Apóstolum: Aliménta & quibus tegátur habens, his conténtus sit. Tértium ei hoc perículum est. De altári, inquit, vivat; non supérbiat, non luxuriétur: dénique non ditétur, nec contra Sancti cujúsdam planè dignam omni acceptióne senténtiam: ex clericátu dítior fiat. Non sibi de bonis Ecclésiæ ampla palátia fábricet; mutans quadráta rotúndis; nec lóculos indè côngreget; nec in vanitáte aut superfluitáte dispérgat; non extóllat de facultátibus Ecclésiæ consanguíneos suos: aut nepótes. Res páuperum non paupéribus dare: par Sacrilégij crimen esse dignóscitur.

℟. Deus ómnium exaudítor est: * Ipse misit Angelum suum & tulit me de óvibus patris mei & unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me. Ipse misit.

Lectio vj.

NEc enim ordinávit Deus his qui Evangélio sérviunt; de Evangelio quærere aut habére delicias vel ornátum; sed vívere, ait Paulus, ex eo: ut vidélicet sint conténti aliménta córporis, non irritaménta gulæ; aut incentíva libídinis & quibus tegántur: non quibus ornéntur, accípere. Sanè qui non fidéliter introívit neque per Christum; quidni infidéliter agat & contra Christum? Maniféstam sine dúbio fáciet árborem fructus; radícem palmes: opus intentiónem. Fáciet ad quod venit: ut mactet

útique

útique & dispérdat. Quando útique altári sérviat qui ejúsmodi est? sérviat autem in spíritu & veritáte? Tales nimírum Pater adoratóres quærit. Alióquin ministrátio mortis est in judícium & condemnatiónem. Aut quando póterit necessáriis esse conténtus; qui eo ánimo introívit, ut stipéndia cleri in usus voluptátis, curiositátis, & vanitátis cóngreget? servet, expéndat.

℟. Ego te tuli de domo patris tui dicit Dóminus, & pósui te páscere gregem pópuli mei & fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti: * Firmans regnum tuum in ætérnum.

℣. Fecíque tibi nomen grande juxta nomen magnórum qui sunt in terrâ, & réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. Firmans. Glória Patri. Firmans.

℟. vij. Exaudísti Dómine oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo: * Bénedic & sanctífica domum istam in sempitérnum Deus Israël. ℣. Stetit autem Sálomon ante altáre Dómini & expándit manus suas in cœlum & ait. Bénedic.

℟. viij. Audi Dómine hymnum & oratiónem quam servus tuus orat coram te hódie, ut sint oculi tui apérti & aures tuæ inténtæ: * Super domum istam die ac nocte. ℣. Qui regis Israël inténde qui dedúcis velut ovem Joseph qui sedes super Chérubim appáre. Super domum.

℟. ix. Dómine si convérsus fúerit pópulus tuus & oráverit ad sanctuárium tuum, tu exáudies de cœlo Dñe: * Et líbera eos de mánibus inimicórum eórum. ℣. Et dimítte peccáta servórum tuórum & pópuli tui Israël. Et líbera.

Te Deum laudámus.

Post Vesperas ad primam Processionem.

℟. j. Factum est. 314.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus; sub tuâ semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

Ad secundã Processionem.

Añã. O Crux benedícta quæ sola fuísti digna por-

táte regem cœlórum & Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

RESpice quæsumus Dómine super hanc famíliam tuam; pro quâ Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium ? & Crucis subíre torméntum. Qui tecum, &c.

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 5.

NAaman princeps milítiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud Dóminum suum, & honorátus; per illum enim dedit Dóminus salútem Syriæ ? erat autem vir fortis & dives sed leprósus. Porrò de Syria egréssi fúerant latrúnculi; & captivam dúxerant de terra Israël puéllam párvulam ? quæ erat in obséquio uxóris Náaman. Quæ ait ad Dóminam suam; Utinam fuísset Dóminus meus ad Prophétam, qui est in Samaría ? profectò curásset eum à leprâ quam habet. Ingréssus est ítaque Náaman ad Dóminum suum; & nuntiávit ei dicens ? Sic & sic locúta est puélla de terrâ Israël.

℟. Factum est dum tólleret Dóminus Eliam per túrbinem, * Elizæus clamábat dicens: Pater mi, pater mi, currus Israël & auríga ejus. ℣. Cùmque pérgerent & incedéntes sermocinaréntur ecce currus ígneus & equi ígnei divisérunt utrúmque. Elizæus.

Lectio ij.

DIxítque ei rex Syriæ; Vade ? & mittam lítteras ad regem Israël. Qui cùm proféctus esset, & tulísset secum decem talénta argénti, & sex míllia áureos; & decem mutatória vestimentórum ? détulit lítteras ad regem Israël, in hæc verba. Cùm accéperis epístolam hanc, scito quòd míserim ad te Náaman servum meum ? ut cures eum à leprâ suâ. Cùmque legísset rex Israël lítteras; scidit vestiménta suâ ? & ait. Numquid Deus ego sum ut occídere possim, & vivificáre; quia iste misit ad me, ut curem hóminem à leprâ suâ ? animadvértite ? & vidéte quòd occasiónes quærat advérsùm me.

℟. Dóminus qui erípuit 310.

Lectio ij.

QUod cùm audísset Elizæus vir Dei; scidisse videlicet regem Israël vestiménta sua: misit ad eum dicens. Quare scidísti vestiménta tua? Véniat ad me: & sciat esse Prophétam in Israël. Venit ergo Náaman cum equis, & cúrribus; & stetit ad óstium domûs Elizæi: misítque ad eum Elizæus núntium, dicens. Vade, & laváre sépties in Jordáne; & recípiet sanitátem caro tua: atque mundáberis. Irátus Náaman recedébat: dicens. Putábã quòd egrederétur ad me, & stans invocáret nomen Dómini Dei sui: & tángeret manu suâ locum lepræ: & curáret me. Numquid non melióres sunt Abana & Pharphar flúvij Damásci; ómnibus aquis Israël: ut laver in eis & munder? Cùm ergo vertísset se & abíret indignans; accessérunt ad eum servi sui: & locúti sunt ei. Pater, & si rem grandem dixísset tibi prophéta; certè fácere debúeras quantò magis quia nunc dixit tibi; laváre & mundáberis? descéndit, & lavit in Jordáne sépties juxta sermónem viri Dei; & restitúta est caro ejus, sicut caro púeri párvuli: & mundátus est.

℟. Percússit Saül. 311.

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 6.

DIxérunt autem filij prophetárum ad Elizæum; Ecce locus, in quo habitámus coram te: angústus est nobis. Eámus usque ad Jordánem; & tollant sínguli de silvâ matérias síngulas: ut ædificémus nobis ibi locum ad habitándum. Qui dixit: Ite. Et ait unus ex illis: Veni ergo & tu cum servis tuis. Respóndit: Ego véniam. Et ábiit cum eis. Cùmque veníssent ad Jordánem: cædébant ligna. Accidit autem ut cùm unus matériam succidísset; cáderet ferrum secúris in aquam; exclamavítque ille & ait: Heu, heu, heu, Dómine mi, & hoc ipsum mútuò accéperam.

℟. Montes Gélboë. 312.

Lectio ij.

DIxit autem homo Dei. Ubi cécidit? at ille monstrávit ei locum.

Præcídit ergo lignum, & misit illuc: natavítque ferrum; & ait: Tolle. Qui exténdit manum: & tulit illud. Rex autem Syriæ pugnábat contra Israël, consiliúmque íniit cum servis suis; dicens: In loco illo, & illo ponámus insídias. Misit ítaque vir Dei ad regem Israël, dicens; Cave ne tránseas in locum illum: quia ibi Syri in insídiis sunt. Misit ítaque rex Israël ad locum quem díxerat ei vir Dei; & præoccupávit eum: & observávit se ibi non semel neque bis.

℟. Deus ómnium exaudítor. 312.

Lectio iij.

CONturbatúmque est cor regis Syriæ pro hac re: & convocátis servis suis, ait. Quare non indicátis mihi quis próditor mei sit apud regem Israël? Dixítque unus servórum ejus; Nequáquam Dómine mi rex: sed Elizæus Prophéta qui est in Israël, índicat regi Israël ómnia verba quæcúmque locútus fúeris in conclávi tuo. Dixítque eis; Ite, & vidéte ubi sit: ut mittam & cápiam eum. Annuntiavěrúntque ei dicéntes: Ecce in Dothan. Misit ergo illuc equos, & currus, & robur exércitûs; qui cùm venissent nocte: circumdedérunt civitátem.

℟. Ego te tuli. 313.

FERIA QUARTA.

Lectio j. Cap: 13.

ELisæus autem ægrotábat infirmitáte; qua & mórtuus est, descendítque ad eum Joas rex Israël: & flebat coram eo, dicebátque. Pater mi, Pater mi, currus Israël: & auríga ejus. Et ait illi Elisæus: Affer arcum & sagíttas. Cùmque attulisset ad eum arcum & sagíttas; dixit ad regem Israël: Pone manum tuam super arcum. Et cùm posuísset ille manum suam; superpósuit Elisæus manus suas mánibus regis, & ait: Aperi fenéstram Orientálem. Cùmque aperuísset; dixit Elisæus: Jace sagíttam. Et jecit. Et ait Elisæus. Sagítta salútis Dómini, & sagítta salútis contra Syriam: percutiésque Syriam in Aphec donec consúmas eam.

℟. Exaudísti Dómine. 313.

Lectio

Lectio ij.

ET ait: Tolle sagíttas. Qui cùm tulísset, rursùm dixit ei: Pércute jáculo terram. Et cùm percussísset tribus vícibus; & stetísset: irátus est vir Dei contra eum, & ait. Si percussísses quínquies, aut séxies, sive sépties; percussísses Syriam usque ad consumptiónem: nunc autem tribus vícibus percúties eam. Mórtuus est ergo Elisæus: & sepeliérunt eum. Latrúnculi autem de Moab venérunt in terram in ipso anno.

℟. Audi Dómine. 313.

Lectio iij.

QUidam autem sepeliéntes hóminem; vidérunt latrúnculos: & projecérunt cadáver in sepúlchro Elisæi. Quod cùm tetigísset ossa Elisæi; revíxit homo: & stetit super pedes suos. Mórtuus est autem Házaël Rex Syriæ: & regnávit Bénadad filius ejus pro eo. Porrò Joas filius Jóachaz tulit urbes de manu Bénadad filij Házaël: quas túlerat de manu Jóachaz patris sui jure prælij; tribus vícibus percússit eum Joas: & réddidit civitátes Israël.

℟. Dñe si convérsus. 313.

FERIA QUINTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 17.

ANno autem nono Osée, cepit rex Assyriórum Samaríam, & tránstulit Israël in Assyrios; posuítque eos in Hala & in Habor, juxta flúvium Gozan: in civitátibus Medórum. Factum est enim, cùm peccássent filij Israël Dómino Deo suo; qui edúxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaónis regis Ægypti: coluérunt Deos aliénos. Et ambulavérunt juxta ritum Géntium; quas consúmpserat Dóminus in conspéctu filiórum Israël, & regum Israël: quia símiliter fécerant. Et offendérunt filij Israël verbis non rectis Dóminum Deum suum: & ædificavérunt sibi excélsa in cunctis úrbibus suis.

℟. Præparáte. 320.

Lectio ij.

ET testificátus est Dóminus in Israël: & in Juda per manum ómnium prophetárum, & vidéntium, dicens. Revertímini à viis vestris péssimis, &

custodíte præcépta mea, & cæremónias meas; juxta omnem legem, quam præcépi pátribus vestris: & sicut misi ad vos in manu servórum meórum prophetárum. Qui non audiérunt & induravérunt cervícem suam juxta cervícem patrum suórum: qui noluérunt obedíre Dómino Deo suo. Et abjecérunt legítima ejus, & pactum quod pépigit cum pátribus eórum; & testificatiónes quibus contestátus est eos: secutíque sunt vanitátes & vanè egérunt.

℟. Dóminus qui. 321.

Lectio iij.

IRatúsque est Dóminus veheménter Israéli; & ábstulit eos à conspéctu suo: & non remánsit nisi tribus Juda tantúmmodò. Sed nec ipse Juda custodívit mandáta Dómini Dei sui; verùm ambulávit in erróribus Israël: quos operátus fúerat. Projecítque Dóminus omne semen Israël, & afflíxit eos; & trádidit eos in manu diripiéntium, donec projíceret eos à fácie sua; ex eo jam témpore quo scissus est Israël à domo David: & constituérunt sibi regem Jeróboam filium Nabat.

℟. Percússit Saül. 321.

FERIA SEXTA.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. Cap 17

SEparávit Jeróboam Israël à Dómino: & peccáre eos fecit peccátum magnum. Et ambulavérunt filij Israël in univérsis peccátis Jeróboam quæ fécerat; & non recessérunt ab eis: úsquequò Dóminus auférret Israël à fácie sua, sicut locútus fúerat in manu ómnium servórum suórum Prophetárũ; translatúsque est Israël de terra sua in Assyrios: úsque in diem hanc.

℟. Montes Gélboë. 322.

Lectio ij.

ADdúxit autem rex Assyriórum de Babylóne; & de Cutha, & de Avah, & de Emath & de Sephárvaim: & collocávit eos in civitátibus Samaríæ pro filiis Israël: qui possedérunt Samaríam, & habitavérunt in úrbibus ejus. Cùmque ibi habitáre cœpíssent, non timébant Dóminum; & immísit in eos Dóminus leónes: qui interficiébant eos.

℟. Deus

℟. Deus ómnium. 323.

Lectio iij.

NUntiatúmque est regi Assyriórum, & dictum. Gentes quas transtulísti, & habitáre fecísti in civitátibus Samaríæ; ignórant legítima Dei terræ: & immísit in eos Dóminus leónes; & ecce interficiunt eos: eò quòd ignórent ritum Dei terræ. Præcépit autem rex Assyriórum, dicens. Dúcite illuc unum de Sacerdótibus, quos inde captívos adduxístis: vadat, & hábitet cum eis, & dóceat eos legítima Dei terræ.

℟. Ego te tuli. 323.

SABBATO.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 18.

ANno tértio Osée filij Ela regis Israël: regnávit Ezéchias filius Achaz regis Juda. Vigínti quinque annórum erat, cùm regnáre cœpísset, & vigintinóvem annis regnávit in Jerúsalem: nomen matris ejus Abi filia Zachariæ. Fecítque quod erat bonum coram Dómino: juxta ómnia quæ fécerat David pater ejus. Ipse dissipávit excélsa, & contrívit státuas, & succídit lucos; confregítque serpéntem æneum, quem fécerat Móyses; siquidem usque ad illud tempus filij Israël adolébant ei incénsum: vocávitque nomen ejus Nohéstan, in Dómino Deo Israël sperávit.

Lectio ij.

ITaque post eum non fuit símilis ei de cunctis régibus Juda: sed neque in his qui antè eum fúerant; & adhæsit Dómino, & non recéssit à vestígiis ejus; fecítque mandáta ejus: quæ præcéperat Dóminus Móysi. Unde & erat Dóminus cum eo; & in cunctis, ad quæ procedébat: sapiénter se agébat. Rebellávit quoque contra regem Assyriórum: & non servívit ei. Ipse percússit Philisthæos usque ad Gazam; & omnes términos eórum: à Turre custódum usque ad civitátem munítam.

Lectio iij.

ANno quarto regis Ezéchiæ; qui erat annus séptimus Osée filij Ela regis Israël, ascéndit Salmánasar rex Assyriórum in Samaríam: & oppugnávit eam & cepit. Nam post

annos tres, anno sexto Ezéchiæ, id est, anno nono Osée Regis Israël: capta est Samaría; & tránstulit Rex Assyriórum Israël in Assyrios; collocavítque eos in Hala: & in Habor flúviis Gozan in civitátibus Medórum; quia non audiérunt vocem Dómini Dei sui, sed prætergréssi sunt páctum ejus; ómnia quæ præcéperat Móyses servus Dómini: non audiérunt neque fecérunt.

Ad Magnificat, Antiph. Fecit Joas rectum coram Dómino cunctis diébus quibus dócuit eum Joíada sacérdos.

Ad primam Processionem. ℟. j. Præparáte. *ut infrà.*

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundã Processionem. ℟. ij. Dóminus qui erípuit. 321.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas, Dómine, semper à nobis iniquitátes repélle: ut ad viam salútis ætérnæ secúra mente currámus. Per Dóminum.

DOMINICA X.

Post Pentecosten.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 1.

ADam, Seth, Enos, Cáinam, Maláleël, Jared, Henoch, Mathúsale, Lamech. Noë, Sem, Cham, & Japheth. Fílij Japheth Gomer, & Magog, & Mádaï, & Javan, Thubal, Mosoch, Thiras. Porrò Fílij Gomer: Ascenez, & Riphath, & Thogorma. Fílij autem Javan, Elisa & Tharsis, Cethim & Dódanim. Fílij Cham: Chus, & Mésrahim, & Phut & Chánaan.

℟. Præparáte corda vestra Dómino: * Et servíte illi soli & liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Auférte Deos aliénos de médio vestri. Et servíte.

Lectio ij. Cap. 10.

PHilísthiim autem pugnábant contra Israël fugerúntque viri Israël: Palæsthínos & cecidérunt vulneráti in monte Gélboë. Cùmque appropinquássent Philisthæi persequéntes

quiéntes Saül & filios ejus; percussérunt Jónathan, & Abínadab & Melchísua: filios Saül. Et aggravátum est prælium contra Saül: invenerúntque eum Sagittárij, & vulneravérunt Jáculis. Et dixit Saül ad armígerum suum; Evagína gládium tuum & intérfice me: ne fortè véniant incircumcísi isti & illúdant mihi. Nóluit autem ármiger ejus hoc fácere; timóre pertérritus: arrípuit ergo Saül ensem, & írruit in eum. Quod cùm vidísset ármiger ejus; vidélicet mórtuum esse Saül: írruit étiam ipse in gládium suũ, & mórtuus est.

℞. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me: * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Qui docet manus meas ad prælium & dígitos meos ad bellum. Ipse me.

Lectio iij.

Die ígitur áltero detrahéntes Philísthiim Spólia cæsórum; invenérunt Saül: & filios ejus jacéntes in monte Gélboë. Cùmque spoliássent eum, & amputássent caput; armísque nudássent: misérunt in terram suam, ut circumferrétur; & ostenderétur idolórum templis & pópulis; arma autem ejus consecravérũt in fano Dei sui: & caput affixérunt in templo Dagon. Hoc cùm audíssent viri Jabes Gálaad: ómnia scílicet quæ Philísthiim fécerant super Saül, consurrexérunt sínguli virórum fórtium, & tulérunt cadávera Saül & filiórum ejus; attulerúntque ea in Jabes: & sepeliérunt ossa eórum subter quercum; quæ erat in Jabes: & jejunavérunt Septem diébus. Mórtuus est ergo Saül propter iniquitátes suas; eò quòd prævaricátus sit mandátum Dómini quod præcéperat: & non custodíerit illud.

℞. Percússit Saül mille & David decem míllia quia manus Dómini erat cum illo: * Percússit Philisthæũ & ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Invocávit Dóminum omnipoténtem & dedit in déxtera ejus tóllere hóminem fortem in bello & exaltáre cornu gentis suæ. Percússit. Glória Patri. Percússit.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Agobárdi Lugdunénsis Archiepíscopi.

Lib. de divina Psalmodia.

Lectio iv.

HÆc fidei cautéla, & sinceríssima observántiæ disciplína, ut in templo Dei & coram divíno altári divinórum tantúmmodo eloquiórum melódia celebrétur; étiam Véteris Testaménti auctoritáte & exémplis nobis firmíssimè commendátur: ubi in libro Paralipómenon légitur quòd beátus David Rex & Prophéta Dei, primus choros levitárum laudántium Dóminum in tabernáculo sive in templo constitúerit; eísque Psalmos, & hymnos, & Cántica divínitùs sibi & cæteris qui cum eo Prophetábant inspiráta tradíderit: ac manè & vésperè inter divína holocáusta & Sacrifícia decantánda decréverit. Quem morem à sanctis Prophétis tráditum & à sequéntibus pátribus diligentíssimè custodítum, usque ad tempus Novi Testaménti: quo jam templum illud déstrui oportébat: religiósâ constat observatióne perdúctum.

℟. Montes Gélboë nec ros nec plúvia véniant super vos: * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Neque ibi sint agri primitiárum quia ibi abjéctus est clypeus fórtium. Ubi cecidérunt.

Lectio v.

UNde summópere necésse est, ut si verè absque offendículo vel hæsitatióne divínas laudes cúpimus celebráre; totos nos divínis sermónibus, in quibus nullus est error, nulla ambigúitas, coaptémus; sicut de præfátis Levítis, antíquis divínæ laudis cantóribus: idem Paralipómenon liber réplicat: dicens. Levítæ verò ut stent manè ad confiténdum & canéndum Dómino, similitérque ad véspe-ram; tam in oblatióne holocaustórum Dómini: quā in Sábbatis, & Caléndis, & solemnitátibus cæteris. Et íterum in dedicatióne templi sub Salomóne dícitur. Et dedicávit domum Dómini rex & univérsus pópulus. Sacerdótes autem stabant in offíciis suis; & Levítæ in órganis cárminum Dómini quæ fecit David

David rex ad laudándum Dóminum ; Quóniam in ætérnum misericórdia ejus: hymnos David canéntes per manus suas.

℟. Deus ómnium exaudítor est : * Ipse misit Angelum suum & tulit me de óvibus patris mei & unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me. Ipse misit.

Lectio vj.

ITem in emundatióne & purificatióne ejúsdem templi sub Ezéchia scriptũ est : Præcepítque Ezéchias & príncipes Levítis; ut laudárent Dóminum sermónibus David , & Azaph Vidéntis : qui laudavérunt eum magna lætítia. Simíliter étiam sub Jósiâ in celebratióne Phase. Porrò cantóres , inquit , filij Azaph stabant in órdine suo juxta præcéptum David : & Azaph & Heman & Idithim Prophetárum regis. Quod totum quàm sanctè & religiósè fúerit institútum ; quàm dúlciter ac reverénter sit imitándum inter cætera beáti David magnífica ; ita liber Ecclesiásticus in ejus láudibus proséquitur dicens : In omni ópere dedit confessióne Sancto & Excélso in verbo glóriæ. De omni corde suo laudávit Dóminum, & diléxit Deum , qui fecit illum ; & dedit illi contra inimícos poténtiã; & stare fecit cantóres contra altáre : & in sono eórum dulces fecit modos. Et dedit in celebratiónibus decus , & ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ ; ut laudárent sanctum nomen Dómini : & amplificárent manè Dei sanctitátem.

℟. Ego te tuli de domo patris tui dicit Dóminus, & pósui te páscere gregem pópuli mei, & fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti: * Firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande juxta nomen magnórum qui sunt in terra & réquiẽ dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. Firmans.

℟. vij. Exaudísti Dómine oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic & sanctífica domum istam in sempitérnum Deus Israel.

℣. Stetit autem Sálomon ante altáre Dómini & expándit manus suas in cœlum & ait. Benedic.

℟. viij. Audi Dómine hymnum & oratiónem quam servus tuus orat coram te hódie ut sint óculi tui apérti & aures tuæ intentæ: * Super domum istam die ac nocte. ℣. Qui regis Israël inténde qui dedúcis velut ovem Joseph: qui sedes super Chérubim appáre. Super.

℟. ix. Dómine si convérsus fúerit pópulus tuus & oráverit ad sanctuárium tuum tu exáudies de cælo Dómine: * Et libera eos de mánibns inimicórum eórum. ℣. Et dimítte peccáta servórum tuórum & pópuli tui Israël. Et líbera. Te Deum laudámus.

Post Vesperas ad primam Processionem.

℟. j. Factum est. 325.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tuâ virtúte confidimus: sub tuâ semper pietáte gaudeámus. Per Dñm.

Ad secundã Processionem.

Añа. O Crux benedícta quæ sola fuísti digna portáre regem cœlórum & Dóminum

Orémus. *Oratio.*

RÉspice quæsumus Dómine super hanc famíliam tuam; pro quâ Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium: & Crucis subíre torméntum. Qui tecum vivit.

FERIA SECUNDA,

De libro primo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 11.

COngregátus est ígitur omnis Israël ad David in Hebron, dicens: Os tuum sumus & caro tua. Heri quoque & nudiustértius; cùm adhuc regnáret Saül, tu eras qui educébas, & introducébas Israël: tibi enim dixit Dóminus Deus tuus: Tu pasces pópulum meum Israël: & tu eris princeps super eum. Venérunt ergo omnes majóres natu Israël ad regem in Hebron: & íniit David cum eis fœdus coram Dómino; unxerúntque eum regem super Israël: juxta sermónem Dómini, quem locútus est in manu Sámuël. Abiit quoque David

&

& omnis Israël in Jerúsalem, hæc est Jebus: ubi erant Jebusæi habitatóres terræ. Dixerúntque qui habitábant in Jebus ad David: Non ingrediéris huc. Porrò David cœpit arcem quæ est cívitas David.

℟. Factum est dum tólleret Dóminus Eliam per túrbinem: * Elizæus clamábat dicens. Pater mi, pater mi, currus Israël & auríga ejus. ℣. Cùmque pérgerent & incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus & equi ígnei divisérunt utrúmque. Elizæus.

Lectio ij.

David erat in præsídio: & státio Philisthinórum in Béthleem. Desiderávit ígitur David: & dixit. O si quis daret mihi aquam de cistérna Béthleem: quæ est in porta! Tres ergo isti per média castra Philisthinórum perrexérunt; & hausérunt aquā de cistérna Béthleem, quæ erat in porta; & attulérunt ad David ut bíberet: qui nóluit, sed magis libávit illam Dómino, Dicens. Absit ut in conspéctu Dei mei hoc fáciam; & Sánguinem istórum virórum bibam: quia in perículo animárum suárum attulérunt mihi aquam. Et ob hanc causam nóluit bíbere: Hæc fecérunt tres robustíssimi.

℟. Dñs qui erípuit. 321.

Lectio iij. Cap. 12.

Venérunt autem & de Bénjamin; & de Juda: ad præsídium in quo morabátur David. Egressúsque est David óbviam eis: & ait. Si pacíficè venístis ad me, ut auxiliémini mihi cor meum jungátur vobis: Si autem insidiámini mihi pro adversáriis meis; cùm ego iniquitátem in mánibus non hábeam; vídeat Deus patrum nostrórum & júdicet? Spíritus verò índuit Amásaï príncipem inter trigínta: & ait. Tui sumus ô David, & tecum filij Isaï: Pax, pax tibi; & pax adjutóribus tuis: te enim ádjuvat Deus tuus. Suscépit ergo eos David: & constítuit príncipes turmæ.

℟. Percússit Saül mille & David. 321.

FERIA TERTIA.

De libro primo Paralipómenon.

Lectio

Lectio j. Cap. 12.

PORró de Manásse transfugérunt ad David, quando veniébat cum Philísthiim advérsùs Saül, ut pugnáret; & non dimicávit cum eis, quia ínito consílio remisérunt eum príncipes Philisthinórum dicéntes: Perículo cápitis nostri revertétur ad Dóminum suum Saül. Quando ígitur revérsus est in Síceleg: transfugérunt ad eum de Manásse; Ednas, & Józabad, & Jédihel, & Míchaël, & Ednas, & Józabad, & Eliu, & Sálathi: príncipes míllium in Manásse. Hi præbuérunt auxílium David advérsùs latrúnculos; omnes enim erant viri fortíssimi: & facti sunt príncipes in exércitu.

℟. Montes Gélboë. 322.

Lectio ij.

SEd & per síngulos dies veniébant ad David ad auxiliándum ei; usque dum fíeret grandis númerus: quasi exércitus Dei. Iste quoque est númerus príncipum exércitûs; qui venérunt ad David, cùm esset in Hebron: ut transférrent regnum Saül ad eum, juxta verbum Dómini. Filij Juda portántes Clypeum & hastam: sex míllia octingénti expedíti ad prælium. De filiis Símeon virórum fortissimórum ad pugnándum: septem míllia centum.

℟. Deus ómnium exaudítor. 323.

Lectio iij. Cap. 15.

VOcavítque David Sadoc & Abíathar Sacerdótes & Levítas; Uriël, Asáiam, Joël, Seméiam, Eliël & Amínadab. Et dixit ad eos. Vos qui estis Príncipes familiárum Leviticárum sanctificámini cum frátribus vestris; & afférte arcam Dómini Dei Israël ad locum qui ei præparátus est: ne, ut à princípio quia non erátis præséntes; percússit nos Dóminus: sic & nunc fiat illícitum quid nobis agéntibus. Sanctificáti sunt ergo Sacerdótes & Levítæ: ut portárent arcam Dómini Dei Israël. Et tulérunt filij Levi arcam Dei; sicut præcéperat Móyses juxta verbum Dómini: húmeris suis in véctibus.

℟. Ego te tuli de domo patris 323.

FERIA

FERIA QUARTA.

De libro primo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 15.

DIxitque David princípibus Levitárum; ut constitúerent de frátribus suis cantóres in órganis musicórum, nablis vidélicet, & Lyris, & cymbalis: ut resonáret in excélsis sónitus lætítiæ. Constituerúntque Levítas; Heman filium Joël, de frátribus ejus; Asaph filium Baráchiæ, de filiis verò Merári, frátribus eórum: Ethan filium Casáiæ. Et cum eis fratres eórum; in secúndo órdine: Zacháriam; & Ben, & Jáziel, & Semíramoth, & Jáhiel, & Ani, Eliab, & Banáiam, & Maásiam, & Matháthiam; & Elíphalu & Macéniam, & Obédedom: & Jéhiel, Janitóres.

℟. Exaudísti Dómine. 323.

Lectio ij.

POrrò cantóres; Heman, Asaph, & Ethan: in cymbalis æneis concrepántes. Zachárias autem & Oziël & Semíramoth & Jáhiel, & Ani, & Eliab, & Maásias & Banáias: in nablis Arcána cantábant. Porrò Matháthias, & Elíphalu, & Macénias, & Obédedom, & Jéhiël, & Ozáziu: in cítharis pro octáva canébant epinícion. Chonénias autem princeps Levitárum, prophétiæ præerat; ad præcinéndam melódiam: erat quippe valdè sápiens.

℟. Audi Dómine. 324.

Lectio iij. Cap. 16.

ATtulérunt ígitur Arcam Dei; & constituérunt eam in médio tabernáculi quod teténderat ei David: & obtulérunt holocáusta & pacífica coram Deo. Cùmque complésset David ófferens holocáusta; & pacífica: benedíxit pópulo in nómine Dómini. Et divísit univérsis per síngulos à viro usque ad Mulíerem; tortam panis, & partem assæ carnis búbalæ: & frixam óleo símilam. Constituítque coram Arca Dómini de Levítis: qui ministrárent & recordaréntur óperũ ejus: & glorificárent atque laudárent Dñm Deum Israël.

℟. Dñe si convérsus 324.

FERIA QUINTA.

De Libro primo Paralipómenon.

Lectio

Lectio j. Cap.16.

ASaph príncipem & secúndum ejus Zachariam ; Porrò Jáhiël, & Semíramoth , & Jéhiel, & Mathâthiam ; & Eliab , & Banáiam , & Obédedom, Jéhiël super órgana Psaltérij & Lyras : Asaph autem ut cymbalis personáret Banáiam verò & Jáziël Sacerdótes : cánere tuba júgiter coram Arca fœderis Dómini. In illo die fecit David príncipem ad confiténdum Dómino Asaph : & fratres ejus. Confitémini Dómino ; & invocáte nomen ejus : notas fácite in pópulis adinventiónes ejus. Cantáte ei ; & psállite ei : & narráte ómnia mirabília ejus.

℟. Præparáte corda. 331.

Lectio ij. Cap.21.

COnsurréxit autem Satan contra Isräel : & concitávit David ut numeráret Isräel. Dixítque David ad Joab & ad príncipes pópuli ; Ite, & numeráte Isräel à Bersábee usque Dan : & afférte mihi númerum ut sciam. Respondítque Joab : Augeat Dóminus pópulum suum céntuplum , quàm sunt : nonne Dómine mi rex omnes servi tui sunt ? quare hoc quærit Dóminus meus ; quod in peccátum reputétur Isräel ? sed sermo regis magis præváluit : egressúsque est Joab & circuívit univérsum Isräel : & revérsus est Jerúsalem.

℟. Dñs qui erípuit. 332.

Lectio iij.

DEdítque Davídi númerum eórum quos circuíerat ; & invéntus est omnis númerus Isräel, mille míllia & centum míllia virórum ; educéntium gládium : de Juda autem quadragínta septuagínta míllia bellatórum. Nam Levi, & Bénjamin non numerávit : eò quòd Joab invítus exequerétur regis impérium. Displícuit autem Deo quod jussum erat : & percússit Isräel. Dixítque David ad Deum ; Peccávi nimis ut hoc fácerem : óbsecro aufer iniquitátem servi tui quia insipiënter egi.

℟. Percússit Saül. 332.

FERIA SEXTA.

De Libro primo Paralipómenon.

Lectio j. Cap 21.

ET locútus est Dóminus ad Gad vidéntem Davídis:

vídis ? dicens. Vade ; & lóquere ad David ? & dic ei. Hæc dicit Dõminus. Trium tibi optiónem do, unum quod volúeris élige ? & fáciam tibi. Cùmque venísset Gad ad David ? dixit ei. Hæc dicit Dóminus. Elige quod volúeris ; aut tribus annis famem ; aut tribus ménsibus te fúgere hostes tuos, & gládium eórum non posse evádere ; aut tribus diébus gládium Dómini, & pestiléntiam versári in terra ; & Angelum Dómini interfícere in univérsis finibus Israël ? nunc ígitur vide ; quid respôndeam ei ? qui misit me.

℟. Montes Gélboë. 333.

Lectio ij.

ET dixit David ad Gad. Ex omni parte me angústiæ premunt ; sed méliùs mihi est, ut íncidam in manus Dómini ; quia multæ sunt miseratiónes ejus ? quàm in manus hóminum. Misit ergo Dóminus pestiléntiam in Israël & cecidérunt de Israël ? septuagínta míllia virórum. Misit quoque Angelum in Jerúsalem, ut percúteret eam ; cùmque percuterétur, vidit Dóminus ? & misértus est super magnitúdine mali ; & imperávit Angelo qui percutiébat ? Súfficit, jam cesset manus tua. Porrò Angelus Dómini stabat juxta Aream Ornan Jebusæi.

℟. Deus ómnium exaudítor. 334.

Lectio iij.

LEvánsque David óculos suos, vidit Angelum Dómini stantem inter cœlum & terram ; & evaginátum gládium in manu ejus, & versum contra Jerúsalem ? & cecidérunt, tam ipse quàm majóres natu vestíti cilíciis proni in terram. Dixítque David ad Deum. Nonne ego sum, qui jussi ut numerarétur pópulus ? Ego qui peccávi, ego qui malum feci, iste grex quid comméruit ? Dómine Deus meus ; vertátur óbsecro manus tua in me, & in domum patris mei ? pópulus autem tuus non percutiátur. Angelus autem Dómini præcépit Gad, ut díceret Davídi ut ascénderet ? extruerétque altáre Dómino Deo in Area Ornan Jebusæi.

℟. Ego te tuli de domo patris. 334.

SABBA

SABBATO.

De Libro primo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 21.

IGitur cùm veníret David ad Ornan, conspéxit eum Ornan; & procéssit ei óbviam de áreâ: & adorávit eum pronus in terram. Dixítque ei David: Da mihi locum áreæ tuæ, ut ædíficem in eâ altáre Dómino; ita ut quantum valet argénti accípias: & cesset plaga à pópulo. Dixit autem Ornan ad David: Tolle, & fáciat Dóminus meus rex quodcúmque ei placet; sed & boves do in holocáustum, & tríbulas in ligna; & tríticum in sacrificium: ómnia libens præbébo. Dixítque ei rex David: Nequáquam ita fiet; sed argéntum dabo quantum valet, neque enim tibi auférre débeo: & sic afférre Dómino holocáusta gratúita. Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri justíssimi pónderis sexcéntos.

Lectio ij. Cap. 22.

DIxítque David: Hæc est domus Dei & hoc altáre in holocáustum Israël. Et præcépit ut congregaréntur omnes prosélyti de terrâ Israël: & constítuit ex eis Látomos ad cædéndos lápides; & poliéndos: ut ædificarétur domus Dei. Ferrum quoque plúrimum ad clavos Januárum; & ad commissúras atque junctúras præparávit David: & æris pondus innumerábile. Ligna quoque cédrina non póterant æstimári: quæ Sidónij & Tyrij deportáverant ad David. Et dixit David. Sálomon filius meus puer párvulus est & delicátus; domus autem, quam ædificári volo Dómino, talis esse debet; ut in cunctis regiónibus nominétur: præparábo ergo ei necessária. Et ob hanc causam ante mortem omnes præparávit impénsas.

Lectio iij.

FIlius qui nascétur tibi, erit vir quietíssimus; fáciam enim eum requiéscere ab ómnibus inimícis suis per circúitum; & ob hanc causam Pacíficus vocábitur: & pacem & ótium dabo in Israël cunctis diébus ejus. Ipse ædificábit domum nómini meo, & ipse erit mihi in filium; & ego

ego ero illi in patrem:' firmabóque sólium ejus regni super Israël in ætérnum. Nunc ergo fili mi, sit Dominus tecum; & prosperáre, & ædífica domum Dómino Deo tuo:' sicut locútus est de te. Det quoque tibi Dóminus prudéntiam & sensum; ut régere possis Israël:' & custodíre legem Dómini Dei tui.

Ad Magnificat. Añ.

Misit Dóminus Angelum suum qui percússit omnem virum robústum & bellatórem & príncipem exércitûs Regis assyriórum.

Ad primam Processionem.

℟. j. Præparáte corda vestra Dómino & servíte illi soli: * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tuâ virtúte confidimus:' sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dñm.

Ad secundam Processionem.

℟. ij. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberavit me: Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas Dómine semper à nobis iniquitátes repélle:' ut ad viam salútis ætérnæ secúra mente currámus. Per Dóminum.

DOMINICA XI. *post Pentecosten.*

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber secúndus Paralipómenon.

Lectio j. Cap. I.

COnfortátus est Sálomon filius David in regno suo; Dóminus Deus ejus erat cum eo:' & magnificávit eum in excélsum. Præcepítque Sálomon univérso Israéli; tribúnis, & centuriónibus, & dúcibus, & judícibus omnis Israël:' & princípibus familiárum. Et ábiit cum univérsa multitúdine in excélsum Gábaon:' ubi erat tabernáculum fœderis Dei, quod fecit Moyses fámulus Dei in solitúdine. Arcam autem Dei addúxerat David Cariathíarim; in locum quem præparáverat ei; & ubi fixerat illi tabernáculum:' hoc est, in Jerúsalem.

℟. Præparáte corda vestra Dómino.

Dómino & servíte illi soli: * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Auférte Deos aliénos de médio vestri. Et liberábit.

Lectio ij. Cap. 15.

AZárias autem filius Oded, facto in se spíritu Dei; egréssus est in occúrsum Asa: & dixit ei. Audíte me Asa, & omnis Juda, & Bénjamin; Dóminus vobíscum: quia fuístis cum eo. Si quæsiéritis eum, inveniétis; si autem dereliquéritis eum: derelínquet vos. Transíbunt autem multi dies in Israël absque Deo vero: & absque sacerdóte, doctóre, & absque lege. Cùmque revérsi fúerint in angústia sua ad Dóminum Deum Israël: & quæsierint eum, repérient eum. In témpore illo non erit pax egrediénti; & ingrediénti: sed terróres úndique in cunctis habitatóribus terrárum.

℟. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me: * Ipse me éripiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Qui docet manus meas ad prælium & dígitos meos ad bellum. Ipse me erípiet. *Lectio iij.*

IMmolavérunt Dómino in die illa de manúbiis & præda quam addúxerant; boves septingéntos: & aríetes septem míllia. Et intrávit ex more ad corroborándum fœdus; ut quærerent Dóminum Deũ patrum suórum in toto corde: & in tota ánima sua. Si quis autem, inquit, non quæsíerit Dóminum Deum Israël: moriátur, à mínimo usque ad máximũ à viro usque ad Mulíerem. Juraverúntque Dómino voce magna in júbilo; & in clangóre tubæ: & in sónitu buccinárum. Omnes qui erant in Juda cum execratióne, in omni enim corde suo juravérunt; & in tota voluntáte quæsiérunt eum, & invenérunt: præstitítque eis: Dóminus réquiem per circúitum.

℟. Percússit Saül mille & David decem míllia quia manus Dñi erat cum illo: * Percússit Philisthæum & ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Invocávit Dóminum omnipoténtem & dedit in déxtera ejus tóllere

lere hóminem fortem in bello & exaltáre cornu gentis suæ. Percússit. Glória Patri. Percússit.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Magistri flori Lugdunénsis Ecclésiæ. Diáconi.

Lib. de actione Missarum.

Lectio iv.

IN história Paralipómenon Prophéta à Deo missus, invenítur salutásse Asa regem Juda cum exércitu suo invocáto Dei aüxílio victóres de prælio reverténtes; ait enim: Dóminus vobíscum, quia fuístis cum eo. Et áddidit. Si quæsiéritis eum; inveniétis: si autem dereliquéritis illum, derelínquet vos. Unde appáret quia sicut nihil pejus potest esse hómini, quàm derelínquere Deum & derelínqui à Deo; ita è contrário: nihil méliùs quàm habére Deum, & esse cum Deo. Et quia salutáre nihil est áliud, quàm salútem optáre; hæc est vera salutátio, id est, vera salutántis optátio: ut Dóminus sit cum Ecclésiâ suâ tamquam in templo suo; cui dicit Apóstolus: Templum enim Dei Sanctum est, quod estis vos. Et Ecclésia hábeat Dóminum secum inhabitántem & illuminántem; regéntem, & protegéntem; ut ille sit ei Deus, & ille sit ei pópulus: sicut per prophétam promíttit, dicens. Et inhabitábo, & inambulábo in illis; & ero eis Deus: & ipsi erunt mihi pópulus.

℞. Montes Gelboë nec ros nec plúvia véniant super vos: * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Neque ibi sint agri primitiárum quia ibi abjéctus est clypeus fórtium. Ubi.

Lectio v.

UT dum tantæ beatitúdinis dono Ecclésia Dei & póssidet Deum, & possidétur à Deo; (quátenus & ipse sit hæréditas Dómini & dóminus pars hæreditátis ejus:) impleátur in illa quod Psalmísta ait. Beáta gens cujus est Dóminus Deus eórum: pópulus quem elégit in hæreditátem sibi. Hoc est enim summum hóminis bonum, possidére Deum; & possidéri à Deo: ipsum solum dilígere, & illi soli servíre; illi soli adhærére: ut dicat illi ánima devóta. Mihi autem

tem adhærére Deo bonum est. Et íterum, adhæsit ánima mea post te, ut adhærens Deo unus cum eo spíritus fiat; dicénte Apóstolo: Qui adhæret Dómino, unus spíritus est. Nam & ipse Apóstolus in Epístolis suis frequénter ita salútat Ecclésias; ut aliquándo dicat, Dóminus sit cum ómnibus vobis; aliquándo, Deus autem pacis sit cum ómnibus vobis: item aliquãdo, Grátia Dñi nostri Jesu Christi sit cũ spíritu vestro, fratres, Amen.

℟. Deus ómnium exaudítor est: * Ipse misit Angelum suum & tulit me de óvibus Patris mei & unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus qui erípuit me de ore leónis & de manu béstiæ liberávit me. Ipse misit. *Lectio vj.*

ALiquándo autem, Dóminus Jesus Christus sit cum spíritu vestro; fratres, amen: ut nonnúnquam sub distinctióne personárum ínvocans Trinitátem; salútat, grátia Dómini nostri Jesu Christi & cháritas Dei, & communicátio sancti spíritûs: sit cũ ómnibus vobis. In quibus ómnibus hoc optat fidélibus scribens; quòd Sacérdos ad altáre assistens: videlicet ut habéntes Deũ non deseréntur à Deo. Rectè ergo Ecclésia, tam salúbri salutatióne Sacerdótis accéptâ; & ipsa resalutándo orat, & orándo resalútat Sacerdótem, dicens: Et cum spíritu tuo. Nihil enim mélius invénit Ecclésia quod optet sacerdóti; nisi quod sacérdos optat Ecclésiæ: id est, ut idem Dóminus qui dignátur esse cum Ecclésiâ dignétur étiam esse cum spíritu sacerdótis; ac sic in utróque, benígna illa Dómini promíssio impleátur: quâ ascensúrus in cœlum, ómnibus fidélibus promísit, dicens. Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus: usque ad consummatiónem sæculi.

℟. Ego te tuli de domo Patris tui dicit Dóminus & pósui te páscere gregem pópuli mei & fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti: * Firmans regnum tuum in ætérnum.

℣. Fecíque tibi nomen grande juxta nomen magnórum qui sunt in terra

tá & réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. Firmans Glória Patri. Firmās.

℟. vij. Exaudísti Dómine oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo: * Bénedic & sanctífica domum istam in sempitérnum Deus Israël. ℣. Stetit autem Sálomon ante altáre Dómini & expándit manus suas in cœlum & ait. Bénedic.

℟. viij. Audi Dñe hymnum & oratiónem quam servus tuus orat coram te hódiè ut sint óculi tui apérti & aures tuæ inténtæ: * Super domum istam die ac nocte. ℣. Qui regis Israël inténde qui dedúcis velut ovem Joseph qui sedes super Chérubim appáre. Super.

℟. ix. Dómine si convérsus fúerit pópulus tuus & oráverit ad sanctuárium tuum, tu exáudies de cœlo Dómine: * Et líbera eos de mánibus inimicórum eórum. ℣. Et dimítte peccáta servórum tuórū & pópuli tui Israël. Et líbera. Te Deum laudámus.

Post Vesperas ad primã Processionem.

℟. j. Factum est. 336.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tuâ virtúte confidimus: sub tuâ semper pietáte gaudeámus. Per Dóminū.

Ad ij. Processionem.

Aña. O Crux benedícta quæ sola fuísti digna portáre regem cœlórum & Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

RÉspice quæsumus Dómine super hanc famíliam tuam; pro quâ Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium: & Crucis subíre torméntum. Qui tecum vivit.

FERIA SECUNDA.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 16.

PRótulit ergo Asa argéntum & aurum de thesáuris domûs Dómini, & de thesáuris regis; misítque ad Bénadad regem Syriæ: qui habitábat in Damásco dicens. Fœdus inter me & te est, Pater quoque meus & pater tuus habuére concórdiā; quamóbrem misi tibi argéntum & aurum; ut rupto fœde-

re,

re, quod habes cum Báasa rege Israël: fácias eum à me recédere. Quo compérto; Benadad misit príncipes exercítuum suórum ad urbes Israël: qui percussérunt Ahion, & Dan, & Abélmaïm, & univérsas urbes Néphthali murátas. Quod cùm audísset Báasa, désiit ædificáre Rama: & intermísit opus suum.

℟. Factum est dum tólleret Dóminus Eliam per túrbinem: * Elizæus clamábat dicens; Pater mi, pater mi, currus Israël & auríga ejus. ℣. Cùmque pérgerent & incedéntes Sermocinaréntur ecce currus ígneus & equi ígnei divisérunt utrúmque. Elizæus.

Lectio ij.

PОrrò Asa rex assúmpsit univérsum Judam; & tulérunt lápides de Rama, & ligna quæ ædificatióni præparáverat Báasa: ædificavítque ex eis Gábaa & Maspha. In témpore illo venit Hanáni prophéta ad Asa Regem Juda: & dixit ei. Quia habuísti fidúciam in rege syriæ; & non in Dómino Deo tuo: idcircò evásit syriæ regis exércitus de manu tua. Nonne Æthíopes & líbyes multò plures erant, quadrígis & equítibus & multitúdine nímia; quos cùm Dómino credidísses, trádidit in manu tua? Oculi enim Dómini contemplántur univérsam terram; & præbēt fortitúdinem his: qui corde perfécto credūt in eum. Stultè ígitur egísti & propter hoc ex præsénti témpore advérsùm te bella consúrgent.

℟. Dñs qui erípuit. 332.

Lectio iij.

IRatúsque Asa advérsùs vidéntem, jussit eum mitti in nervum; valdè quippe super hoc fúerat indignátus: & interfécit de pópulo in témpore illo plúrimos. Opera autem Asa prima & novíssima: scripta sunt in libro regum Juda & Israël. Ægrotávit étiam Asa anno trigésimo nono regni suî, dolóre pedum vehementíssimo; & nec in infirmitáte suâ quæsívit Dóminum: sed magis in medicórum arte confisus est. Dormivítque cum pátribus suis: & mórtuus

tuus est anno quadragésimo primo regni sui. Et sepeliérunt eum in sepúlchro suo, quod fóderat sibi in civitáte David: posuerúntque eum super lectum suum; plenum aromátibus & unguéntis meretríciis, quæ erant pigmentariórum arte confécta: & combussérunt super eum ambitióne nímiâ.

℟. Percússit Saül. 332.

FERIA TERTIA.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 16.

REgnávit autem Jósaphat filius ejus pro eo: & inváluit contra Israël. Constituítque mílitum números in cunctis úrbibus Juda: quæ erant vallátæ muris. Præsidiáque dispósuit in terrâ Juda, & in civitátibus Ephraïm: quas céperat Asa pater ejus. Et fuit Dóminus cum Jósaphat, quia ambulávit in viis David patris sui primis, & non sperávit in Baálim: sed in Deo patris sui, & perréxit in præcéptis illíus, & non juxta peccáta Israël. Confirmavítque Dóminus regnum in manu ejus; & dedit omnis Juda múnera Jósaphat, factæque sunt ei infinítæ divítiæ: & multa glória.

℟. Montes Gélboë. 333.

Lectio ij.

CUmque sumpsísset cor ejus audáciam propter vias Dómini: étiam excélsa & lucos de Juda ábstulit. Tértio autem anno regni sui misit de princípibus suis Bénhaïl, & Obdiam, & Zacháriam, & Nathanaël, & Michæam: ut docérent in civitátibus Juda. Et cum eis Levítas, Seméiam, & Natbániam, & Zabádiam, Asaël quoque & Semíramoth, & Jónathan, Adoniámque & Thóbiam, & Thobadóniam, Levítas: & cum eis Elísama & Joram Sacerdótes. Docebántque pópulum in Juda, habéntes librum legis Dómini; & circuíbant cunctas urbes Juda: atque erudiébant pópulum.

℟. Deus ómnium. 334.

Lectio iij.

ITaque factus est pavor Dómini super ómnia regna terrárum; quæ erant per gyrum Juda: nec audébant bellàre contra Jó-

saphat. Sed & Philisthæi Jósaphat múnera deferébant, & vectígal argénti; Arabes quoque adducébant pécora, arietum septem míllia septingénta: & hircórum tótidem. Crevit ergo Jósaphat, & Magnificátus est usque in sublíme; atque ædificávit in Juda domos ad instar túrrium: urbésque murátas. Et multa ópera parávit in úrbibus Juda: viri quoque bellatóres & robústi erant in Jerúsalem.

℟. Ego te tuli. 334.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 18.

FUit ergo Jósaphat dives & ínclytus multū: & affinitáte conjúnctus est Achab. Descendítque post annos ad eum in Samaríâ; ad cujus advéntum mactávit Achab aríetes & boves plúrimos, ipsi, & pópulo qui vénerat cum eo: persuasítque illi ut ascénderet in Ramoth Gálaad. Dixítque Achab rex Israël ad Jósaphat regem Juda: Veni mecum in Ramoth Gálaad. Cui ille respóndit. Ut ego & tu, sicut pópulus tuus; sic & pópulus meus: tecúmque érimus in bello.

℟. Exaudísti Dómine. 335.

Lectio ij.

DIxítque Jósaphat ad regem Israël: Cónsule óbsecro impræsentiárum sermónem Dómini. Congregavítque ígitur rex Israël prophetárum quadringéntos viros: & dixit ad eos. In Ramoth Gálaad ad belländum ire debémus an quiéscere? At illi; Ascénde, ínquiunt: & tradet Deus in manu regis. Dixítque Jósaphat. Numquid non est hic prophétes Dómini; ut ab illo étiam requirámus? Et ait rex Israël ad Jósaphat: est vir unus à quo póssumus quærere Dómini voluntátem; sed ego odi eum: quia non prophétat mihi bonum, sed malum omni témpore. Est autem Michæas filius Jemla. Dixítque Jósaphat: Ne loquáris rex hoc modo.

℟. Audi Dómine. 335.

Lectio iij.

VOcávit ergo rex Israël unum de Eunúchis: & dixit ei. Vocacitò Michæam filium Jemla. Porrò

rò rex Israël, & Jósaphat rex Juda, utérque sedébant in sólio suo vestíti cultu régis; sedébant autem in área juxta portam Samaríæ: omnésque prophétæ vaticinabántur coram eis. Sedécias verò filius Chanáana fecit sibi córnua férrea; & ait: Hæc dicit Dóminus. His ventilábis Syriam: donec cónteras eam. Omnésque prophétæ similiter prophetábant, atque dicébant; Ascénde in Ramoth Gálaad, & prosperáberis: & tradet eos Dóminus in manu regis.

℟. Dómine si convérsus. 335.

FERIA QUINTA.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 18.

NUntius autem qui íerat ad vocándum Michæam: ait illi. En verba ómnium prophetárum uno ore bona regi annúntiant; quæso ergo te, ut & sermo tuus ab eis non disséntiat: loquarísque próspera. Cui respóndit Michæas. Vivit Dóminus; quia quodcúmque díxerit mihi Deus meus: hoc loquar. Venit ergo ad regem: Cui rex ait. Michæa; ire debémus in Ramoth Gálaad ad bellándum, an quiéscere? Cui ille respondit. Ascéndite; cuncta enim próspera evénient: & tradéntur hostes in manus vestras. Dixítque rex. Iterùm atque íterùm te adjúro; ut mihi non loquáris, nisi quod verum est: in nómine Dómini.

℟. Præparáte corda. 331.

Lectio ij.

AT ille ait. Vidi univérsum Israël dispérsum in móntibus; sicut oves absque pastóre: & dixit Dóminus. Non habent isti Dóminos: revertátur unusquísque in domum suam in pace. Et ait rex Israël ad Jósaphat. Nonne dixi tibi; quòd non prophetáret iste mihi quidquam boni: sed ea quæ mala sunt? At ille, Idcircò, ait. Audíte verbum Dómini; Vidi Dóminum sedéntem in sólio suo: & omnem exércitum cœli assisténtem ei à dextris & à sinístris. Et dixit Dóminus. Quis decípiet Achab regem Israël, ut ascéndat & córruat in

Ramoth Gálaad? Cùmque díceret unus hoc modo; & alter álio: procéssit spíritus & stetit coram Dómino, & ait. Ego decípiam eum. Cui Dóminus. In quo, inquit, decípies?

℟. Dóminus qui erípuit. 332.

Lectio iij.

AT ille respóndit. Egrédiar; & ero spíritus mendax: in ore ómnium prophetárum ejus. Dixítque Dóminus; Decípies, & prævalébis; egrédere: & fac ita. Nunc ígitur; Ecce Dóminus dedit spíritum mendácij in ore ómnium prophetárū tuórum: & Dóminus locútus est de te mala. Accéssit autem Sedécias filius Chanáana, & percússit Michææ maxíllam: & ait. Per quam viam transívit spíritus Dómini à me: ut loquerétur tibi.

℟. Percússit Saül. 332.

FERIA SEXTA.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 19.

REvérsus est autem Jósaphat rex Juda in domum suam pacíficè in Jerúsalem. Cui occúrrit Jehu filius Hánani videns: & ait ad eum. Impio præbes auxílium; & his qui odérunt Dóminum amicítiâ júngeris? & idcírcò iram quidem Dómini merebáris. Sed bona ópera invénta sunt in te, eò quòd abstúleris lucos de terrâ Juda: & præparáveris cor tuum ut requíreres Dóminum Deum patrum tuórum. Habitávit ergo Jósaphat in Jerúsalem; rursúmque egréssus est ad pópulum de Bersabee usque ad montem Ephraïm: & revocávit eos ad Dóminum Deum patrum suórum.

℟. Montes Gélboë. 333.

Lectio ij. Cap. 29.

EZéchias regnáre cœpit, cùm vigintiquínque esset annórum; & vigintinóvem annis regnávit in Jerúsalem: nomen matris ejus Abia filia Zacharíæ. Fecítque quod erat plácitum in conspéctu Dómini: juxta ómnia quæ fécerat David pater ejus. Ipse, anno & mense primo regni sui; apéruit valvas domûs Dómini: & instaurávit eas. Adduxítque Sacerdótes atque Levítas: & congregávit

gregávit eos in platéam Orientálem.

℟. Deus ómnium. 334.

Lectio ij.

DIxítque ad eos. Audíte me Levítæ, & sanctificámini; mundáte domum Dómini Dei patrum vestrórum: & auférte omnem immundítiam de sanctuário. Peccavérunt patres nostri, & fecérunt malum in conspéctu Dómini Dei nostri; derelinquéntes eum; avertérunt fácies suas à tabernáculo Dómini: & præbuérunt dorsum. Clausérunt óstia, quæ erāt in pórticu, & extinxérunt lucérnas; incensúmque non adolevérunt: & holocáusta non obtulérunt in sanctuário Deo Israël. Concitátus est ítaque furor Dómini super Judam & Jerúsalem, tradidítque eos in commotiónem; & in intéritum; & in síbilum: sicut ipsi cérnitis óculis vestris.

℟. Ego te tuli. 334.

SABBATO.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 29.

EN, corruérunt patres nostri gládiis, filij nostri; & filiæ nostræ; & cónjuges captívæ ductæ sunt: propter hoc scelus. Nunc ergo placet mihi ut ineámus fœdus cum Dómino Deo Israël: & avértet à nobis furórem iræ suæ. Fílij mei nolíte neglígere; vos elégit Dóminus ut stetis coram eo, & ministrétis illi, colatísque eum: & cremétis ei incénsum. Surrexérunt ergo Levítæ; Mahath filius Amásaï, & Joël filius Azáriæ de filiis Caath. Porrò de filiis Merári, Cis filius Abdi: & Azárias filius Jaláleël. De filiis autem Gersom, Joah filius Zemma: & Eden filius Joah.

Lectio ij.

COngregavérunt fratres suos; & sanctificáti sunt, & ingréssi sunt juxta mandátum Regis & impérium Dómini: ut expiárent domum Dei. Sacerdótes quoque ingréssi templum Dómini ut sanctificárēt illud; extulérunt omnem immundítiam, quam intrò repérerant in vestíbulo domûs Dómini; quam túlerant Levítæ: & asportavérūt ad Torréntem Cedron foras. Cœpérunt au-

tem primâ die mensis primi mundáre, & in die octávo ejúsdem mensis ingressi sunt pórticum templi Dómini; expiaverúntque templum diébus octo: & in die sextadécima mensis ejúsdem, quod cœperant implevérunt. Ingréssi quoque sunt ad Ezéchiam regem: & dixérunt ei. Sanctificávimus omnem domum Dómini, & altáre holocáusti; vasáque ejus: necnon & mensam propositiónis cum ómnibus vasis suis.

Lectio iij.

APplicuérũt hircos pro peccáto, coram rege & univérsa multitúdine, imposuerúntque manus suas super eos; & immolavérunt illos sacerdótes, & aspersérunt sánguinem eórum coram altáre pro piáculo univérsi Israélis: pro omni quippe Israël præcéperat rex ut holocáustum fieret, & pro peccáto. Constítuit quoque Levítas in domo Dómini; cum cymbalis, & psaltériis, & cítharis, secúndùm dispositiónem David regis; & Gad vidéntis, & Nathan Prophétæ: siquidem Dómini præcéptum fuit per manum Prophetárum ejus. Steterúntque Levítæ tenéntes órgana David: & Sacerdótes tubas.

SABBATO.

Ante Dominicam primam Augusti: Ea autem dicitur prima Dominica mensis, quæ est Kalendis, vel proximior Kalendis illius mensis: ita ut, si Kalendæ fuerint ij. iij. & iv. Feria, tunc prima Dominica mensis in qua liber Scripturæ inchoandus ponitur, est ea quæ præcedet Kalendas. Sin autem v. & vj. Feria, vel Sabbato, est ea quæ sequitur. Et in Sabbato præcedenti ad Magníficat, *ponitur Aña illius historiæ; omissa alia quæ forte occurreret.*

Responsoria verò illius libri, si propter aliquod Festum novem Lectionum occurrens in Dominica in quo primo ponenda erant, dici non possint. Primo die infra Hebdomadam quo fit de Feria ponuntur Responsoria Primi Nocturni Dominicæ, omissis aliis Responsoriis, quæ illa Feria dicenda essent.

Ad Magnificat, Antiph. Sapiéntia ædificávit sibi domum excídit colúmnas septem, súbdidit sibi gentes, superbórum & sublímium colla própria virtúte calcávit.

Ad primam Processionem.

℟. j. Audi fili mi disciplínam patris tui; & ne dimíttas legem matris tuæ, ut multiplicéntur tibi anni vitæ.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus, ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundā Processionem.

℟. ij. Avérsio parvulórum intérficiet eos, & prospéritas stultórum pérdet illos. Qui autem me audíerit, absque terróre quiéscet.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas, Dómine, semper à nobis iniquitátes repélle: ut ad viam salútis ætérnæ secúra mente currámus. Per Dóminum.

DOMINICA PRIMA. *Augusti.*

Ponuntur libri Salomonis & legitur de eis usque ad Dominicam primam Septembris, in choro prima Lectio de Prologo. Incipiénte Chromátio, & Heliodóro. *Pro secunda, initium libri Parabolarum.*

In primo Nocturno.

Incípiunt Parábolæ Salomónis.

Lectio j. Cap. 1.

PArábolæ Salomónis, filij David, Regis Israël. Ad sciéndam sapiéntiam & disciplínam; ad intelligénda verba prudéntiæ, & suscipiéndam eruditiónem doctrínæ: justítiam, & judícium, & æquitátem; ut detur párvulis astútia, adolescénti sciéntia: & intelléctus. Audiens sapiens, sapiéntior erit: & intélligens, gubernácula possidébit. Animadvértet parábolam, & interpretatiónem; verba sapiéntum: & ænígmata eórum.

℟. Audi fili mi disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ: * Ut multiplicéntur tibi anni vitæ. ℣. Fili mi ne oblivíscáris legis meæ, & præcépta mea custódiat cor tuum. Ut.

Lectio ij.

TImor Dómini, princípium sapiéntiæ. Sa-

piéntiam atque Doctrínam stulti despíciunt. Audi, fili mi, disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ; ut addátur grátia cápiti tuo: & torques collo tuo. Fili mi, si te lactáverint peccatóres: ne acquiéscas eis. Si dixérint: Veni nobíscum, insidiémur sánguini; abscondámus tendículas contra insóntem frustrà: deglutiámus eum sicut inférnus vivéntem, & íntegrum quasi descendéntem in lacum. Omnem pretiósam substántiam reperiémus: implébimus domos nostras spóliis. Sortem mitte nobíscum: marsúpium unum sit ómnium nostrûm.

℟. Avérsio parvulórum interficiet eos, & prospéritas stultórum perdet illos. * Qui autem me audíerit absque terróre quiéscet.

℣. Impij verò de terra perdéntur; & qui iníquè agunt auferéntur ex ea. Qui autem.

Lectio iij.

FIli mi, ne ámbules cum eis: próhibe pedem tuum à sémitis eórum. Pedes enim illórum ad malum currunt; & festínant ut effúndant sánguinem. Frustrà autem jácitur rete ante óculos pennatórum. Ipsi quoque contra sánguinem suum insidiántur: & moliúntur fraudes contra ánimas suas. Sic sémitæ omnis avári: ánimas possidéntium rápiunt.

℟. Fili noli deficere à disciplínâ Dómini, neque fatigéris, dum ab eo argúeris: * Quem enim díligit Dóminus córripit, & quasi pater in filio cómplacet sibi. ℣. Tene disciplínam ne dimíttas eam, custódi illam quia ipsa est vita tua. Quem enim. Glória Patri. Quem enim.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbátis. *De vita & moribus* Clericorum. Cap. 10.

Lectio iv.

LEgimus in libris Parabolárum Salomónis: extréma gáudij luctus óccupat. Quid dicémus ad hæc? si talis finis & tale judícium, ut extréma gáudij luctus óccupet; numquid non præferénda sunt in hoc sæculo mala bonis? quippe nec illa vera bona: nec ista vera mala esse, manifféstum est. Vera pótius senténtia

sententia Salomonis. Melius est ire ad domum luctùs: quàm ad domum convivij. Cæterùm si sic cruciándi sunt qui in vita sua bona recéperint, & habéntibus consolatiónem præséntem, væ repósitum est sempitérnum; cùm in superióribus invénti sint áliqui de sapiéntia carnis sciéntes in ómnibus & per ómnia reprobáre malum; & elígere bonum: Quisnam eórum póterit esse finis. Si secúndùm multitúdinem consolatiónum suárum dolóres apprehénderint ánimas miserórum? cónsequens enim vidétur, ut bona ómnia, & omnem sæculi hujus recipiéntes consolatiónem; illos univérsum væ: & univérsi máneant cruciátus. Et illud æquè ex eâdem Abrahæ senténtia conjiciéndum vidétur; eos, qui contrário ducti spíritu, vitæ præséntis ómnia bona respuunt, & éligunt mala: ómnia quæque bona Dómini, & omnem habitúros consolatiónem?

℟. Præbe fili cor tuum mihi, & óculi tui vias meas custódiant: * Ut addátur grátia cápiti tuo. ℣. Audi, fili mi, disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ. Ut.

Lectio v.

NImírum ad imáginem Dei facta ánima rationális; cæteris ómnibus occupári potest: repléri omnínò non potest. Capácem Dei, quidquid Deo minus est: non implébit. Indè est, quòd naturáli quidem desidério summum quivis probátur appétere bonum: nullam, nisi adépto eo, réquiem habitúrus. Cæterùm errant míseri non inveniéntes viam: & ut scriptum est, Ambulant ímpij in circúitu, dum minóra quæque bona quæréntes; illud semper desíderant: quod sibi vicínius necdum vidéntur adépti. Atque útinam si fieri posset, cætera ómnia obtinuísset unus; eodémque proculdúbio & ipsũ quod sibi solum deésse vidéret summum útique bonum desidério quæsitúrus: quo cætera quoque semper expetit non adépta. *

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abyssos consti-

túeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum, ántequam montes collocaréntur, * Ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram. Ante omnes.

Lectio vi.

SEd innúmera sunt hæc: & à cæteris quoque páriter requirúntur. Quod vult quisque trahit in partem: nec aliquándo póterit hic circúitus peragrári. Vis perveníre: íncipe transilíre. Alióquin proripiéris miser in desidério terrenórum; & à summo bono eò lóngiùs inveniéris: quò te ámpliùs déderis cadúcis rebus & transitóriis appeténdis. In circúitu síquidem ámbulas; & quod propè erat in corde & in ore tuo, si corde créderes & ore confiteréris: terga vertens declínas & elongáris ab eo. Hinc est quòd vociferátur spíritus dicēs: Convertímini fílij hóminum. Et item, Revértere, revértere Sunamítis; revértere, revértere: ut intueámur te. Anfractuósa síquidem via est, & inambulábilis; faciliúsque perveníes sprетis ómnibus: quàm adéptis.

℟. Gyrum cœli circuívi sola, & in flúctibus maris ambulávi, in omni gente & in omni pópulo primátum ténui. * Superbórum ac sublímium colla própriâ virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis habitávi, & thronus meus in colúmna nubis. Superbórum. Glória Patri. Superbórum.

℟. vij. Magna enim sunt judícia tua Dómine, & inenarrabília verba tua, magnificásti pópulum tuum: * Et honorásti. ℣. Sicut enim equi depavérunt, & sicut agni exultavérunt, magnificántes te Dómine, qui liberásti eos. Et honorásti.

℟. viij. Da mihi Dómine sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis: * Quóniam servus tuus sum ego, & filius ancíllæ tuæ. ℣. Scit enim illa ómnia & intélligit, & dedúcet me in opéribus meis sobriè. Quóniam.

℟. ix. Emítte Dómine sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ: * Ut mecum sit, & mecum labóret & sciam quid

quid accéptum sit coram te omni témpore ℣. Mitte illam de sanctis cœlis tuis, & à sede magnitúdinis tuæ, Ut mecum.

Te Deum laudámus.

Post Vesperas ad primam Processionem.

℟. j. Verbum iníquum & dolósum longè fac à me Dómine: * Divítias & paupertátes non déderis mihi, sed tantùm victui meo tribue necessária.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundam Processionem.

℟. ij. O Crux benedícta quæ sola fuísti digna portáre Regem cœlórum & Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

REspice quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam; pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium: & crucis subíre torméntum. Qui tecum vivit, & regnat, &c.

FERIA SECUNDA.
De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 3.

FIli mi, ne obliviscáris legis meæ, & præcépta mea cor tuum custódiat; longitúdinem enim diérum, & annos vitæ: & pacem appónent tibi. Misericórdia & véritas te non déserant; circúmda eas gútturi tuo, & describe in tábulis cordis tui: & invénies grátiam & disciplínam bonam coram Deo & homínibus. Habe fidúciam in Dómino ex toto corde tuo: & ne innitáris prudéntiæ tuæ. In ómnibus viis tuis cógita illum: & ipse díriget gressus tuos.

℟. Verbum iníquum & dolósum longè fac à me Dómine.* Divítias & paupertátes non déderis mihi, sed tantùm victui meo tribue necessária. ℣. Extolléntiam oculórum meórũ ne dederis mihi, & omne desidérium pravum avérte à me. Divítias.

Lectio ij.

NE sis sápiens apud temetípsum; time Deum & recéde à malo: sánitas quippe erit umbilíco tuo, & irrigátio óssium

tuórum. Honóra Dóminum de tua substántia, & de primítiis ómnium frugum tuárum da ei; & implebúntur hórrea tua saturitáte: & vino torculária tua redundábunt.

℟. Ne derelínquas me Dómine Pater & Dominátor vitæ meæ, ut non córruam in conspéctu adversariórum meórum. * Ne gáudeat de me inimícus meus. ℣. Apprehénde arma & scutum, & exúrge in adjutórium mihi. Ne gáudeat.

Lectio iij.

DIsciplínam Dómini, fili mi, ne abjícias: nec deficias cùm ab eo corríperis; quem enim díligit Dóminus, córripit: & quasi pater in filio cómplacet sibi. Beátus homo, qui invénit sapiéntiam, & qui áffluit prudéntia; mélior est acquisítio ejus negotiatióne argénti, & auri primi, & puríssimi fructus ejus: pretiósior est cunctis ópibus, & ómnia quæ desiderántur, huic non valent comparári.

℟. Dñe pater, & Deus vitæ meæ ne derelínquas me in cogitátu malígno, extolléntiam oculórũ meórũ ne déderis mihi, & desidérium malígnum avérte à me Dómine: aufer à me concupiscéntiam: * Et ánimæ irreverénti & infrunítæ ne tradas me Dñe. ℣. Dño rogávi te, ne déneges mihi ántequam móriar, vanitátem & verba mendácij longè fac à me. Et ánimæ. Glória Patri. Et ánimæ.

FERIA TERTIA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 5.

FIli mi, atténde ad sapiéntiam meam; & prudéntiæ meæ inclína aurem tuam: ut custódias cogitatiónes, & disciplínam lábia tua consérvent. Ne atténdas falláciæ mulíeris. Favus enim distíllans lábia meretrícis: & nitídius óleo guttur ejus. Novíssima autem illíus amára quasi absynthium: & acúta quasi gládius biceps. Pedes ejus descéndunt in mortem: & ad ínferos gressus illíus pénetrant. Per sémitam vitæ non ámbulant; vagi sunt gressus ejus: & investigábiles.

℟. Præbe fili. 345. *Lect. ij.*

NUnc ergo fili mi, audi me: & ne recédas à verbis oris mei. Longè fac

fac ab ea viam tuam: & ne appropínques fóribus domus ejus. Ne des aliénis honórem tuum, & annos tuos crudéli; ne fortè impleántur extránei víribus tuis, & labóres tui sint in domo aliéna: & gemas in novíssimis; quando consúmpseris carnes tuas & corpus tuum: & dicas. Cur detestátus sum disciplínam, & increpatiónibus non acquiévit cor meum; nec audívi vocem docéntium me: & magístris non inclinávi aurem meam?

℟. In princípio. 345.

Lectio iij.

QUare sedúceris, fili mi, ab aliéna, & fovéris in sinu altérius; réspicit Dóminus vias hóminis: & omnes gressus ejus consíderat. Iniquitátes suæ cápiunt ímpium: & fúnibus peccatórum suórum constríngitur. Ipse moriétur; quia non hábuit disciplínam: & in multitúdine stultítiæ suæ decipiétur.

℟. Gyrum cœli. 345.

FERIA QUARTA.

Lect. j. Cap. 8.

NUmquid non sapiéntia clámitat; & prudéntia dat vocem suam: in summis excelsísque vertícibus supra viam; in médiis sémitis stans, juxta portas civitátis in ipsis fóribus lóquitur, dicens: O viri, ad vos clámito: & vox mea ad filios hóminum. Intellígite párvuli astútiam: & insipiéntes animadvértite. Audíte quóniam de rebus magnis locutúra sum, & aperiéntur lábia mea: ut recta prædicent.

℟. Magna enim sunt. 346.

Lectio ij.

VEritátem meditábitur guttur meum: & lábia mea detestabúntur ímpium. Justi sunt omnes sermónes mei; non est in eis pravum quid: neque pervérsum. Recti sunt intelligéntibus: & æqui inveniéntibus sciéntiam. Accípite disciplínam meam; & non pecúniam: doctrínam magis quàm aurum elígite. Mélior est enim sapiéntia cunctis pretiosíssimis: & omne desiderábile ei non potest comparári.

℟. Da mihi Dómine. 346.

Lectio iij.

EGo sapiéntia, hábito in consílio, & erudítis intérsum cogitatiónibus.

Timor

Timor Dómini odit malum; arrogántiam, & supérbiam, & viam pravam: & os bilíngue detéstor. Meum est consílium, & æquitas; mea est prudéntia, mea est fortitúdo; per me reges regnant: & legum conditores justa decérnunt. Per me príncipes ímperant: & poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo; & qui manè vígilant ad me: invénient me.

℟. Emítte Dómine. 346.

FERIA QUINTA.

De Parábolis Salomónis

Lectio j. Cap. 10.

Filius sápiens lætíficat patrem: filius vero stultus mœstítia est matri suæ. Nil próderunt thesáuri impietátis: justítia verò liberábit à morte. Non affliget Dóminus fame ánimam justi: & insídias impiórum subvértet. Egestátem operáta est manus remíssa: manus autem fórtium divítias parat. Qui nítitur mendáciis; hic pascit ventos: idem autem ipse séquitur aves volántes. Qui cóngregat in messe; filius sápiens est: qui autem stertit æstáte, filius confusiónis.

℟. Audi fili mi. 353.

Lectio ij.

Benedíctio Dómini super caput justi: os autem impiórum óperit iníquitas. Memória justi cum láudibus: & nomen impiórum putréscet. Sápiens corde præcépta súscipit: stultus cæditur lábiis. Qui ámbulat simplíciter; ámbulat confidénter: qui autem deprávat vias suas, maniféstus erit. Qui ánnuit óculo; dabit dolorem: & stultus lábiis verberábitur.

℟. Avérsio parvulórū. 353.

Lectio iij.

Vena vitæ, os justi: & os impiórum óperit iniquitátem. Odium súscitat rixas: & univérsa delícta óperit cháritas. In lábiis sapiéntis invenítur sapiéntia: & virga in dorso ejus qui índiget corde. Sapiéntes abscóndunt sciéntiam: os autem stulti confusióni próximum est. Substántia dívitis, urbs fortitúdinis ejus; pavor páuperum: egéstas eórum. Opus justi ad vitam: fructus autem ímpii ad peccátum.

℟. Fili noli deficere. 354.

FERIA

FERIA SEXTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 14.

SApiens múlier ædíficat domum suam: insípiens extrúctam quoque mánibus déstruet. Ambulans recto itínere, & timens Deum; despícitur ab eo, qui infámi gráditur via. In ore stulti virga supérbiæ: lábia autem sapiéntium custódiunt eos. Ubi non sunt boves, præsépe vácuum est: ubi autem plúrimæ ségetes, ibi manifésta est fortitúdo bovis. Testis fidelis non mentítur: profert autem mendácium dolósus testis.

℟. Præbe fili cor tuũ. 354.

Lectio ij.

QUærit derísor sapiéntiam; & non invenit: doctrina prudéntium fácilis. Vade contra virum stultum: & nescit lábia prudéntiæ. Sapiéntia cállidi est intellígere viam suam: & imprudéntia stultórum errans. Stultus illúdet peccátum: & inter justos morábitur grátia. Cor quod novit amaritúdinem ánimæ suæ: in gáudio ejus non miscébitur extráneus. Domus impiórum delébitur: tabernácula verò justórum germinábunt.

℟. In princípio Deus 355.

Lectio iij.

EST via, quæ videtur hómini justa: novíssima autem ejus dedúcunt ad mortem. Risus dolóre miscébitur: & extréma gáudii luctus óccupat. Viis suis replébitur stultus: & super eum erit vir bonus. Innocens credit omni verbo: astútus consíderat gressus suos. Fílio dolóso nihil erit boni: servo autem sapiénti, prósperi erunt actus: & dirigétur via ejus. Sápiens timet; & déclinat à malo: stultus tránsilit & confídit.

℟. Gyrum cœli 356.

SABBATO.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 16.

HOminis est ánimam præparáre: & Dómini gubernáre linguam. Omnes viæ hóminis patent óculis ejus: spirítuum ponderátor est Dóminus. Revéla Dómino ópera tua: & dirigéntur cogitatiónes tuæ. Univérsa propter semetípsum operátus est Dóminus: ímpium quoque ad diem malum. Abominátio

minátio Dómini est omnis árrogans; etiámsi manus ad manum fúerit: non est ínnocens.

Lectio ij.

INítium vitæ bonæ, fácere justítiam; accépta est autem apud Deum magis: quàm immoláre hóstias. Misericórdiâ & veritáte redímitur iníquitas: & in timóre Dómini declinátur à malo. Cùm placúerint Dómino viæ hóminis: inimícos quoque ejus convértet ad pacem. Mélius est parùm cum justítia: quàm multi fructus cum iniquitáte. Cor hóminis dispónit viam suam: sed hóminis est dirígere & gressus ejus.

Lectio iij.

DIvinátio in lábiis regis: in judício non errábit os ejus. Pondus & statéra judícia Dómini sunt: & ópera ejus omnes lápides sácculi. Abomináb iles regi qui agunt ímpiè: quóniam justítiâ firmátur sólium. Volúntas regum lábia justa; qui recta lóquitur: dirigétur. Indignátio regis, núntij mortis: & vir sápiens placábit eam. In hilaritáte vultûs regis, vita: & cleméntia ejus quasi imber serótinus.

Ad Magnificat, Aña. Ego in altíssimis hábito & thronus meus in colúmna nubis.

Ad primam Processionem.

℟. Audi fili mi, disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ, ut multiplicéntur tibi anni vitæ.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus, omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dñm.

Ad secundam Processionem.

℟. ij. Avérsio parvulórum interfíciet eos & prospéritas stultórum perdet illos.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas, Dómine, semper à nobis iniquitátes repélle: ut ad viam salútis ætérnæ secúrâ mente currámus. Per Dóminum.

DOMINICA II. *Augusti.*

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ecclesiástes.

Lectio j. Cap. 1.

VErba Ecclesiástæ, filij David, regis Jerúsalem.

lem. Vánitas vanitátum; dixit Ecclesiástes: vánitas vanitátum, & ómnia vánitas. Quid habet ámplius homo de univérso labóre suo, quo labórat sub sole? Generátio præterit; & generátio ádvenit: terra autem in ætérnum stat. Oritur sol, & óccidit; & ad locum suum revértitur: ibíque renáscens, gyrat per merídiem, & fléctitur ad Aquilónem; lustrans univérsa in circúitu pergit spíritus: & in círculos suos revértitur. Omnia flúmina intrant in mare; & mare non redúndat: ad locum undè éxeunt flúmina, revertúntur ut íterùm fluant.

℟. Audi, fili mi, disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ. * Ut multiplicéntur tibi anni vitæ. ℣. Fili mi, ne oblivíscáris legis meæ, & præcépta mea custódiat cor tuum. Ut multiplicéntur.

Lectio ij.

CUnctæ res difficiles: non potest eas homo explicáre sermóne. Non saturátur óculus visu: nec auris audítu implétur. Quid est quod fuit? ipsum quod futúrum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciéndum est: nihil sub sole novum; nec valet quisquam dícere: Ecce hoc recens est. Jam enim præcéssit in sæculis: quæ fuérunt ante nos. Non est priórum memória; sed nec eórum quidem, quæ póstea futúra sunt: erit recordátio apud eos qui futúri sunt in novíssimo.

℟. Avérsio parvulórum interfíciet eos, & prospéritas stultórum perdet illos. * Qui autem me audíerit absque erróre quiéscet. ℣. Impij verò de terra perdéntur, & qui iníquè agunt auferéntur ex ea. Qui autem.

Lectio iij.

EGo Ecclesiástes fui rex Israël in Jerúsalem: & propósui in ánimo meo quærere, & investigáre sapiénter de ómnibus: quæ fiunt sub sole. Hanc occupatiónem péssimam dedit Deus fíliis hóminum: ut occuparéntur in ea. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole; & ecce univérsa vánitas: & afflíctio spíritûs. Pervérsi difficile corrigúntur: & stultórum infinítus est númerus. Locútus sum in corde

corde meo, dicens. Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapiéntia; qui fuérunt ante me in Jerúsalem: & mens mea contempláta est multa sapiénter & dídici. Dedíque cor meum ut scírem prudéntiam atque doctrínam: erroréſque & stultitiam.

℟. Fili noli deficere à disciplína Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris. * Quem enim diligit Dóminus, córripit & quasi pater in filio cómplacet sibi. ℣. Tene disciplínam nec dimíttas eam, custódi illam quia ipsa est vita tua. Quem enim. Glória Patri. Quem enim.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Epistol. Paranatica ad Valerianum.

Lectio iv.

QUid divítiæ nisi vánitas vanitátum? quid in se voluptátis habent quarum est & mísera posséssio: & incérta transmíssio? Quo dévius ac præceps hóminum amor ráperis? Scis ea quæ tibi obvéniunt dilígere: & ipsum te dilígere nescis. Foris est quod amas; extra te est quod concupíscis. Revértere pótiùs in te ut sis tibi tu chárior quàm tua. Certè si ad te quíspiam rerum haud ignárus accédat; malis ipsum te amet: quàm ista quæ tecum sunt: idque éliges ut ille vitæ tuæ, pótiùs: quàm ópibus tuis affectum suum cónferat. Vis hunc hómini fidem serváre non rebus. Quod tibi tribúere velis álium: ipse hoc tibi, qui es tibi fidíssimus, tríbue. Nos pótiùs nos amémus quàm nostra.

℟. Præbe, fili, cor tuum mihi, & óculi tui vias meas custódiant. * Ut addátur grátia cápiti tuo. ℣. Audi, fili mi, disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ. Ut addátur.

Lectio v.

IN honóribus hujus mundi quid adhuc nisi vánitas vanitátum? nam ut cætera táceam; quæ æstimári dignitas potest rerum: cùm ad hanc promíscuè cum bonis mali ambitióne conscéndant. Et non uníus mériti viros unus honor ámbiat. Dignósque & indignos

dignos non jam discérnat dignitas ; sed confúndat. Ita, quæ melióres deterióribus præférre debébat ; æquáre cœpit. Novóque modo óptimi ac péssimi, viri nusquam ferè minus discrimen est ; quàm in honóre. Nonne honor major est hujúsmodi honóre; inhonórum esse malle ; ac suis magis móribus quàm promíscuis honóribus æstimári ? Atque hæc ipsa utcúmque se habent ; quàm transvolántia quàm cadúca sunt. Nonne vídimus nuper viros honóre conspícuos celsárum dignitátum insedísse fastígiis, & diffúso usquequáque censu per orbem patrimónia tetendísse ; cupiditátes succéssibus vícerant ; rebus vota transcénderant ; ecce eórum ille ámbitus nusquam est ; affluentíssimæ quoque opes abiérunt; transiérunt ; ipsi tantárum opum Dómini.

℟. In princípio Deus, ántequàm terram fáceret, priúsquam abyssos constitúeret, priúsquàm prodúceret fontes aquárum, ántequàm omnes montes collocaréntur. * Ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram. Ante omnes.

Lectio vj.

QUid adhuc in ómnibus homínibus nisi vánitas vanitátum ? Quid, quæso, nihil ita quotídie hómines ut mortem vident ; nihil ita oblivíscúntur ut mortem? Agitur humánum genus rápidâ in occásu mortalitáte ; omnísque postéritas succedéntium sæculórum lege decúrrit; patres nostri præteriérunt ; nos abíbimus ; pósteri sequéntur. Velut ex alto, undárum jactus áliis atque áliis superveniéntibus, in líttoris extréma frangúntur ; ita in términum mortis succíduæ ; allidúntur ætátes. Hæc nos considerátio diébus ac nóctibus, hæc nos conditiónis nostræ memória circúmstrepat; meditémur assíduè quòd ómnia sint vánitas vanitátum ;honor; divítiæ; amíci; paréntes; creatúræ; quidquid in mundo vidétur ; débitum vitæ finem jam jamque affutúrum putémus ; qui nobis tantó magis

magis appropinquábit: quantò magis veníre differet. Vicínum sperémus diem: quem longínquum esse nescímus. Præparémus ut scriptum est, ad éxitum vias nostras. Si cogitámus ista; si ista meditámur; non timébimus mortem: timéndo.

℟. Gyrum cœli circuívi sola, & in flúctibus maris ambulávi, in omni gente & in omni pópulo primátum ténui. * Superbórum ac sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, & thronus meus in colúmna nubis. Superbórum.

℟. vij. Magna enim sunt judícia tua Dómine, & inenarrabília verba tua: magnificásti pópulum tuum, * Et honorásti. ℣. Sicut enim equi depavérũt & sicut agni exultavérunt magnificántes te Dñe, qui liberásti eos. Et honorásti.

℟. viij. Da mihi Dómine sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis. * Quóniam sérvus tuus sum ego, & fílius ancíllæ tuæ. ℣. Scit enim illa ómnia & intélligit, & dedúcet me in óperibus meis sóbriè. Quóniam.

℟. ix. Emítte Dómine sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ. * Ut mecum sit & mecum labóret, & sciam quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Mitte illam de sanctis cœlis tuis, & à sede magnitúdinis tuæ. Ut. Te Deum.

Post Vesperas ad primam Processionem.

℟. Verbum iníquum & dolósum longè fac à me Dómine.* Divítias & paupertátes ne déderis mihi, sed tantùm víctui meo tríbue necessária.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus, omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminũ.

Ad 2. Processionem.

O crux benedícta, quæ sola fuísti digna portáre Regem cœlórum & Dñm.

Orémus. *Oratio.*

REspice quæsumus Dómine super hanc famíliam tuam; pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium: & crucis

crucis subíre torméntum. Qui tecum.

FERIA SECUNDA.

De libro Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 2.

DIxi ego in corde meo. Vadam ; & áffluam delíciis : & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vánitas. Risum reputávi errórem ; & gáudio dixi : Quid frustrà decíperis? Cogitávi in corde meo abstráhere à vino carnem meam ; ut ánimum meum transférrem ad sapiētiam : devitarémque stultítiam ; donec vidérem quid esset útile filiis hóminum : quo facto opus est sub sole número diérum vitæ suæ Magnificávi ópera mea ; ædificávi mihi domos : & plantávi víneas.

℞. Verbum iníquum & dolósum longè fac à me Dómine , * Divítias & paupertátes ne déderis mihi , sed tantùm víctui meo tríbue necessária. ℣. Extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi , & omne desidérium pravum avérte à me. Divítias.

Lectio ij.

POssédi servos & ancíllas , multámque famíliam hábui ; arménta quoque , & magnos óvium greges , ultra omnes qui fuérunt ante me in Jerúsalem : coacervávi mihi argéntum, & aurum, & substántias regum, ac provinciárum ; feci mihi cantóres & cantatríces , & delícias filiórum hóminum ; scyphos & úrceos in ministério ad vina fundénda : & supergréssus sum ópibus omnes ; qui ante me fuérunt in Jerúsalem : sapiéntia quoque persevérávit mecum,

℞. Ne derelínquas me Dómine Pater & Dominátor vitæ meæ, ut non córruam in conspéctu adversariórum meórum. * Ne gáudeat de me inimícus meus. ℣. Apprehénde arma & scutum , & exúrge in adjutórium mihi. Ne gáudeat.

Lectio iij.

ET ómnia quæ desideravérunt óculi mei ; non negávi eis ; non prohíbui cor meum quin omni voluptáte fruerétur , & oblectáret se in his quæ præparáveram : & hanc ratus sum partem meam, si úterer labóre meo. Cùmque

que me convertíssem ad univérsa ópera, quæ fecérunt manus meæ; & ad labóres in quibus frustrà sudáveram: vidi in ómnibus vanitátem, & afflictiónem ánimi, & nihil permanére sub sole.

℟. Dñe pater & Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno; extolléntiã oculórum meórũ ne déderis mihi, & desidérium malígnũ avérte à me Dñe: aufer à me concupiscéntiã. * Et ánimæ irreverénti & infrunitæ ne tradas me Dómine. ℣. Duo rogávi te ne déneges mihi ántequam móriar. Vanitátem & verba mendácij longè fac à me. Et ánimæ.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 3.

OMnia tempus habent: & suis spátiis tránseunt univérsa sub cœlo. Tempus nascéndi & tempus moriéndi. Tempus plantándi: & tempus evelléndi quod plantátum est. Tempus occidéndi: & tempus sanándi. Tempus destruéndi: & tempus ædificándi. Tempus flendi: & tempus ridéndi. Tempus plangéndi: & tempus saltándi. Tempus spargéndi lápides: & tempus colligéndi. Tempus amplexándi: & tempus longè fieri ab ampléxibus. Tempus acquiréndi: & tempus perdéndi. Tempus custodiéndi: & tempus abjiciéndi. Tempus scindéndi: & tempus consuéndi: Tempus tacéndi: & tempus loquéndi. Tempus dilectiónis: & tempus ódij. Tempus belli: & tempus pacis.

℟. Præbe fili. 354.

Lectio ij.

QUid habet ámplius homo de labóre suo? Vidi afflictiónem quam dedit Deus filiis hóminum: ut distendántur in ea. Cuncta fecit bona in témpore suo, & mundum trádidit disputatióni eórum; ut non invéniat homo opus: quod operátus est Deus ab inítio usque ad finem. Et cognóvi quòd non esset mélius nisi lætári: & fácere benè in vita sua. Omnis enim homo, qui cómedit & bibit; & videt bonum de labóre suo: hoc donum Dei est.

℟. In princípio. 355.

Lectio iij.

DIdici quòd ómnia ópera quæ fecit Deus, persevérent in perpétuum; non póssumus eis quidquã áddere, nec auférre: quæ fecit Deus ut timeátur. Quod factum est, ipsum pérmanet; quæ futúra sunt jam fuérunt: & Deus instáurat quod ábiit. Vidi sub sole in loco judícij impietátem: & in loco justítiæ iniquitátem. Dixi in corde meo. Justum & ímpium judicábit Deus: & tempus omnis rei tunc erit.

℟. Gyrum cœli. 356.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 4.

VErti me ad ália & vidi calúmnias quæ sub sole gerúntur; & láchrymas innocéntium, & néminem consolatórem; nec posse resístere eórum violéntiæ: cunctórum auxílio destitútos. Et laudávi magis mórtuos quàm vivéntes; & feliciórem utróque judicávi, qui necdùm natus est: nec vidit mala quæ sub sole fiunt. Rursùm contemplátus sum omnes labóres hóminum; & indústrias animadvérti patére invídiæ próximi: & in hoc ergo vánitas & cura supérflua est.

℟. Magna enim sunt. 356.

Lectio ij.

STultus cómplicat manus suas; & cómedit carnes suas: dicens. Mélior est pugíllus cum réquie; quàm plena útraque manus: cum labóre & afflictióne ánimi. Considerans réperi & áliam vanitátem sub sole, unus est, & secúndum non habet; non álium, non fratrem, & tamen laboráre non céssat, nec satiántur óculi ejus divítiis: nec recógitat, dicens. Cui labóro & fraudo ánimam meam bonis? in hoc quoque vánitas est, & afflíctio péssima.

℟. Da mihi Dómine. 356.

Lectio iij.

MElius est ergo duos esse simul, quàm unum; habent enim emoluméntum societátis suæ: si unus cecíderit, ab áltero fulciétur. Væ soli; quia cùm cecíderit: non habet sublevántem se. Et si dormíerint duo, fovebúntur mútuò; unus quómodò caléfiet? Et si quíspiam prævalúerit contra unum; duo

duo resístunt ei: funículus triplex difficilè rúmpitur. Melior est puer pauper & sápiens; rege sene & stulto: qui nescit prævidére in pósterum.

℟. Emítte Dómine. 356.

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 5.

NE témerè quid loquáris: neque cor tuum sit velox ad proferéndum sermónem coram Deo. Deus enim in cœlo; & tu super terram: idcircò sint pauci sermónes tui. Multas curas sequúntur sómnia: & in multis sermónibus inveniétur stultítia. Si quid vovísti Deo; ne moréris réddere: dísplicet enim ei infidélis & stulta promíssio. Sed quodcúmque vóveris redde; multóque mélius est non vovére: quàm post votum promíssa non réddere.

℟. Audi fili mi. 353.

Lectio. ij.

NE déderis os tuum ut peccáre fácias carnem tuam; neque dicas coram Angelo; Non est providéntia, ne fortè irátus Deus contra sermónes tuos: díssipet cuncta ópera mánuũ tuárum. Ubi multa sunt sómnia; plúrimæ sunt vanitátes, & sermónes innúmeri: tu verò Deum time. Si víderis calúmnias egenórum, & violénta judícia; & subvérti justítiam in província: non miréris super hoc negótio: quia excélso excélsior est álius; & super hos quoque eminentióres sunt álij: & ínsuper univérsæ terræ rex ímperat serviénti.

℟. Avérsio parvulórũ. 353.

Lectio iij.

AVárus non implébitur pecúnia; & qui amat divítias, fructum non cápiet ex eis: & hoc ergo vánitas. Ubi multæ sunt opes: multi & qui cómedunt eas. Et quid prodest possessóri, nisi quòd cernit divítias óculis suis? Dulcis est sómnus operánti sive parum, sive multum cómedat: satúritas autem dívitis non sinit eum dormíre. Est & ália infirmitas péssima; quam vidi sub sole: divítiæ conservátæ in malum Dómini sui. Péreunt enim in afflictióne péssima; generávit filium: qui in summa egestáte erit.

℟. Fili

℟. Fili noli deficere. 364.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 6.

EST & áliud malum, quod vidi sub sole: & quidem frequens apud hómines. Vir, cui dedit Deus divítias & substántiam, & honórem; & nihil deest ánimæ suæ ex ómnibus quæ desíderat; nec tríbuit ei potestátẽ Deus ut cómedat ex eo: sed homo extráneus vorábit illud. Hoc vánitas & miséria magna est.

℟. Præbe fili. 364.

Lectio ij.

SI genúerit quíspiam centum líberos, & víxerit multos annos, & plures dies ætátis habúerit; & ánima illíus non utátur bonis substántiæ suæ, sepulturáque cáreat: de hoc ego pronúntio, quòd mélior illo sit abortívus. Frustrà enim venit & pergit ad ténebras: & oblivióne delébitur nomen ejus. Non vidit solem, neque agnóvit distántiam boni & mali; etiámsi duóbus míllibus annis víxerit: & non fúerit frúitus bonis.

℟. In princípio. 365.

Lectio iij.

NOnne ad unum locum próperant ómnia? Omnis labor hóminis in ore ejus: sed ánima ejus non implébitur. Quid habet ámplius sápiens à stulto? & quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita? Mélius est vidére quod cúpias: quã desideráre quod néscias. Sed & hoc vánitas est: & præsúmptio spíritûs.

℟. Gyrum cœli. 365.

SABBATO.

De Libro Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 7.

QUid necésse est hómini majóra se quærere; cùm ignóret quid condúcat sibi in vita sua número diérũ peregrinatiónis suæ: & témpore quod velut umbra prætérit? Aut, quis ei póterit indicáre quid post eum futúrum sub sole sit? Mélius est nomen bonum; quàm unguénta pretiósa: & dies mortis die nativitátis. Mélius est ire ad domum luctûs, quàm ad domum convívij; in illa enim finis cunctórum admonétur hóminum: & vivens cógitat quid futúrum sit.

Lectio ij.

MElior est ira risu: quia per tristítiã vultús corrígitur ánimus delinquéntis. Cor sapiéntium ubi tristítia est: & cor stultórum ubi lætítia. Mélius est à sapiénte córripi: quàm stultórum adulatióne décipi. Quia sicut sónitus spinárum ardéntium sub olla; sic risus stulti: sed & hoc vánitas. Calúmnia contúrbat sapiéntem: & perdet robur cordis illíus. Mélior est finis oratiónis; quàm princípium: Mélior est pátiens, arrogánte.

Lectio iij.

NE dicas. Quid putas causæ est quòd prióra témpora melióra fuére quàm nunc sunt? Stulta enim est hujuscémodi interrogátio. Utílior est sapiéntia cum divítiis: & magis prodest vidéntibus solem. Sicut enim prótegit sapiéntia: sic prótegit pecúnia. Hoc autem plus habet erudítio & sapiéntia: quòd vitam tríbuunt posseśsóri suo. Consídera ópera Dei: quòd nemo possit corrígere quem ille despéxerit.

Ad Magnificat, Aña. Dóminus possédit me ab inítio viárum suárum ántequàm quidquam fáceret à princípio, nec dum erant abyssi, & ego parturiébar: quando præparábat cœlos áderam, cum eo compónens ómnia.

Ad primam Processi.

℟. j. Audi fili mi, disciplínam patris tui, & ne dimíttas legẽ matris tuæ, ut multiplicéntur tibi anni vitæ.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus, omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad 2. Processionem.

℟. ij. Avérsio parvulórum interfíciet eos, & prospéritas stultórum perdet illos: Qui autem me audíerit absque terróre quiéscet.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas, Dómine, semper à nobis iniquitátes repélle: ut ad viam salútis ætérnæ secúra mente currámus. Per Dóminum.

Si sequens Dominica venerit in die Assumptionis B. Mariæ. Initium libri Sapientiæ ponitur in festo sancti Rochi.

DOMI

DOMINICA III.
Augusti.

Incipit liber Sapiéntiæ.

In primo Nocturno.

Lectio j. Cap. I.

DIlígite justítiam, qui judicátis terram. Sentíte de Dómino in bonitáte, & in simplicitáte cordis; quærite illum, quóniam invenítur ab his qui non tentant illum: appáret autem eis, qui fidem habent in illum; pervérsæ enim cogitatiónes séparant à Deo: probáta autem virtus córripit insipiéntes. Quóniam in malévolam ánimam non introíbit sapiéntia: nec habitábit in córpore súbdito peccátis.

℟. Audi fili mi disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ. * Ut multiplicéntur tibi anni vitæ. ℣. Fili mi, ne oblivíscáris legis meæ, & præcépta mea custódiat cor tuum. Ut.

Lectio ij.

SPíritus enim sanctus disciplínæ effúgiet fictum; & áuferet se à cogitatiónibus quæ sunt sine intelléctu: & corripiétur à superveniénte iniquitáte. Benígnus est enim Spíritus sapiéntiæ, & non liberábit malédicum à lábiis suis; quóniam rerum illíus testis est Deus: & cordis illíus scrutátor est verus, & linguæ ejus audítor. Quóniam Spíritus Dómini replévit orbem terrárum; & hoc quod cóntinet ómnia: sciéntiam habet vocis. Propter hoc qui lóquitur iníqua; non potest latére: nec prætériet illum corrípiens judícium.

℟. Avérsio parvulórum interfíciet eos, & prospéritas stultórũ perdet illos. * Qui autem me audíerit absque terróre quiéscet. ℣. Impij verò de terra perdéntur, & qui iníquè agunt, auferéntur ex ea. Qui autem.

Lectio iij.

IN cogitatiónibus enim ímpij interrogátio erit; sermónum autem illíus audítio ad Deum véniet: ad correptiónem iniquitátum illíus. Quóniam auris zeli audit ómnia: & tumúltus murmuratiónum non abscondétur. Custodíte ergo vos à murmuratióne quæ nihil prodest, & à detractióne párcite linguæ; quóniam sermo obscúrus in vácuum non ibit:

Os autem quod mentítur, occídit ánimam.

℟. Fili noli defícere à disciplína Dómini, neque fat g r.s dum ab eo argúer s: * Quem enim díligit Dóminus córripit, & quasi in filio cómplacet sibi. ℣. Tene disciplínam, ne dimíttas eam, custódi illam, quia ipsa est vita tua. Quem enim.

In secundo Nocturno.

Sermo S Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Epist. Paranetica ad valerianum.

Lectio iv.

VEra sapiéntia est ut primas apud nos curas quæ prima habentur: obtineant. Summásque sibi sollicitudinis partes salus quæ summa est: vindicet. Hæc sapiéntia nos óccupet. In præsídium ac tutélam sui jam non plane prima: sed sola. Omnia vincat eo studio: quo præcédit ómnia. Summam debémus obsérvántiam Deo: ánimæ deínde máximam. Atque ita tamen istud est ut cùm utrúmque præcípuum sit: obserbári álterum sine áltero nequáquam posse videátur. Ita quisquis Deo satisfécerit: ánimæ necésse est jam consulúerit. Et rursus; qui ánimæ consulúerit: necesse est Deo jam satisfécerit. Sic de summo apud nos utróque res transígitur útili coácta compéndio; ut si quis unum sedulo impléverit: utrúmque contúlerit. Quia ineffábili benignitáte divína ipsa utílitas fit Dei sacrifícium. Multus córpori curatiónum ūsus impénditur; multum huic óperæ in spem medélæ datur: Numquid medicínam ánima non merétur.

℟. Præbe fili cor tuum mihi, & óculi tui vias meas custódiant, * ut addátur grátia cápiti tuo. ℣. Audi fili mi disciplínā patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ. Ut.

Lectio v.

ET si vária córpori auxília stúdio tuéndæ sanitátis adhibéntur; fas non est tamen ánimam velut exclúsam jacére; & quasi negléctam morbis suis intabéscere: atque unam à própriis remédiis exuláre. Imo verè plura ánimæ conferénda sunt: si córpori tanta præstántur. Nam si

si rectè quidam, carnem hanc fámulam; ánimam verò Dóminam esse dixérunt; non opórtet posterióre loco nos Dóminam pónere: ac fámulam iníquo jure præférre. Méritò per veram sapiéntiam poscit stúdia majóra: pars mélior quia omni nobis curâ illuc respiciéndum est: ubi substántiæ nostræ abundántior dígnitas constítit: cóngruum non est in hoc honóre nostræ sollicitúdinis: eam nos subjícere pejóri. Caro síquidem proclívis in vítia ad terram nos tamquam in óriginem suam révocat; hæc verò véniens à patre lúminum sicut ferri ígnibus mos est: in superióra nítitur. Hæc in nobis imágo Dei: hoc prætiósum est divíni múneris pignus.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquàm abyssos constitúeret, priúsquàm produceréntur fontes aquárum: ántequam montes collocaréntur.* Ante omnes colles generávit me Dñs. ℣. Ego ex ore Altíssimi prodívi Primogénita ante omnem creatúram. Ante omnes.

Lectio vj.

HAnc omni ope hanc summis víribus tueámur. Hanc si régimus & conservámus Dei depósitum tuémur. Quis extruéndi, nisi cùm fundaménta jéceris, locus est? Superædificáre cæteras utilitátes destinánti: salus fundaméntum est. Cæterum quómodo quíspiam sequéntia addat: si nec prima possíderit. Unde succedéntium augébitur increméntis: Si anteriórum deficiátur exórdiis. Quómodo interésse putet beatitúdini cùm desit étiam salúti. Indigens vitæ unde abundáre sine felíci vita potest? Aut quid prodest si adjíciat cibis non habens unde consuléndum est ánimæ: de quâ & Dóminus noster Jesus-Christus ait; Quid enim prodest hómini si mundum univérsum lucrétur: ánimæ verò suæ detriméntum patiátur.

℟. Gyrum cœli circuívi sola, & in flúctibus maris ambulávi: in omni gente & in omni pópulo primátum ténui: * Superbórum ac sublímium colla própriâ virtúte calcávi. ℣. Ego in

altíssimis habitávi & thronus meus in colúmna nubis. Superbórum. Glória Patri. Superbórum.
℟. vij. Magna enim sunt judícia tua Dómine, & inenarrabília verba tua: magnificásti pópulum tuũ: * Et honorásti. ℣. Sicut enim equi depavérunt & sicut agni exultavérunt magnificántes te Dómine qui liberásti eos. Et honorásti.
℟. viij. Da mihi Dómine sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis.
* Quóniàm servus tuus sum ego & filius ancíllæ tuæ. ℣. Scit enim illa ómnia & intélligit, & dedúcet me in opéribus meis sóbriè. Quóniam.
℟. ix. Emítte Dómine sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ: * Ut mecum sit & mecum labóret, & sciam quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Mitte illam de sanctis cœlis tuis, & à sede magnitúdinis tuæ. Ut mecum.
Te Deum laudámus.
Post Vesperas ad primam Processionem.
℟. j. Verbum iníquium & & dolósum longè fac à me Dómine. Divítias & paupertátes non déderis mihi, sed tantùm víctui meo tríbue necessária.
Orémus *Oratio.*
DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui, infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confidimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.
Ad secundã Processionem, *Antiphona.* O Crux benedícta quæ sola fuísti digna portáre Regem cœlórum & Dóminum.
Orémus. *Oratio.*
REspice quæsumus Dómine super hanc famíliam tuam; pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium: & crucis subíre torméntum. Qui tecum vivit.
FERIA SECUNDA.
De libro Sapiéntiæ.
Lectio j. Cap. 3.
JUstórum autem ánimæ in manu Dei sunt: & non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori; & æstimáta est afflíctio éxitus illórum; & quod à nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace. Et-

si coram homínibus torménta passi sunt: spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti; in multis benè disponéntur: quóniam Deus tentávit eos & invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos; & quasi holocáusti hóstiam accépit illos: & in témpore erit respéctus illórum.

℟. Verbum iníquum & dolósum longè fac à me Dómine: * Divítias & paupertátes nō déderis mihi, sed tantùm víctui meo tribue necessária. ℣. Extolléntiam oculórum ne déderis mihi, & omne desidérium pravum avérte à me. Divítias.

Lectio ij.

FUlgébunt justi, & tamquàm scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, & dominabúntur pópulis: & regnábit Dóminus illórum in perpétuum. Qui confídunt in illo, intélligent veritátem; & fidéles in dilectióne acquiéscent illi: quóniam donum & pax est eléctis ejus. Impij autem secúndùm quæ cogitavérunt, correptiónem habébunt; qui neglexérunt justum: & à Dómino recessérunt. Sapiéntiam enim & disciplínam qui ábjicit, infélix est: & vácua est spes illórum; & labóres sine fructu: & inutília ópera eórum.

℟. Ne derelínquas me Dómine Pater, & Dominátor vitæ meæ, ut non córruam in conspéctu adversariórum meórum: * Ne gáudeat de me inimícus meus. ℣. Apprehénde arma & scutum & exúrge in adjutórium mihi. Ne gáudeat.

Lectio iij. Cap. 5.

JUsti autem in perpétuū vivent; & apud Dóminum est merces eórum: & cogitátio eórum apud Altíssimum. Ideò accípient regnum decóris, & diadéma speciéi de manu Dómini; quóniam déxterâ suâ teget eos: & bráchio sancto suo defendet illos. Accípiet armatúram zelus illíus: & armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam: & accípiet pro gáleâ judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile æquitátem; ácuet au-

tem duram iram in lánceam: & pugnábit cum illo orbis terrárum contra insensátos.

℟. Dñe pater & Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno, extollénriā oculórum meórū ne déderis mihi, & desidérium malignum avérte à me Dómine, aufer à me concupiscéntiam: * Et ánimæ irreverénti, & infrunítæ ne tradas me Dñe. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi ántequam móriar, vanitátem & verba mendácij longè fac à me. Et ánimæ. Glória Patri. Et ánimæ.

FERIA TERTIA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 6.

MElior est sapiéntia quàm vires: & vir prudens quàm fortis. Audíte ergo reges & intellígite. Díscite júdices finiū terræ. Præbéte aures vos, qui continétis multitúdines, & placétis vobis in turbis natiónum: quóniàm data est à Dómino potéstas vobis, & virtus ab Altíssimo, qui interrogábit ópera vestra, & cogitatiónes scrutábitur; quóniam cùm essétis minístri regni illíus non rectè judicástis; nec custodístis legem justítiæ: neque secúndùm voluntátem Dei Ambulástis.

℟. Præbe fili. 364.

Lectio ij.

HOrréndè & citò apparébit vobis: quóniam judícium duríssimum his qui præsunt, fiet. Exíguo enim concéditur misericórdia: poténtes autem poténter torménta patiéntur. Non enim súbtrahet persónam cujúsquā Deus; nec verébitur magnitúdinem cujúsquam: quóniam pusíllum & magnum ipse fecit: & æquáliter cura est illi de ómnibus. Fortióribus autem fortior instat cruciátio.

℟. In princípio. 365.

Lectio iij.

AD vos ergo, reges, sunt hi sermónes mei; ut discátis sapiéntiam: & non excidátis. Qui enim custodíerint justa justè, justificabúntur; & qui didícerint ista: invénient quid respóndeant. Concupíscite ergo sermónes meos, dilígite illos, & habébitis disciplínam; clara

ra est, & quæ numquàm marcéscit sapiéntia, & fácile vidétur ab his qui díligunt eam: & invenítur ab his qui quærunt illam.

℟. Gyrum cœli. 365.

FERIA QUARTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 7.

SUm quidem & ego mortális homo, símilis ómnibus, & ex génere terréni illíus, qui prior factus est: & in ventre matris figurátus sum caro; decem ménsium témpore coagulátus sum in sánguine, ex sémine hóminis: & delectaménto somni conveniénte. Et ego natus accépi commúnem áërem; & in símiliter factam décidi terram: & primam vocem símilem ómnibus emísi plorans. In involumētis nutrítus sum: & curis magnis. Nemo enim ex régibus áliud hábuit nativitátis inítium. Unus ergo introítus est ómnibus ad vitam: & símilis éxitus.

℟. Magna enim sunt. 366.

Lectio. ij.

PRopter hoc optávi, & datus est mihi sensus, & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ; & præpósui illam regnis & sédibus: & divítias nihil esse duxi, in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum; quóniam omne aurum in comparatióne illíus, aréna est exígua: & tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem & spéciem diléxi illam; & propósui pro luce habére illam: quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

℟. Da mihi Dómine. 366.

Lectio iij.

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honéstas per manus illíus, & lætatus sum in ómnibus; quóniam antecedébat me ista sapiéntia: & ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici; & sine invídia commúnico: & honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus; quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei: propter disciplínæ dona commendáti.

℟. Emítte Dómine. 366.

FERIA QUINTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 9.

QUis hóminum póterit scire consílium Dei? aut quis póterit cogitáre quid velit Deus? Cogitatiónes enim mortálium tímidæ: & incértæ providéntiæ nostræ. Corpus enim quod corrúmpitur; ággravat ánimam: & terréna inhabitátio déprimit sensum multa cogitántem. Et difficile æstimámus quæ in terra sunt: & quæ in prospéctu sunt, invenímus cum labóre. Quæ autem in cœlis sunt, quis investigábit? Sensum autem tuū quis sciet, nisi tu déderis sapiéntiam; & míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis: & sic corréctæ sint sémitæ eórum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didícerint hómines? Nam per sapiéntiam sanáti sunt: quicúmque placuérunt tibi Dómine à princípio.

℟. Audi fili mi. 373.

Lectio ij. Cap. 10.

HÆc illum, qui primus formátus est à Deo pater orbis terrárum, cùm solus esset creátus, custodívit, & edúxit illum à delícto suo: & dedit illi virtútem continéndi ómnia. Ab hac ut recéssit injústus in ira sua: per iram homicídij fratérni depériit. Propter quem cùm aqua delé-ret terram; sanávit íterùm sapiéntia: per contemptíbile lignum justum gubérnans. Hæc & in consénsu nequítiæ cùm se natiónes contulíssent; scivit justum, & conservávit sine quæréla Deo: & in filij misericórdia fortem custodívit.

℟. Avérsio parvulórū 373.

Lectio iij.

HÆc justum à pereúntibus impiis liberávit fugiéntem; descendénte igne in Pentápolim: quibus in testimónium nequítiæ fumigabúnda constat desérta terra; & incérto témpore fructus habéntes árbores: & incredíbilis ánimæ memória stans figméntum salis. Sapiéntiam enim prætereúntes, non tantùm in hoc lapsi sunt ut ignorárent bona: sed & insipiéntiæ suæ reliquérunt homínibus memóriam: ut in his quæ peccavérunt, nec latére potuíssent. Sapiéntia autem hos, qui se obsérvant,

obsérvant, à dolóribus liberávit.

℟. Fili noli defícere. 374.

FERIA SEXTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 13.

VAni autem sunt omnes hómines, in quibus non subest sciéntia Dei; & de his quæ vidéntur bona, non potuérunt intellígere eum qui est, neque opéribus attendéntes agnovérunt quis esset ártifex: sed aut ignem, aut spíritum, aut citátum áërem, aut gyrum stellárum; aut nímiam aquam, aut solem aut lunam: rectóres orbis terrárū Deos putavérunt. Quorum si spécie delectáti, Deos putavérunt: sciant quantò his dominátor eórum speciósior est. Speciéi enim generátor hæc ómnia constítuit. 374.

℟. Præbe fili.

Lectio ij.

AUt si virtútem & ópera eórum miráti sunt, intélligant ab illis; quóniā qui hæc fecit, fórtior est illis: à magnitúdine enim speciéi & creatúræ, cognoscibíliter póterit Creátor horum vidéri. Sed tamen adhuc in his minor est queréla. Et hi enim fortásse errant: Deum quæréntes & voléntes inveníre. Etenim cùm in opéribus illíus conversénrur; inquírunt & persuásum habent: quóniam bona sunt quæ vidéntur.

℟. In princípio. 375.

Lectio iij.

ITerùm autem nec his debet ignósci. Si enim tantùm potuérunt scire; ut possent æstimáre sæculum: quómodo hujus Dóminum non facílius invenérunt? Infelíces autem sunt, & inter mórtuos spes illórum est: qui appellavérunt Deos ópera mánuum hóminum; aurum & argéntum, artis inventiónem, & similitúdines animálium: aut lápidem inútilē opus manûs antíquæ.

℟. Gyrum cœli. 375.

SABBATO.

De libro sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 15.

TU autem Deus noster, suávis & verus es: pátiens, & in misericórdiâ dispónens ómnia. Etenim si peccavérimus, tui sumus, sciéntes magnitúdinem tuam; & si non pec-

cavérimus : scimus quóniam sumus apud te computáti. Nosse enim te, consummáta justítia est : & scire justítiam & virtútem tuam, radix est immortalitátis.

Lectio ij.

NOn enim in errórem indúxit nos hóminū malæ artis excogitátio; nec umbra pictúræ labor sine fructu, effigies sculpta per vários colóres; cujus aspéctus insensáto dat concupiscéntiam : & díligit mórtuæ imáginis effigiem sine ánima. Malórum amatóres, digni sunt qui spem hábeant in tálibus; & qui fáciunt illos : & qui díligunt & qui colunt.

Lectio iij.

SEd & figulus mollem terram premens labori ióse fingit ad usus nostros unumquódque vas : & de eódem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa; & simíliter quæ his sunt contrária : horum autem vasórum quis sit usus judex est figulus. Et cum labóre vano Deum fingit de eódem luto; ille qui paulò antè de terra factus fúerat; & post pusíllum redúxit se undè accéptus est : repetítus ánimæ débitum quam habébat.

Ad Magnificat. Aña. Sapiéntia clámitat in platéis, si quis díligit sapiéntiam ad me declínet & eā invéniet; & eam cùm invénerit beátus erit, si tenúerit eam.

Ad primam Processionem. ℟. j. Audi fili mi disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ. * Ut multiplicéntur tibi anni vitæ.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confidimus : sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminū.

Ad secundam Processionē. ℟. ij. Avérsio parvulórum interfíciet eos, & prospéritas stultórum perdet illos. * Qui autem me audíerit absque terróre quiéscet.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas, Dómine, semper à nobis iniquitátes repélle : ut ad viam salútis ætérnæ secúrâ mente currámus. Per Dóminum nostrum.

DOMINICA IV. *Augusti.*

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 1.

OMnis sapiéntia à Dómino Deo est: & cum illo fuit semper, & est ante ævum. Arénam maris & plúviæ guttas & dies sæculi quis dinumerávit? Altitúdinem cœli & latitúdinem terræ, & profúndum Abyssi quis diménsus est? Sapiéntiam Dei præcedéntem ómnia quis investigávit? Prior ómnium creáta est sapiéntia: & intelléctus prudētiæ ab ævo. Fons sapiéntiæ Verbum Dei in excélsis: & ingréssus illíus mandáta ætérna.

℟. Audi fili mi, disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ: * Ut multiplicéntur tibi anni vitæ. ℣. Fili mi, ne oblivíscáris legis meæ, & præcépta mea custódiat cor tuum. Ut multiplicéntur.

Lectio ij.

RAdix sapiéntiæ cui reveláta est, & astútias illíus quis agnóvit? Disciplína sapiéntiæ cui reveláta est, & manifestáta? & multiplicatiónem ingréssus illíus quis intelléxit? Unus est Altíssimus Creátor omnípotens; & Rex potens & metuéndus nimis: sedens super thronum illíus & dóminans Deus. Ipse creávit illam in spíritu sancto; & vidit, & dinumerávit: & mensus est. Et effúdit illam super ómnia ópera sua; & super omnem carnem secúndùm datum suum: & præbuit illam diligéntibus se.

℟. Avérsio parvulórum interfíciet eos & prospéritas stultórum perdet illos: * Qui autem me audíerit absque terróre quiéscet. ℣. Impij verò de terra perdéntur, & qui iníque agunt auferéntur ex ea. Qui autem me.

Lectio iij.

TImor Dómini glória & gloriátio & lætítia, & coróna exultatiónis. Timor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam & gáudium: & longitúdinem diérum. Timénti Dóminum benè erit in extrémis: & in die defunctiónis suæ benedicétur. Diléctio Dei honorábilis sapiéntia. Quibus autem apparúerit, in

in visu: díligunt eam in visióne & in agnitióne magnálium suórum. Inítium sapiéntiæ timor Dómini: & cum fidélibus in vulva concreátus est.

℟. Fili noli deficere à disciplína Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris: * Quem enim díligit, Dóminus córripit, & quasi pater in filio cómplacet sibi. ℣. Tene disciplínam, ne dimíttas eam, custódi illam, quia ipsa est vita tua. Quem enim. Glória Patri. Quem.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Hierónymi Presbyteri.

Epistol. ad Nepotianum.

Lectio iv.

Cave ô Clérice, ne aut linguam aut aures hábeas pruriéntes; id est, ne aut ipse áliis détrahas: aut álios áudias detrahéntes. Sedens, inquit, advérsùs fratrem tuum loquebáris; & advérsùs filium matris tuæ ponebas scándalum: hæc fecisti & tácui. Existimásti iníquè quòd ero símilis tui: árguam te, & státuam contra fáciem tuã. Parce à detractióne linguę, custódi sermónes tuos; & scito quia per cuncta quæ de áliis lóqueris, tuâ consciéntiâ judicáris: & in his ipse deprehénderis quæ in áliis arguébas. Neque verò illa justa est excusátio: Referéntibus áliis injúriam fácere non possum. Nemo invíto auditóri libénter refert. Sagítta in lápidem numquam figitur: intérdum resíliens pércutit dirigéntem. Discat detráctor; dum te videt, non libénter audíre: nõ facilè detráhere.

℟. Præbe fili, cor tuum mihi, & óculi tui vias meas custódiant: * Ut addátur grátia cápiti tuo. ℣. Audi fili mi disciplínam patris tui & ne dimíttas legem matris tuæ. Ut.

Lectio v.

Cum detractóribus, ait Salómon, ne misceáris, quóniam repéntè véniet perdítio eórum; & ruínam utriúsque quis novit? Tam vidélicet ejus qui détrahit: quàm illíus qui accómmodat aurem detrahénti. Officij ergo tui est visitáre languéntes; nosse domos matronárum ac líberos eárum & nobílium virórum custodíre secréta: officij tui est, non solùm

solùm óculos castos serváre sed & linguam. Numquam de formis mulíerum dísputes; nec quid in cujúsquam domo agátur; ália domus per te nóverit. Hippócrates adjúrat discípulos ántequam dóceat, & in verba sua juráre compéllit; extórquet sacraménto siléntium, sermónem, incéssum, hábitū, morésque præscríbit: quantò magis nos, quibus animárum cura commíssa est, ómnium Christianórum domos debémus amáre quasi próprias? Consolatóres pótiùs nos in mœróribus suis: quàm convívas in prósperis nóverint. Fácilè contémnitur Cléricus; qui sæpè vocátus ad prándium: non recúsat. Numquam peténtes: raò accipiámus rogáti.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam Abyssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquârum, ántequam montes collocaréntur: * Ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram. Ante.

Lectio vj.

Beátiùs enim est magis dare quàm accípere. Nescio enim quómodo étiam ipse, qui deprecátur ut tribuat, cùm accéperis, viliórem te júdicat; & mirum in modum si eum rogántem contempseris: plus te postériùs venerátur. Prædicátor continéntiæ: núptias ne concíliet. Qui Apóstolum legit dicentem; Súperest ut qui habent uxóres: sic sint quasi non hábeant. Cur vírginem cogit ut nubat? Qui de monogámia sacérdos est, quare víduam hortátur ut bígama sit? Procuratóres & dispensatóres domórum alienarum, atque villárum quómodo possunt esse Clérici; qui próprias jubéntur contémnere facultátes? Amíco quíppiam rápere, furtum est: Ecclésiam fraudáre sacrilégium est: accepísse quod paupéribus erogándum sit, & esuriéntibus plúrimis vel cautum esse velle, vel tímidum; aut quod apertíssimi scéleris est, áliquid inde subtráhere: ómnium prædónum crudelitátem súperat. Ego fame

ſame tórqueor, & tu júdícas quantùm ventri meo ſatis ſit: aut dívide ſtatim quod accéperis; aut ſi tímidus diſpenſátor es: dimítte largitórem, ut ſua ipſe diſtríbuat. Nolo ſub occaſióne mea ſácculus tuus plenus ſit: nemo mea méliùs me ſerváre poteſt. Optimus diſpenſátor eſt: qui ſibi nihil reſérvat.

℟. Gyrum cœli circuívi ſola, & in flúctibus maris ambulávi: in omni gente & in omni pópulo primátum ténui: * Superbórum & ſublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíſſimis habitávi, & thronus meus in colúmna nubis. Superbórum. Glória Patri. Superbórum.

℟. vij. Magna enim ſunt judícia tua Dómine: & inenarrabília verba tua, magnificáſti pópulum tuum: * Et honoráſti. ℣. Sicut enim equi depavérunt, & ſicut agni exultavérunt: magnificántes te Dómine qui liberáſti eos. Et honoráſti

℟. viij. Da mihi Dómine ſédium tuárum aſſiſtrícem ſapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis: * Quóniam ſervus tuus ſum ego & filius ancíllæ tuæ. ℣. Scit enim illa ómnia & intélligit: & dedúcet me in opéribus meis ſóbriè. Quóniam.

℟. ix. Emítte Dómine ſapiéntiam de ſede magnitúdinis tuæ: * Ut mecum ſit, & mecum labóret, & ſciam quid accéptum ſit coram te omni témpore. ℣. Mitte illam de ſanctis cœlis tuis & à ſede magnitúdinis tuæ. Ut mecum. Te Deum laudámus.

Poſt Veſperas ad primam Proceſſionem.

℟. j. Verbum iníquum & dolóſum longè fac à me Dómine. Divítias & paupertátes non déderis mihi, ſed tantùm víctui meo tríbuc neceſſária.

Orémus. *Oratio.*

DA quæſumus, omnípotens Deus; ut qui infirmitátis noſtræ cónſcij de tua virtúte confídimus: ſub tua ſemper pietáte gaudeámus. Per Dóminum noſtrum.

Ad ſecundã Proceſſionem.

Aña. O Crux benedícta quæ ſola fuiſti digna portáre Regem cœlórum & Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

RÉspice quǽsumus, Dómine super hanc famíliam tuam; pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium: & crucis subíre torméntum. Qui tecum.

FERIA SECUNDA,

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 1.

COróna sapiéntiæ, timor Dómini; replens pacem, & salútis fructum; & vidit, & dinumerávit eam: útraque autem sunt dona Dei. Sciéntiam & intelléctum prudéntiæ; sapiéntia compartiétur: & glóriam tenéntium se exáltat. Radix sapiéntiæ est timére Dóminum: & rami illíus longævi. In thesáuris sapiéntiæ intelléctus, & sciéntiæ religiósitas. Execrátio autem peccatóribus sapiéntia.

℟. Verbum iníquum & dolósum longè fac à me Dómine: * Divítias & paupertátes nō déderis mihi, sed tantùm víctui meo tríbue necessária. ℣. Extolléntiam óculórū meórū ne déderis mihi, & omne desidérium pravum avérte à me. Divítias.

Lectio ij.

TImor Dómini expéllit peccátum; nam qui sine timóre est, non póterit justificári: iracúndia enim animositátis illíus, subvérsio illíus est. Usque in tempus sustinébit pátiens: & pósteà rédditio jocunditátis. Bonus sensus usque in tempus abscóndet verba illíus: & lábia multórum enarrábunt sensum illíus. In thesáuris sapiéntiæ significátio disciplínæ: execrátio autem peccatóri cultúra Dei. Fili concupíscens sapiéntiam; consérva justítiam: & Deus præbébit illam tibi.

℟. Ne derelínquas me Dómine pater & dominátor vitæ meæ, ut non córruam in conspéctu adversariórum meórum. * Ne gáudeat de me inimícus meus. ℣. Apprehénde arma & scutum & exúrge in adjutórium mihi. Ne gáudeat.

Lectio iij.

SApiéntia enim & disciplína timor Dómini; & quod beneplácitum est illi fides & mansuetúdo: & adimplébit thesáuros illíus. Ne sis incredíbilis timóri,

mori, Dómini: & ne accesséris ad illum dúplici corde. Ne fúeris hypócrita in conspéctu hóminum: & non scandalizéris in lábiis tuis. Attende in illis, ne fortè cadas; & addúcas ánimæ tuæ inhonoratiónem, & revélet Deus abscónsa tua; & in médio synagógæ elídat te, quóniam accessísti malígnè ad Dóminum: & cor tuum plenum est dolo & fallácia.

℟. Dñe Pater & Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno, extolléntiam oculórũ meórum ne déderis mihi, & desidérium malígnum avérte à me Dómine: aufer à me concupiscéntiam. * Et ánimæ irreverénti & infrunítæ ne tradas me Dómine. ℣. Duo rogávi te ne déneges mihi ántequam móriar vanitátem & verba mendácij longè fac à me. Et ánimæ. Glória Patri. Et ánimæ.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 2.

Fili accédens ad servitútem Dei, sta in justítia & timóre: & præpara ánimam tuam ad tentatiónem. Déprime cor tuum & sustíne; inclína aurem tuam, & súscipe verba intelléctus: & ne festínes in témpore obductiónis. Sústine sustentatiónes Dei; conjúngere Deo, & sústine: ut crescat in novíssimo vita tua.

℟. Præbe fili. 374.

Lectio ij.

Omne quod tibi applícitum fúerit, áccipe, & in dolóre sústine; & in humilitáte tua patiéntiam habe: quóniam in igne probátur aurum, & argéntum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo; & recuperábit te: & dírige viam tuam, & spera in illum. Serva timórem illíus: & in illo veteráſce.

℟. In princípio Deus. 375.

Lectio iij.

Metuéntes Dóminum sustinéte misericórdiam ejus; & non deflectátis ab illo: ne cadátis. Qui timétis Dóminum; crédite illi: & non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum; speráte in illum: & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum; diligite

diligite illum: & illuminabúntur corda vestra. Respícite filij natiónes hóminum, & scitóte quia nullus sperávit in Dómino: & confúsus est. Quis enim permánsit in mandátis ejus, & derelíctus est: aut, quis invocávit eum, & despéxit illum?

℟. Gyrum cœli. 376.

FERIA QUARTA.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 3.

Filij sapiéntiæ, Ecclésia justórum: & nátio illórum obediéntia & diléctio. Judícium patris audíte Filij; & sic fácite: ut salvi sitis. Deus enim honorávit patrem in filiis; & judícium matris exquírens firmávit in filios. Qui díligit Deum, exorábit pro peccátis; & continébit se ab illis: & in oratióne diérum exaudiétur.

℟. Magna enim sunt. 376.

Lectio ij.

Et sicut qui thesaurízat: ita & qui honoríficat matrem suam. Qui honórat patrem suum; jocundábitur in filiis: & in die oratiónis suæ exaudiétur. Qui honórat patrem suum, vita vivet longióre; & qui obédit patri: refrigerábit matrem. Qui timet Dóminum honórat paréntes: & quasi Dóminis sérviet his qui se genuérunt.

℟. Da mihi Dómine. 376.

Lectio iij.

In ópere & sermóne, & omni patiéntia, honóra patrem tuum; ut supervéniat tibi benedíctio ab eo: & benedíctio illíus in novíssimo máneat. Benedíctio patris firmat domos filiórum: maledíctio autem matris eradícat fundaménta. Ne gloriéris in contumélia patris tui; non enim est tibi glória: ejus confúsio. Glória enim hóminis ex honóre patris sui: & dédecus filij pater sine honóre.

℟. Emítte Dómine. 376.

FERIA QUINTA.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 3.

Altióra te ne quæsíeris, & fortióra te ne scrutátus fúeris; sed quæ tibi præcépit Deus, illa cógita semper: & in plúribus opéribus ejus ne fúeris curiósus. Non est enim tibi necessárium; ea quæ abscóndita sunt: vidére óculis tuis. In supervácuis rebus,

bus, noli scrutári multiplíciter : & in plúribus opéribus ejus non eris curiósus. Plúrima enim super sensum hóminum osténsa sunt tibi. Multos quoque supplantávit suspício illórum : & in vanitáte detínuit sensus illórum.

℟. Audi fili mi. 382.

Lectio ij.

COr durum habébit malè in novíssimo ; & qui amat perículum : in illo peribit. Cor ingrédiens duas vias ; non habébit succéssus : & pravus corde in illis scandalizábitur. Cor nequam gravábitur in dolóribus : & peccátor adjíciet ad peccándum. Sinagógæ superbórum non erit sánitas ; frutex enim peccáti radicábitur in illis : & non intelligétur.

℟. Avérsio parvulórũ. 383.

Lectio iij.

COr sapiéntis intellígitur in sapiéntia : & auris bona áudiet eum omni concupiscéntia sapiéntiam. Sápiens cor & intelligíbile abstinébit se à peccátis : & in opéribus justítiæ succéssus habébit. Ignem ardéntem extínguit aqua, & eleemósyna resístit peccátis ; & Deus prospéctor est ejus, qui reddit grátiam : méminit ejus in pósterum, & in témpore casûs sui invéniet firmaméntum.

℟. Fili noli deficere. 383.

FERIA SEXTA.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap 4.

FIli eleemósynam páuperis ne defráudes : & óculos tuos ne transvértas à páupere. Animam esuriéntem ne despéxeris : non exásperes páuperem in inópia sua. Cor ínopis ne afflíxeris : & non prótrahas datum angustiánti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias : & non avértas fáciem tuam ab egéno.

℟. Præbe fili. 384.

Lectio ij.

AB ínope ne avértas óculos tuos propter iram : & non relínquas quæréntibus tibi retrò maledícere ; maledicéntis enim tibi in amaritúdine ánimæ exaudiétur deprecátio illíus : exáudiet autem eum, qui fecit illum. Congregatióni páuperum affábilem te fácito ; & presbytero humília ánimam tuã : & magnáto humília caput tuum.

℟. In princípio Deus. 384.

Lectio iij.

DEclína páuperi sine tristítia aurem tuam; & redde débitum tuum: & respónde illi pacífica in mansuetúdine. Líbera eum qui injúriam pátitur de manu supérbi: & non áci dè feras in ánima tua. In judicándo esto pupíllis miséricors ut pater, & pro viro matri illórum; & eris tu velut filius Altíssimi obédiens: & miserébitur tui magis quam mater.

℟. Gyrum Cœli. 385.

S A B B A T O.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 4.

FIli consérva tempus & devíta à malo. Pro ánima tua ne confundáris dícere verum. Est enim confúsio addúcens glóriam & grátiam. Ne accípias fáciem advérsùs fáciem tuã: nec advérsùs ánimam tuam mendácium. Ne revereáris próximum tuum in casu suo: nec retíneas verbum in témpore salútis. Non abscóndas sapiéntiam tuam in decóre suo.

Lectio ij.

IN lingua enim sapiéntia dignóscitur; & sensus, & sciéntia, & doctrína in verbo sensáti: & firmaméntum in opéribus justítiæ. Non contradícas verbo veritátis ullo modo: & de mendácio ineruditiónis tuę confúndere. Non confundáris confitéri peccáta tua: & ne subjícias te omni hómini pro peccáto. Noli resístere contra fáciem poténtis: nec conéris contra ictum flúvij.

Lectio iij.

PRo justítia agonizáre pro ánima tua; & usque ad mortem certa pro justítia: & Deus expugnábit pro te inimícos tuos. Noli citátus esse in lingua tua: & inútilis & remíssus in opéribus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua; evértens doméesticos tuos: & ópprimens subjéctos tibi. Non sit porrécta manus tua ad accipiéndum: & ad dandum colléecta.

S A B B A T O.

Ante Dominicam v. Augusti, nisi hæc fuerit propinquior Kalendis Septembris, quia tunc ista cum sua Hebdomada omittitur, & ponitur Antiphona pro prima Dominica Septembris, ut infra.

Al

cavérimus : scimus quóniam sumus apud te computáti. Nosse enim te, consummáta justítia est : & scire justítiam & virtútem tuam, radix est immortalitátis.

Lectio ij.

NOn enim in errórem indúxit nos hóminū malæ artis excogitátio; nec umbra pictúræ labor sine fructu, effigies sculpta per vários colóres; cujus aspéctus insensáto dat concupiscéntiam : & díligit mórtuæ imáginis effigiem sine ánima. Malórum amatóres, digni sunt qui spem hábeant in tálibus; & qui fáciunt illos : & qui díligunt & qui colunt.

Lectio iij.

SEd & figulus mollem terram premens laborióse fingit ad usus nostros unumquódque vas : & de eódem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa; & simíliter quæ his sunt contrária : horum autem vasórum quis sit usus judex est figulus. Et cum labóre vano Deum fingit de eódem luto; ille qui paulò antè de terra factus fúerat; & post pusíllum redúxit se undè accéptus est : repetítus ánimæ débitum quam habébat.

Ad Magnificat. Aña. Sapiéntia clámitat in platéis, si quis díligit sapiéntiam ad me declínet & eā invéniet, & eam cùm invénerit beátus erit, si tenúerit eam.

Ad primam Processionem. ℟. j. Audi fili mi disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ. * Ut multiplicéntur tibi anni vitæ.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus : sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminū.

Ad secundam Processionē. ℟. ij. Avérsio parvulórum interfíciet eos, & prospéritas stultórum perdet illos. * Qui autem me audíerit absque terróre quiéscet.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas, Dómine, semper à nobis iniquitátes repélle : ut ad viam salútis ætérnæ secúrâ mente currámus. Per Dóminum nostrum.

DOMI

DOMINICA IV. Augusti.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 1.

OMnis sapiéntia à Dómino Deo est: & cum illo fuit semper, & est ante ævum. Arénam maris & plúviæ guttas & dies sæculi quis dinumerávit? Altitúdinem cœli & latitúdinem terræ, & profúndum Abyssi quis diménsus est? Sapiéntiam Dei præcedéntem ómnia quis investigávit? Prior ómnium creáta est sapiéntia: & intelléctus prudētiæ ab ævo. Fons sapiéntiæ Verbum Dei in excélsis: & ingréssus illíus mandáta ætérna.

℟. Audi fili mi, disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ: * Ut multiplicéntur tibi anni vitæ. ℣. Fili mi, ne obliviscáris legis meæ, & præcépta mea custódiat cor tuum. Ut multiplicéntur.

Lectio ij.

RAdix sapiéntiæ cui reveláta est, & astútias illíus quis agnóvit? Disciplína sapiéntiæ cui reveláta est, & manifestáta? & multiplicatiónem ingréssus illíus quis intelléxit? Unus est Altíssimus Creátor omnípotens; & Rex potens & metuéndus nimis: sedens super thronum illíus & dóminans Deus. Ipse creávit illam in spíritu sancto; & vidit, & dinumerávit: & mensus est. Et effúdit illam super ómnia ópera sua; & super omnem carnem secúndùm datum suum: & præbuit illam diligéntibus se.

℟. Avérsio parvulórum interfíciet eos & prospéritas stultórum perdet illos: * Qui autem me audíerit absque terróre quiéscet. ℣. Impij verò de terra perdéntur, & qui iníque agunt auferéntur ex ea. Qui autem me.

Lectio iij.

TImor Dómini glória & gloriátio & lætítia, & coróna exultatiónis. Timor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam & gáudium: & longitúdinem diérum. Timénti Dóminum benè erit in extrémis: & in die defunctiónis suæ benedicétur. Diléctio Dei honorábilis sapiéntia. Quibus autem apparúerit, in

in visu: díligunt eam in visióne & in agnitióne magnálium suórum. Inítium sapiéntiæ timor Dómini: & cum fidélibus in vulva concreátus est.

℟. Fili noli deficere à disciplína Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris: * Quem enim díligit, Dóminus córripit, & quasi pater in filio cómplacet sibi. ℣. Tene disciplínam, ne dimíttas eam, custódi illam, quia ipsa est vita tua. Quem enim. Glória Patri. Quem.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Hierónymi Presbyteri.

Epistol. ad Nepotianum.

Lectio iv.

Cave ô Clérice, ne aut linguam aut aures hábeas pruriéntes; id est, ne aut ipse áliis détrahas: aut álios áudias detrahéntes. Sedens, inquit, advérsùs fratrem tuum loquebáris; & advérsùs filium matris tuæ ponebas scándalum: hæc fecisti & tácui. Existimásti iníquè quòd ero símilis tui: árguam te, & státuam contra fáciem tuã. Parce à detractióne linguę, custódi sermónes tuos; & scito quia per cuncta quæ de áliis lóqueris, tuâ consciéntiâ judicáris: & in his ipse deprehénderis quæ in áliis arguébas. Neque verò illa justa est excusátio: Referéntibus áliis injúriam fácere non possum. Nemo invíto auditóri libénter refert. Sagítta in lápidem numquam figitur: intérdum resíliens pércutit dirigéntem. Discat detráctor, dum te videt, non libénter audíre, nõ fácilè detráhere.

℟. Præbe fili, cor tuum mihi, & óculi tui vias meas custódiant: * Ut addátur grátia cápiti tuo. ℣. Audi fili mi disciplínam patris tui & ne dimíttas legem matris tuæ. Ut.

Lectio v.

Cum detractóribus, ait Salómon, ne misceáris, quóniam repéntè véniet perdítio eórum; & ruínam utriúsque quis novit? Tam vídelicet ejus qui détrahit: quàm illíus qui accómmodat aurem detrahénti. Officij ergo tui est visitáre languéntes; nosse domos matronárum ac líberos eárum & nobílium virórum custodíre secréta: officij tui est, non

solùm

solùm óculos castos serváre sed & linguam. Numquam de formis mulíerum dísputes ; nec quid in cujúsquam domo agátur : ália domus per te nóverit. Hippócrates adjúrat discípulos ántequam dóceat, & in verba sua juráre compéllit ; extórquet sacraménto siléntium, sermónem, incéssum, hábitū, morésque præscríbit : quantò magis nos, quibus animárum cura commíssa est, ómnium Christianórum domos debémus amáre quasi próprias ? Consolatóres pótiùs nos in mœróribus suis : quàm convívas in prósperis nóverint. Fácilè contémnitur Cléricus; qui sæpè vocátus ad prándium : non recúsat. Numquam peténtes : rarò accipiámus rogáti.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam Abyssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquârum, ántequam montes collocaréntur : * Ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram. Ante.

Lectio vj.

Beátiùs enim est magis dare quàm accípere. Nescio enim quómodo étiam ipse, qui deprecátur ut tríbuat, cùm accéperis, viliórem te júdicat ; & mirum in modum si eum rogántem contémpseris : plus te postériùs venerátur. Prædicátor continéntiæ : núptias ne concíliet. Qui Apóstolum legit dicentem ; Súperest ut qui habent uxóres : sic sint quasi non hábeant. Cur vírginem cogit ut nubat ? Qui de monogámia sacérdos est, quare víduam hortátur ut bigama sit ? Procuratóres & dispensatóres domórum alienarum, atque villárum quómodo possunt esse Clérici ; qui próprias jubéntur contémnere facultátes ? Amíco quíppiam rápere, furtum est : Ecclésiam fraudáre sacrilégium est : accepísse quod paupéribus erogándum sit, & esuriéntibus plúrimis vel cautum esse velle, vel tímidum ; aut quod apertíssimi scéleris est, áliquid inde subtráhere : ómnium prædónum crudelitátem súperat. Ego fame

fame tórqueor, & tu júdicas quantùm ventri meo satis sit: aut dívide statim quod accéperis; aut si tímidus dispensátor es: dimítte largitórem, ut sua ipse distribuat. Nolo sub occasióne mea sácculus tuus plenus sit: nemo mea méliùs me serváre potest. Optimus dispensátor est: qui sibi nihil resérvat.

℟. Gyrum cœli circuívi sola, & in flúctibus maris ambulávi: in omni gente & in omni pópulo primátum ténui: * Superbórum & sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis habitávi, & thronus meus in colúmna nubis. Superbórum. Glória Patri. Superbórum.

℟. vij. Magna enim sunt judícia tua Dómine: & inenarrabília verba tua, magnificásti pópulum tuum: * Et honorásti. ℣. Sicut enim equi depavérunt, & sicut agni exultavérunt: magnificántes te Dómine qui liberásti eos. Et honorásti.

℟. viij. Da mihi Dómine sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis: * Quóniam servus tuus sum ego & filius ancíllæ tuæ. ℣. Scit enim illa ómnia & intélligit: & dedúcet me in opéribus meis sóbriè. Quóniam.

℟. ix. Emítte Dómine sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ: * Ut mecum sit, & mecum labóret, & sciam quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Mitte illam de sanctis cœlis tuis & à sede magnitúdinis tuæ. Ut mecum.

Te Deum laudámus.

Post Vesperas ad primam Processionem.

℟. j. Verbum iníquum & dolósum longè fac à me Dómine. Divítias & paupertátes non déderis mihi, sed tantùm víctui meo tríbue necessária.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus, omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

Ad secundã Processionem.

Aña. O Crux benedícta quæ sola fuisti digna portáre Regem cœlórum & Dóminum.

Orémus

Orémus. *Oratio.*

RESpice quæsumus, Dómine super hanc famíliam tuam; pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium: & crucis subíre torméntum. Qui tecum.

FERIA SECUNDA,

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 1.

COróna sapiéntiæ, timor Dómini; replens pacem, & salútis fructum; & vidit, & dinumerávit eam: útraque autem sunt dona Dei. Sciéntiam & intelléctum prudéntiæ; sapiéntia compartiétur: & glóriam tenéntium se exáltat. Radix sapiéntiæ est timére Dóminum: & rami illíus longævi. In thesáuris sapiéntiæ intelléctus, & sciéntiæ religiósitas. Execrátio autem peccatóribus sapiéntia.

℟. Verbum iníquum & dolósum longè fac à me Dómine: * Divítias & paupertátes nō déderis mihi, sed tantùm víctui meo tríbue necessária. ℣. Extolléntiam óculórū meórū ne déderis mihi, & omne desidérium pravum avérte à me. Divítias.

Lectio ij.

TImor Dómini expéllit peccátum; nam qui sine timóre est, non póterit justificári: iracúndia enim animositátis illíus, subvérsio illíus est. Usque in tempus sustinébit pátiens: & pósteà rédditio jocunditátis. Bonus sensus usque in tempus abscóndet verba illíus: & lábia multórum enarrábunt sensum illíus. In thesáuris sapiéntiæ significátio disciplínæ: execrátio autem peccatóri cultúra Dei. Fili concupíscens sapiéntiam; consérva justítiam: & Deus præbébit illam tibi.

℟. Ne derelínquas me Dómine pater & dominátor vitæ meæ, ut non córruam in conspéctu adversariórum meórum. * Ne gáudeat de me inimícus meus. ℣. Apprehénde arma & scutum & exúrge in adjutórium mihi. Ne gáudeat.

Lectio iij.

SApiéntia enim & disciplína timor Dómini; & quod beneplácitum est illi fides & mansuetúdo: & adimplébit thesáuros illíus. Ne sis incredíbilis timóri.

dilígite illum : & illuminabúntur corda vestra. Respícite filij natiónes hóminum, & scitóte quia nullus sperávit in Dómino : & confúsus est. Quis enim permánsit in mandátis ejus, & derelíctus est : aut, quis invocávit eum, & despéxit illum ?

℟. Gyrum cœli. 376.

FERIA QUARTA.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 3.

FIlij sapiéntiæ, Ecclésia justórum : & nátio illórum obediéntia & diléctio. Judícium patris audíte Filij ; & sic fácite : ut salvi sitis. Deus enim honorávit patrem in filiis ; & judícium matris exquírens firmávit in filios. Qui díligit Deum, exorábit pro peccátis ; & continébit se ab illis : & in oratióne diérum exaudiétur.

℟. Magna enim sunt. 376.

Lectio ij.

ET sicut qui thesaurízat : ita & qui honoríficat matrem suam. Qui honórat patrem suum ; jocundábitur in filiis : & in die oratiónis suæ exaudiétur. Qui honórat patrem suum, vita vivet longióre ; & qui obédit patri : refrigerábit matrem. Qui timet Dóminum honórat paréntes : & quasi Dóminis sérviet his qui se genuérunt.

℟. Da mihi Dómine. 376.

Lectio iij.

IN ópere & sermóne, & omni patiéntia, honóra patrem tuum ; ut supervéniat tibi benedíctio ab eo : & benedíctio illíus in novíssimo máneat. Benedíctio patris firmat domos filiórum : maledíctio autem matris eradícat fundaménta. Ne gloriéris in contumélia patris tui ; non enim est tibi glória : ejus confúsio. Glória enim hóminis ex honóre patris sui : & dédecus filij pater sine honóre.

℟. Emítte Dómine. 376.

FERIA QUINTA.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 3.

ALtióra te ne quæsíeris, & fortióra te ne scrutátus fúeris ; sed quæ tibi præcépit Deus, illa cógita semper : & in plúribus opéribus ejus ne fúeris curiósus. Non est enim tibi necessárium ; ea quæ abscóndita sunt : vidére óculis tuis. In supervácuis rebus,

bus, noli scrutári multiplíciter: & in plúribus opéribus ejus non eris curiósus. Plúrima enim super sensum hóminum osténsa sunt tibi. Multos quoque supplantávit suspício illórum: & in vanitáte detínuit sensus illórum.

℟. Audi fili mi. 382.

Lectio ij.

COr durum habébit malè in novíssimo; & qui amat perículum: in illo períbit. Cor ingrédiens duas vias; non habébit succéssus: & pravus corde in illis scandalizábitur. Cor nequam gravábitur in dolóribus: & peccátor adjíciet ad peccándum. Sinagógæ superbórum non erit sánitas; frutex enim peccáti radicábitur in illis: & non intelligétur.

℟. Avérsio parvulórū. 383.

Lectio iij.

COr sapiéntis intellígitur in sapiéntia: & auris bona áudiet eum omni concupiscéntia sapiéntiam. Sápiens cor & intelligíbile abstinébit se à peccátis: & in opéribus justítiæ succéssus habébit. Ignem ardéntem extínguit aqua, & eleemósyna resístit peccátis; & Deus prospéctor est ejus, qui reddit grátiam: méminit ejus in pósterum, & in témpore casûs sui, invéniet firmaméntum.

℟. Fili noli defícere. 383.

FERIA SEXTA.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap 4.

FIli eleemósynam páuperis ne defráudes: & óculos tuos ne transvértas à páupere. Animam esuriéntem ne despéxeris: non exásperes páuperem in inópia sua. Cor ínopis ne afflíxeris: & non prótrahas datum angustiánti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias: & non avértas fáciem tuam ab egéno.

℟. Præbe fili. 384.

Lectio ij.

AB ínope ne avértas óculos tuos propter iram: & non relínquas quæréntibus tibi retrò maledícere; maledicéntis enim tibi in amaritúdine ánimæ exaudiétur deprecátio illíus: exáudiet autem eum, qui fecit illum. Congregatióni páuperum affábilem te fácito; & presbýtero humília ánimam tuã: & magnáto humília caput tuum.

℟. In

℟. In princípio Deus. 384.

Lectio iij.

DEclína páuperi sine tristítia aurem tuam; & redde débitum tuum: & respónde illi pacífica in mansuetúdine Líbera eum qui injúriam pátitur de manu supérbi: & non áci dè feras in ánima tua. In judicándo esto pupíllis misérícors ut pater, & pro viro matri illórum; & eris tu velut fílius Altíssimi obédiens: & miserébitur tui magis quam mater.

℟. Gyrum Cœli. 385.

S A B B A T O.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 4.

FIli consérva tempus & devíta à malo. Pro ánima tua ne confundáris dícere verum. Est enim confúsio addúcens glóriam & grátiam. Ne accípias fáciem advérsùs fáciem tuã: nec advérsùs ánimam tuam mendácium. Ne revereáris próximum tuum in casu suo: nec retíneas verbum in témpore salútis. Non abscóndas sapiéntiam tuam in decóre suo.

Lectio ij.

IN lingua enim sapiéntia dignóscitur; & sensus, & sciéntia, & doctrína in verbo sensáti: & firmaméntum in opéribus justítiæ. Non contradícas verbo veritátis ullo modo: & de mendácio ineruditiónis tuę confúndere. Non confundáris confitéri peccáta tua: & ne subjícias te omni hómini pro peccáto. Noli resístere contra fáciem poténtis: nec conéris contra ictum flúvij.

Lectio iij.

PRo justítia agonizáre pro ánima tua; & usque ad mortem certa pro justítia: & Deus expugnábit pro te inimícos tuos. Noli citátus esse in lingua tua: & inútilis & remíssus in opéribus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua; evértens domésticos tuos: & ópprimens subjéctos tibi. Non sit porrécta manus tua ad accipiéndum: & ad dandum colléćta.

S A B B A T O.

Ante Dominicam v. Augusti, nisi hæc fuerit propinquior Kalendis Septembris, quia tunc ista cum sua Hebdomada omittitur, & ponitur Antiphona pro prima Dominica Septembris, ut infra.

A l

Ad Magnificat, Aña.

Obsérva fili præcépta patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ, sed liga eam semper in corde tuo.

Ad primam Processionem.

℟. j. Audi fili mi disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ, ut multiplicéntur tibi anni vitæ.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tuâ virtúte confidimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundam Processionem.

℟. ij. Avérsio parvulórum interficiet eos, & prospéritas stultórum perdet illos. Qui autem me audíerit, absque terróre quiéscet.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas Dómine, semper à nobis iniquitátes repelle: ut ad viam salútis ætérnæ secúra mente currámus. Per Dóminum nostrum.

DOMINICA QUINTA.
Augusti.

IN I. NOCTURNO.
De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 5.

NOli atténdere ad possessiónes iníquas: & ne díxeris. Est mihi sufficiens vita; nihil enim próderit in témpore vindíctæ: & obductiónis. Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui: & ne díxeris. Quómodò pótui? aut, quis me subjíciet propter facta mea? Deus enim víndicans vindicábit. Ne díxeris, Peccávi: & quid mihi áccidit triste? Altíssimus enim est pátiẽs rédditor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu: neque adjícias peccátum super peccátum.

℟. Audi fili mi, disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ. * Ut multiplicéntur tibi anni vitæ. ℣. Fili ne obliviscáris legis meæ, & præcépta mea custódiat cor tuum. Ut.

Lectio ij.

ET ne dicas; Miserátio Dei magna est: multitúdinis peccatórum meórum miserébitur. Misericórdia enim & ira ab illo citò próximant: & in peccatóres réspicit ira illíus. Non tardes convérti ad Dóminum: & ne differas de

de die in diem. Súbitò enim véniet ira illíus : & in témpore vindíctæ dispérdet te. Noli ánxius esse in divítiis injústis : non enim próderunt tibi in die obductiónis & vindíctæ. Non véntiles te in omnem ventum : & non eas in omnem viam. Sic enim omnis peccátor probátur in dúplici lingua.

℟. Avérsio parvulórum interfíciet eos, & prospéritas stultórum perdet illos. * Qui autem me audíerit absque terróre quiéscet. ℣. Impij verò de terra perdéntur & qui iníquè agunt auferéntur ex ea. Qui autem.

Lectio iij.

Esto firmus in via Dómini ; & in veritáte sensûs tui & sciéntia : & prosequátur te verbum pacis & justítiæ. Esto mansuétus ad audiéndum verbum : ut intélligas & cum sapiéntia próferas respónsum verum. Si est tibi intelléctus, respónde próximo ; sin autem, sit manus tua super os tuum : ne capiáris in verbo indisciplináto, & confundáris. Honor & glória in sermóne sensáti : lingua verò imprudéntis subvérsio est ipsíus. Non appelléris susúrro : & linguâ tuâ ne capiáris, & confundáris.

℟. Fili noli defícere à disciplína Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris. * Quem enim diligit Dóminus córripit, & quasi pater in filio cómplacet sibi. ℣. Tene disciplínam nec dimíttas eam, custódi illam, quia ipsa est mater tua. Quem enim. Glória. Quem enim.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 22. in 2. Cor. 10. in Moral. Lectio iv.

Ne tardes convérti ad Dóminum ; & ne differas de die in diem : nescis enim quid paritúra sit superventúra dies. Perículum enim & metus est in differéndo : salus verò certa ac secúra, si nulla sit dilátio. Virtútem ígitur cole ; sic enim licet júvenis moriáris, secúrè discésseris : quòd si ad senectútem pervéneris, cum multa facilitáte & nulla moléstia à vita discédes ; duplicémque habébis festivitátem, & quòd

quòd à vitæ malítia abstinúeris? & quòd virtútem colúeris. Ne dicas. Erit tempus, quando convérti licébit? verba enim hæc Deum valdè exásperant.

℟. Præbe fili cor tuum mihi, & óculi tui vias meas custódiant: * ut addátur grátia cápiti tuo. ℣. Audi fili mi, disciplínam patris tui, & ne dimíttas legem matris tuæ. Ut.

Lectio v.

CUrnam, cùm ipse tibi ætérna sæcula promísit; tu in præsénti vita laboráre non vis, quæ parva & momentánea est? sed sic ignávus ac dissolútus agis; quasi hac breviórem áliam quamdam inquíras? nonne illæ quotidiánæ comessatiónes, nonne illæ mensæ; nonne scorta illa, nonne theátra illa? nónne divítiæ illæ testántur inexplébilem malítiæ concupiscéntiam? cógita benè, quòd quóties scortátus es, tóties condemnásti teipsum; peccátum enim ita se habet, ut mox atque patrátum fúerit? senténtiam ferat judex.

℟. In princípio Deus ántequàm terram fáceret, priúsquam abyssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum, ántequam omnes montes collocaréntur. * Ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram. Ante.

Lectio vj.

INebriátus es? ventri indulsísti? rapuísti? siste jam gradum; verte te in divérsum, confitére Deo grátiam, quòd non in médiis peccátis te ábstulit: nec quære áliud tibi prorogári tempus ut malè operéris. Multi dum malè ac vitiósè víverent, súbitò periérunt; & in manifestam damnatiónem abiérunt? time ne idem tibi áccidat. Sed multis, inquis, dedit Deus spátium? ut in última senécta confiteréntur. Quid ígitur? numquid & tibi dábitur? Fortásse dabit, inquis. Cur dicis fortásse? Contigit aliquóties. Cógita quod de ánima deliberas; proínde étiam de contrário cógita, & dic? Quid autem si non det? Quid autem si det, inquis? esto, dat quidem ipse? verúmtamen

rúmtamen hoc illo cértius & utílius.

℟. Gyrum cœli circuívi sola & in flúctibus maris ambulávi, & in omni gente & in omni pópulo primátum ténui. * Superbórum ac sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis habitávi, & thronus meus in colúmna nubis. Superbórum. Glória Patri. Superbórum.

℟. vij. Magna enim sunt judícia tua Dómine & inenarrabília verba tua: magnificásti pópulum tuum:* Et honorásti. ℣. Sicut enim equi depavérunt, & sicut agni exultavérunt: magnificántes te Dómine, qui liberásti eos. Et honorásti.

℟. viij. Da mihi Dómine sédium tuárum assistrícem sapiéntiam & noli me reprobáre à púeris tuis. * Quóniam servus tuus sum ego & filius ancíllæ tuæ. ℣. Scit enim illa ómnia & intélligit & dedúcet me in opéribus meis sóbriè. Quóniam.

℟. ix. Emítte Dómine sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ: * Ut mecum sit & mecum labóret, & sciam quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Mitte illam de sanctis cœlis tuis & à sede magnitúdinis tuæ. Ut.

Te Deum laudámus.

Post Vesperas.

Ad primam Processionem.

℟. j. Verbum iníquum & dolósum longè fac à me Dómine. Divítias & paupertátes non déderis mihi, sed tantùm víctui meo tríbue necessária.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus, omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus: sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundam Processionem.

Aña. O Crux benedícta quæ sola fuísti digna portáre Regem cœlórum & Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

REspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam; pro qua Dóminus noster Jesus Christus, non dubitávit mánibus tradi nocéntium: & crucis subíre torméntum. Qui tecum, &c.

FERIA SECUNDA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 7.

NOli fácere mala, & non te apprehéndent. Discéde ab iníquo, & defícient mala abs te. Fili, non sémines mala in sulcis injustítiæ, & non metes ea in séptuplum. Noli quærere à Dómino ducátum, neque à rege cáthedram honóris. Non te justífices ante Deum; quóniam ágnitor cordis ipse est: & penes regem noli velle vidéri sápiens.

℟. Verbum iníquum & dolósum longè fac à me Dómine.* Divítias & paupertátes non déderis mihi, sed tantùm víctui meo tríbue necessária. ℣. Extolléntiam oculórum ne déderis mihi, & omne desidérium pravum avérte à me. Divítias.

Lectio ij.

NOli quærere fieri judex; nisi váleas virtúte irrúmpere iniquitátes: ne fortè extiméscas fáciem poténtis, & ponas scándalum in æquitáte tua. Non pecces in multitúdinem civitátis, nec te immíttas in pópulum; neque álliges duplícia peccáta: nec enim in uno eris immúnis. Noli esse pusillánimis in ánimo tuo: exoráre & fácere eleemósynam ne despícias.

℟. Ne derelínquas me Dómine pater & Dóminus vitæ meæ, ut non córruam in conspéctu adversariórum meórum. * Ne gáudeat de me inimícus meus. ℣. Apprehénde arma & scutum & exúrge in adjutórium mihi. Ne gáudeat.

Lectio iij.

NE dicas: In multitúdine múnerum meórum respíciet Deus; & offerénte me Deo altíssimo: múnera mea suscípiet. Non irrídeas hóminem in amaritúdine ánimæ; est enim qui humíliat & exáltat: circumspéctor Deus. Noli aráre mendácium advérsus fratrem tuum: neque in amícum simíliter fácias. Noli velle mentíri omne mendácium: assidúitas enim illíus non est bona. Noli verbósus esse in multitúdine presbyterórum: & non íteres verbum in oratióne tua.

℟. Dómine pater & Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno, extolléntiam

extollentiam oculórum ne déderis mihi, & desidérium malígnum avérte à me Dómine: aufer à me concupiscéntiam. * Et ánimæ irreverénti & infrunítæ ne tradas me Dómine. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi ántequam móriar vanitátem; & verba mendácij longè fac à me. Et ánimæ. Glória Patri. Et ánimæ.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 10.

JUdex sápiens judicábit pópulum suum: & principátus sensáti stábilis erit. Secúndùm júdicem pópuli, sic & minístri ejus; & qualis rector est civitátis: tales & inhabitántes in ea. Rex insípiens perdet pópulum suum: & civitátes inhabitabúntur per sensum poténtium. In manu Dei potéstas terræ, & útilem rectórem suscitábit in tempus super illam. In manu Dei prospéritas hóminis: & super fáciem scribæ impónet honórem suum.

℟. Præbe fili. 384.

Lectio ij.

OMnis injúriæ próximi ne memíneris: & nihil agas in opéribus injúriæ. Odíbilis coram Deo est & homínibus supérbia: & execrábilis omnis iníquitas géntium. Regnum à gente in gentem transfértur propter injustítias & injúrias, & contumélias, & divérsos dolos. Aváro autem nihil est sceléstius. Quid supérbit terra & cinis? Nihil est iníquiùs quàm amáre pecúniam. Hic enim & ánimam suam venálem habet: quoniàm in vita sua projécit íntima sua.

℟. In princípio. 384.

Lectio iij.

OMnis potentátus brevis vita. Lãguor prolíxior gravat médicũ. Brevẽ languórẽ præcídit médicus: sic & rex hódie est & cras moriétur. Cùm enim moriétur homo; hæreditábit serpéntes: & bestias & vermes. Inítium supérbiæ hóminis, apostatáre à Deo; quóniam ab eo qui fecit illum, recéssit cor ejus: quóniam inítium omnis peccáti est supérbia; qui tenúerit illam, adimplébitur maledíctis: & subvértet eum in finem.

℟. Gyrum cœli. 385.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 13.

QUi tetígerit picem inquinábitur ab ea: & qui communicáverit supérbo, índuet supérbiam. Pondus super se tollet: qui honestióri se commúnicat. Et ditióri te, ne sócius fúeris. Quid communicábit cácabus ad ollam? quando enim se collíserint, confringétur. Dives injústè egit, & fremet: pauper autem læsus tacébit. Si largítus fúeris, assúmet te: & si non habúeris, derelínquet te. Si habes, convívet tecum, & evacuábit te: & ipse non dolébit super te.

℟. Magna enim sunt. 385.

Lectio ij.

HUmiliáre Deo, & expécta manus ejus. Atténde ne sedúctus in stultítiam humiliéris. Noli esse húmilis in sapiéntia tua: ne humiliátus in stultítiam seducáris. Advocátus à potentióre discéde: ex hoc enim magis te advocábit. Ne ímprobus sis, ne impingáris; & ne longè sis ab eo: ne eas in oblivionem. Ne retíneas ex æquo loqui cum illo: nec credas multis verbis illíus. Ex multa enim loquéla tentábit te: & subrídens interrogábit te de abscónditis tuis. Immitis ánimus illíus conservábit verba tua; & non parcet de malítia: & de vínculis.

℟. Da mihi Dómine. 385.

Lectio iij.

CAve tibi; & atténde diligénter audítui tuo: quóniam cum subversióne tua ámbulas; áudiens verò illa quasi in somnis vide: & vigilábis. Omni vita tua dílige Deum: & ínvoca illum in salúte tua. Omne ánimal díligit símile sibi: sic & omnis homo próximum sibi. Omnis caro ad símilem sibi conjungétur: & omnis homo símili sui sociábitur. Si communicábit lupus agno aliquándo, sic peccátor justo. Quæ communicátio sancto hómini ad canem? aut quæ pars díviti ad páuperem?

℟. Emítte Dómine. 385.

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 14.

BEátus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo: & non est stimulátus in tristítia delícti. Felix qui non

non hábuit ánimi sui tristítiam; & non éxcidit à spe sua. Viro cúpido & tenáci sine ratióne est substántia; & hómini lívido ad quid aurum? Qui acérvat ex ánimo suo injústè; áliis cóngregat: & in bonis illíus álius luxuriábitur. Qui sibi nequam est, cui álij bonus erit? & non jocundábitur in bonis suis.

℟. Audi fili mi. 382.

Lectio ij.

QUi sibi ínvidet, nihil est illo néquius, & hæc reddítio est malítiæ illíus; & si benefécerit, ignoránter & non volens facit: & in novíssimo maniféstat malítiam suam. Nequam est óculus lívidi; & avértens fáciem suam: & despíciens ánimā suam. Insatiábilis óculus cúpidi in parte iniquitátis: non satiábitur donec consúmat arefáciens ánimam suam. Oculus malus ad mala; & non satiábitur pane: sed índigens & in tristítia erit super mensam suam.

℟. Avérsio parvulórum. 383.

Lectio iij.

FIli, si habes, bénefac tecum: & Deo dignas oblatiónes offer. Memor esto quóniam mors non tardat; & testaméntum inferórum quia demonstrátum est tibi: testaméntum enim hujus mundi morte moriétur. Ante mortem bénefac amíco tuo:, & secúndùm vires tuas expórrigens da páuperi. Non defraudéris à die bono: & partícula boni doni non te prætéreat. Nonne áliis relínques dolóres & labóres tuos in divisióne sortis? Da & áccipe & justífica ánimam tuam. Ante óbitum tuum operáre justítiam: quóniam non est apud ínferos invenire cibum.

℟. Fili noli defícere 383.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiástici.

Léctio j. Cap. 21.

FIli, peccásti? non adjícias íterùm; sed & de prístinis deprecáre: ut tibi dimittántur. Quasi à fácie cólubri fuge peccáta: & si accésseris ad illa, suscípient te. Dentes leónis, dentes ejus, interficiéntes ánimas hóminum. Quasi romphæa bis acúta omnis iníquitas: plagæ illíus non est sánitas. Objurgátio &

injúriæ annullábunt substántiam ; & domus quæ nimis lócuples est annullábitur supérbia : sic substántia supérbi eradicábitur.

℟. Præbe fili. 384.

Lectio ij.

DEprecátio páuperis ex ore usque ad aures ejus pervéniet : & judícium festinátò advéniet illi. Qui odit correptiónem, vestígium est peccatóris : & qui timet Deum : convertétur ad cor suum. Notus à longè potens lingua audáci : & sensátus scit labi se ab ipso. Qui ædíficat domum suã impéndiis aliénis quasi qui cólligit lápides suos in híeme. Stuppa colléćta synagóga peccántium : & cõsummátio illórum flamma ignis.

℟. In princípio. 384.

Lectio iij.

VIa peccántium complanáta lapídibus ; & in fine illórum ínferi : & ténebræ, & pœnæ. Qui custódit justítiam : continébit sensum ejus. Consummátio timóris Dei : sapiéntia & sensus. Non erudiétur qui non est sápiens in bono. Est autem sapiéntia, quæ abúndat in malo : & non est sensus ubi est amaritúdo. Sciéntia sapiéntis tamquàm inundátio abundábit : & consílium illius sicut fons vitæ pérmanet.

℟. Gyrum cœli. 385.

SABBATO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 32.

REćtórem te posuérunt? noli extólli ; esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illórum habe, & sic conside ; & omni cura tua explícita recúmbe ; ut læ-téris propter illos, & ornaméntum grátiæ accípias corónam : & dignatiónem consequáris corrogatiónis. Lóquere major natu ; decet enim te primum verbum diligénti sciéntia : & non impédias músicam.

Lectio ij.

UBi audítus non est, non effúndas sermónem : & importúnè noli extólli in sapiéntia tua. Gémmula carbúnculi in ornaménto auri : & comparátio musicórum in convívio vini. Sicut in fabricatióne auri signum est smarágdi : sic númerus musicórum in jocúndo & moderáto vino. Audi tacens, & pro reveréntia accédet tibi

tibi bona grátia. Adoléscens lóquere in tua causa vix. Si bis interrogátus fúeris ſ hábeat caput respónsum tuum.

Lectio iij.

IN multis esto quasi ínsscius ſ & audi tacens simul & quærens. In médio magnatórum non præsúmas ſ & ubi sunt senes non multùm loquáris. Ante grándinem præíbit coruscátio ; & ante verecúndiam præíbit grátia ſ & pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Et hora surgéndi non te trices, præcúrre autem prior in domum tuam ; & illic avocáre, & illic lude, & age conceptiónes tuas ſ & non in delíctis, & verbo supérbo. Et super his ómnibus benedícito Dóminum ſ qui fecit te, & inebriántem te ab ómnibus bonis suis.

SABBATO.

Proximo Kalendis Septembris.

Ad Magnificat, Antiph. Percússit Satan Job úlcere péssimo à plantâ pedis usque ad vérticem, & testâ sániem radébat, sedens in sterquilínio.

Ad primam Processionem.

℟. j. Si bona suscépimus de manu Dei, mala quare non suscipiámus. Dóminus dedit, Dóminus ábstulit, sicut Dómino plácuit ita factum est : sit nomen Dómini benedíctum.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus ; ut qui infirmitátis nostræ cónscij de tua virtúte confídimus ſ sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundam Process.

℟. ij. Antequam cómedam suspiro, & tamquam inundántis aquæ, sic rugítus meus : quia timor quem timébam, evénit mihi ; & quod verébar áccidit : nónne dissimulávi? nónne sílui? nonne quiévi? Et venit super me indignátio.

Orémus. *Oratio.*

CUnctas, Dómine, semper à nobis iniquitátes repélle ſ ut ad viam salútis ætérnæ secúra mente currámus. Per Dóminum.

HOMILIÆ ET ORATIONES IN DOMINICIS.

Per órdinem díspósitæ, à tértiâ usque ad décimam sextam post Pentecóstén.

DOMINICA III. *Post Pentecosten.*

Orémus. *Oratio.*

PRotéctor in te sperántium Deus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum: multíplica super nos misericórdiam tuam; ut te rectóre, te duce, sic transeámus per bona temporália: ut non amittámus ætérna. Per Dóminum nostrum.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore: Erant appropinquántes ad Jesum publicáni & peccatóres, ut audírent illum. Et murmurábant Pharisæi & Scribæ dicéntes; Quia hic peccatóres récipit & mandúcat cum illis. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

De Parabola centum ovium.

NOn minùs ínvidi quā supérbi, malítiam de Domínicâ bonitáte capiébant; de pietáte Dei ímpij reddebántur: fiébant de Christi miseratióne crudéles; sumébant de cœléſti curatióne languórem: & pœniténtium véniam vertébant júdicis in reátum. Peccatóres récipit: & mandúcat cum illis. Sic videt ínvidus; sic supérbus sentit; avárus sic sapit: intélligit sic malígnus. Peccatóres récipit. Non dicunt, súscipit. Quid amíserat, quid récipit? Donat culpas; iram vertit in gáudium; dolórem mutat in grátiam: quicúmque ínvenit quod amísit. Peccatóres récipit. Récipit peccatóres Deus, sed Deus peccatóres

peccatóres esse non sinit, quos récipit; peccátor Deum non víolat appropínquans: Deus peccatórem sanctíficat cum appropínquat. Pharisæe, Christus peccáta non récipit, cùm récipit peccatórem; quia Deus non críminis: sed hóminis est recéptor.

Lectio viij.

ET ait ad illos parábolam: Quis ex vobis homo qui habet centum oves? semper quidem cùm pérdita reperímus novum cápimus cúmulum gaudiórum; & est jocúndiùs nobis invenísse pérdita: quàm non perdidísse servâta. Sed hæc parábola plus divínæ pietátis; quàm consuetúdinis humánæ lóquitur: & éxprimit veritátem. Magna relínquere; amáre minóra; Dei potestátis est, non est cupiditátis humánæ: quia Deus & quæ non sunt, facit esse; & pérdita sic séquitur, ut téneat quæ relíquit: & amíssa sic ínvenit, ut quæ servâta sunt non amíttat. Ergo non terrénus pastor iste est, sed cœléstis; & parábola hæc tota non figuráta est labóribus humánis: sed Divínis est obumbráta mystériis.

Lectio ix.

HOmo habens oves centum, Christus est. Pastor bonus; pastor pius; qui in unâ ove, hoc est, in Adam, posúerat totum gregem géneris humáni; hanc inter amœna paradísi; hanc in regióne vitális páscuæ collocárat: sed illa vocem pastóris oblíta; dum lupínis ululátibus credit; & caulas pérdidit salutáres: & tota lethálibus sauciáta vulnéribus. Hanc ergo Christus véniens quærere in mundum: in útero virgíneæ regiónis invénit. Venit suæ nativitátis in carne; & in crucem levans húmeris suæ impósuit passiónis; & gaudens toto resurrectiónis gáudio per ascénsum ad cœléstem tulit: & pértulit mansiónem. Et vocávit amícos & vicínos: Hoc est, Angelos. Dicens illis; Congratulámini mihi: quia invéni ovem meam, quæ períerat.

Ad Benedictus, Antiph. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdíderit unam ex illis, nonne dimíttit nonaginta.

nóvem in desérto, & vadit ad illam quæ períerat, donec invéniat eam? allel.

Ad Magnifica., Antiph. Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam quæ períerat, dixit Dóminus.

DOMINICA IV.
post Pentecosten.

Orémus. *Oratio.*

DA nobis quæsumus, Dómine, ut mundi cursus pacíficè nobis tuo órdine dirigátur: & Ecclésia tua tranquíllâ devotióne lætétur. Per Dóminum nostrum.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore: Cùm turbæ irrúerent in Jesum; ut audírent verbum Dei: & ipse stabat secùs stagnum Genésareth. Et vidit duas naves stantes secùs stagnum. Piscatóres autem descénderant: & lavábant rétia. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósij Epíscopi.

Lib. 3. de Virginibus.

NOn vilis est navis; quæ dúcitur in altum: hoc est, ab incrédulis separátur. Cur enim navis elígitur, in qua Christus sédeat; turba docétur; nisi quia navis Ecclésia est, quæ pleno Domínicæ crucis velo sancti Spíritûs flatu in hoc benè návigat mundo? In hac navi piscátur Petrus; & nunc rétibus: nunc hamo piscári jubétur. Grande mystériū. Spiritális enim vidétur esse piscátio; qua doctrínæ hamum mittere jubétur in sæculum: ut primum illum Mártyrem Stéphanum de navi verrat; qui censum Christi in interióribus continéret: Martyr enim Christi thesáurus Ecclésiæ. Martyr ígitur ille qui de mari cœlum primus ascéndit captus à Petro Miníster altaris non reti, sed hamo levátus: ut rivo sui sánguinis levarétur ad cœlum. Cujus in ore thesáurus erat: cùm Christum in confessióne loquerétur. Qui enim thesáurus in nobis est, nisi Dei verbum? Ergo & reti & hamo piscátur perféctior; ut reti conclúdat: hamo adúrat. Sed reti turba conclúditur: hamo singuláris elígitur. O si mihi licéret illum hamum voráre: qui adúreret os meū, & levi daret salútē vúlnere!

Lectio viij.

AUdísti hódie dicéntem Dóminum Jesum Simóni: Duc in altum, & laxáte rétia vestra in captúram. Ante non ducébat in altum Petrus: quando piscabátur in stagno. Et si mare erat: altum non erat. Altum mare Scriptúra nescit. Quid ergo sit altum, áccipe. Aqua alta: consílium in corde viri. Altum cor viri est: ubi nihil vadósum est. Duc ergo in altum disputatiónis; fidéique tuæ remígium: duc in cor viri. Per parábolam hic vocat ad Ecclésiam Petrum; quem secúndùm Matthæum símplici sermóne vocávit, dicens: Veníte, & fáciam vos piscatóres hóminum. Est & áliud mystérium; Duc in altum: quia ante aréna erat, quando in Synagógâ erat. Alta non erat aqua Judææ. Dénique Samaritána & púteum altum putábat, dicens; Et púteus altus est, unde mihi dare habes aquam vivam? Non ergo dúcere in áltum póterat; quando cum Judæis credébat: qui étiam de púteo aquam haurîre non póterant. Ideò dícitur Petro; Duc in altum: hoc est, duc ad Christum.

Lectio ix.

IBi ergo altæ aquæ; ubi Christus est: hoc est, fides. Altæ aquæ, quæ timent Deum, quales illæ; Vidérunt te aquæ Deus; vidérunt te aquæ: & timuérunt. Apud Judæos aqua alta non erat: quia non erat in corde viri. Ideóque Dóminus ait; Pópulus hic lábiis me honórat: cor autem eórum longè est à me. In corde amat esse Christus. Sicut autem Jonas in ventre ceti tribus diébus & tribus nóctibus; sic erit Fílius hóminis in corde terræ: tribus diébus & tribus nóctibus. Dénique ut scias quia de fide dicit; Duc in altum: ait Petrus. Præcéptor, per totam noctem laborántes, nihil cépimus: sed in verbo tuo laxábo rétia. Noctem habébat Petrus: ántequàm Christum vidéret. Nondum ei vénerat dies: quia veram non víderat lucem. Synagóga nox est, dies Ecclésia est. Undè & Paulus dicit; Nox præcéssit: dies

autem appropinquávit. Bona lux, quæ perfidiæ excússit calíginem : fidei diem fecit.

Ad Benedictus, Antiph. Ascéndens Jesus in navim, & sedens docébat turbas, allelúia.

Ad Magnificat, Antiph. Præcéptor per tótam noctem laborántes, nihil cépimus in verbo autem tuo laxábo rete.

DOMINICA V.
post Pentecosten.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui diligéntibus te bona invisibília præparásti : infúnde córdibus nostris tui amóris affectum ; ut te in ómnibus & super ómnia diligéntes : promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant consequámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio sancti Evangélij : secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap: c

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis: Amen dico vobis; nisi abundáverit justítia vestra plusquàm Scribárum & Pharisæórum : non intrábitis in regnum cœlórum. Audístis quia dictum est antíquis : Non occídes: Qui autem occíderit, reus erit judício. Et réliqua.

Homília sancti Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.
Homil. 8. ad Monachos.

NEscio de quibus delíctis débeant esse secúri ; étiam de peccátis ignorántiæ judicándi : ac ratiónem de otiósis sermónibus ac de cogitatiónibus reddi túri. Néscio quæ débeant delícta neglígere ; de quibus & ipse Dóminus cum quadam definitióne declárat : Amen dico vobis ; si quis díxerit fratri suo, Fátue : reus erit ignis. Quis inter hæc ullam speráre indulgéntiam posset : nisi quàm proclívis est homo ad delinquéndum ; tam misericórdia Dómini nostri dives est ad remitténdum ? Respiciámus ergo, fratres, vocatiónem nostram ; ambulémus in humilitáte ; in omni patiéntia : in omni mansuetúdine. Ponámus ori nostro custódiam ; timor futúri judícij mítiget iracúndiam : cogitátio últimi diéi frangat supérbiam.

Lectio viij.

COgitémus qui luctus erit negligénti ánimæ ex hoc córpore discedénti; quæ angústiæ; quæ calígo; quæ ténebræ; cùm ex illo adversariórum número prima occúrrere cœperit consciéntia divérsis circumjécta crimínibus. Ipsa enim remótis ómnibus probatiónibus; ipsa ingerénda óculis nostris: ut nos & convíncat probátio, & confúndat agnítio. Non ulli licébit vel celáre áliquid, vel negáre; ubi non de longè aliúnde: sed de intus processúrus est accusátor & testis. Quamóbrem ut futúram illam confusiónem ex præsénti, quæ inter hómines evenire solet confusióne conjiciámus; cogitémus si alícui nostrū inter nos objiceréntur delícta & occúlta sua quemádmodum & cordi intrínsecus nota sunt: verè dico, communes ómnium vultus ferre non posset; & quid fáciet infélix ánima, quando cum oppróbriis & fœditátibus suis Angelórum fúerit conspéctibus præsentáta?

Lectio ix. Homil. 10.

SUam linguam malilóquus máculat; suum cor obtrectátor exúlcerat; suæ mentis lumen iracúndus obcæcat; suam ínvidus ánimam velut quadam rubígine pestífero livóre corrúmpit: & sicut exulcerátis paréntibus nascúntur víperæ; sicut, inquam, nasci vipérei fœtus disrúptis matrum viscéribus asserúntur: ita humána præcórdia ipsis prímitus, quas concéperint: passiónibus dilacerántur. Illa, inquam, præcórdia; de quibus vitiórum generátio serpentína profértur: ipsa prímitùs monstruósa partus fœcunditáte violántur. De tali partu dicit sermo Divínus. Ecce partúriit injustítiam, concépit dolórem: & péperit iniquitátem. Convertétur dolor ejus in caput ejus: & in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Ad Benedictus, Aña. Audístis quia dictum est antíquis, Non occídes, qui autem occíderit reus erit judício.

Ad Magnificat, Antiph. Si offers munus tuum ad altáre, & recordátus fúeris.

tis, quia frater tuus habet áliquid advérsùs te; relínque ibi munus tuum ante altáre, & vade priùs reconciliári fratri tuo, & tunc véniens ófferes munus tuū, dicit Dóminus.

DOMINICA VI.

Post Pentecosten.

Orémus. *Oratio.*

DEus virtútum, cujus est totum quod est óptimum: ínsere pectóribus nostris amórem tui nóminis; & præsta in nobis religiónis augméntum; ut, quæ sunt bona nútrias: ac pietátis stúdio quæ sunt nutríta custódias. Per Dóminum nostrum.

Lectio sancti Evangélij: secúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore: cùm turba multa esset cum Jesu, nec habérent quod manducárent; convocátis discípulis: ait illis. Miséreor super turbam; quia ecce jam tríduo sústinent me: nec habent quod manducent. Et si dimísero eos jejúnos in domum suam; defícient in via: quidam enim ex eis de longè venérunt. Et réliqua.

Homília S. Gregórij Papæ.

Hom. 21.

TUrba tríduo Dóminum sústinet; quando multitúdo fidélium peccáta quæ perpetrávit; per pœniténtiam, declínans, ad Deum se in ópere, locutióne: atque in cogitatióne convértit. Quos dimíttere jejúnos in domum suam Dóminus nóluit; ne deficiant in via; quia vidélicet convérsi peccatóres in præséntis vitæ viá deficiūt: si in sua confessióne sine doctrínæ sanctæ pábulo dimittántur. Ne ergo lassémur in hujus peregrinatiónis itínere: pascéndi sumus sacrâ admonitióne. Valdè autem pensánda est pia senténtia; quæ processit ex ore Veritátis, qua dícitur: Quidam enim ex eis de longè venérunt.

Lectio viij.

ESt autem qui nihil fraudis & nihil carnális corruptiónis expértus: ad omnipoténtis Dei servítium festinávit. Iste de longínquo non venit: quia per incorruptiónem & innocéntiam próximus fuit. Alius nullâ impudicítiâ; nullis flagítiis inquinátur; solo autem conjúgio expértus:

pértus ; ad ministérium spirituále convérsus est. Neque iste venit de longínquo ; quia usus conjunctióne concéssâ ; per illícita non errávit. Alij verò post carnis flagítia ; álij post falsa testimónia ; álij post furta ; álij post illátas violéntias ; álij post perpetráta homicídia ad pœniténtiam rédeunt ; atque ad omnipoténtis Dei servítium convertúntur ; hi vidélicet ad Dóminum de longínquo véniunt. Quantò étenim quísque plùs in pravo ópere errávit ; tantò ab omnipoténte Dómino lóngiùs recéssit.

Lectio ix.

Dentur ígitur aliménta eis étiam, qui de longínquo véniunt ; quia convérsis peccatóribus doctrínæ sanctæ cibi præbéndi sunt ; ut in Deum vires réparent, quas in flagítiis amisérunt. Qui sæpè à Doctóribus tantò necésse est ut longióribus cibis doctrínæ satiéntur ; quantò fessi majóribus vítiis venérunt. Et cùm jam confitéri cœperint mala, quæ commisérunt ; atque confiténdo relínquere & flétibus puníre ; necésse est, ut doctóres sancti pro eórum peccátis sollícite exórent ; quátenùs mensæ Dómini carnes oblatiónis portent. Quod quóties agunt ; & in hoc pro aliénis peccátis intervéniunt ; sua ante Dei óculos ámpliùs detérgunt ; quia eâ ipsâ charitáte se justíficant ; quâ mirâ pietáte pro aliénis iniquitátibus se in laméntis mactant. Nec laboriósum debet esse doctóri pro convérsis peccatóribus lácrymas fúndere ; quando & ipse, qui ómnia creávit, homo factus ; pro nostris iniquitátibus in cruce sánguinem fudit.

Ad Benedictus, Antiph. Accípiens Jesus septem panes benedíxit, & dabat discípulis suis ut apponerent turbæ.

Ad Magnificat, Antiph. Miséreor super turbam : quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod mandúcent : & si dimísero eos jejúnos, defícient in via, allelúia.

DOMINICA VII.
Post Pentecosten.

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

DEus, cujus providéntia in sui dispositióne non fállitur: te súpplices exorámus; ut nóxia cuncta submóveas: & ómnia nobis profutúra concédas. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 7. e

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Atténdite à falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestiméntis óvium: intrínsecus autem sunt lupi rapáces. A frúctibus eórum cognoscétis eos. Et réliqua.

Homília sancti Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Homilia. 5. ad Monachos.

CLamat nobis Deus noster; Non omnes, qui dicunt mihi, Dómine, Dómine: intrábunt in regnum cœlórum. Hoc quare? Quia non auditóres legis justi sunt apud Deū: sed factóres legis justificabúntur. Undè étiam si benè víximus; cursum nostrum stabilitáte & perseveránti â commendáre debémus: in loco vocatiónis nostræ persisténdo & proficiéndo. Verè dico, etiámsi hîc vigínti aut trigínta annos Dño impēdissémus; cui útique totum nóscimus debére quod vívimus: & ut satis annum unū agerémus in sæculo; inæstimábile esset: quantum nos de ætérnæ vitæ gáudiis fraudarémus. Quia spes nostræ omnes: in consummatióne atque in fine consístunt. Quid mihi prosunt, si mihi sata viridántia in herbis spem messis osténdant; & me sub ipso falcis témpore súbitâ vel áëris intempériæ: vel pluviárum inundatióne decípiant?

Lectio viij.

QUid mihi próderit, si vínea spem omnem in flore promíttat; & vel ferárum incúrsio: vel vástitas grándinis spem omnem in consummatiónem subdúcat? Ideóque omnis prospéritas: omnísque labórum merces in fine consístit. Cùm autem illis doléndum sit, qui hinc post multa labórum stipéndia; post aliquántum annórum proféctum; aliquibus desidériis abstrahúntur: quid de illis erit; qui hîc quá-

tuor

mor aut quinque annos, longíssimum tempus credunt: & omnem réliquæ vitæ tractum in sæculi vanitáte consúmunt? Dum étiam annus sæculi labóres nostros in erémo acquisítos ita possit absúmere; quómodo si mare magnum parvíssimum intra se rívulum recípiat & absórbeat: atque ei nec nomen relínquat.

Lectio. ix.

QUantò magis ítaque laborámus: tātò cautióres esse debémus. Proficiéntibus enim insidiátur inimícus; & ubi videt áliquam spem, áliquam grátiam; ibi tamquam leo rúgiens & circúmiens ad invadéndum prædam totus incúmbit: & ídeo quia hic pósitis nocére non prævalet; vult áliquos minùs cautos per cogitatiónes, ac per divérsas tentatiónes ex hoc loco quodámmodo, quasi extra castra prodúcere; & quasi de munitíssimâ arce depónere: & cùm deposúerit, velut de loco superióre conflígere; ut etiámsi navem non valet mérgere; saltem ex detriméntis & damnis quæ abúndant in sæculo: jocundíssimam prædam réferat.

Ad Benedictus, Aña. Non omnis qui dicit mihi; Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum: sed qui facit voluntátem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrábit in regnum cœlórum, Dixit Dóminus.

Ad Magnificat, Antiphona. Non potest arbor bona fructus malos fácere, nec arbor mala fructus bonos fácere: omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidétur, & in ignem mittétur.

DOMINICA VIII.

Post Pentecosten.

Orémus. *Oratio.*

LArgíre nobis, quæsumus Dómine, semper spíritum cogitándi quæ recta sunt, propítius & agéndi; ut qui sine te esse non póssumus: secúndùm te vívere valeámus. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Homo quidam erat dives qui habébat

habébat víllicum; & hic diffamátus est apud illum: quia dissipásset bona ipsíus. Et vocávit illum: & ait illi. Quid hoc áudio de te? Redde ratiónem villicatiónis tuæ. Jam enim non póteris villicáre. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósij Epíscopi.

In idem Evangelium.

Non ómnia, fratres charíssimi, quæ in víllico Dóminus laudávit, nos ad imitándum súmere debémus; sed ut vobis signarétur quantùm pláceat Dómino pia bonórum nostrórum dispensátio: hæc scripta sunt. Nam si ille qui fraude pietátis ópera exercébat; méruit à Dómino commendári: quantò magis qui ex corde bono sua indigéntibus distríbuit? Et ídeo dives ille qui plúrima collégerat; nec tamen paupéribus subministrábat: sed ea sibi resérvans dicébat. Anima, habes multa bona pósita in annos plúrimos, requiésce, & cómede; in álio loco condemnátur: & dícitur ei. Stulte, hac nocte répetēt ánimā tuā à te.

Lectio viij.

Audi sapientíssimi cósílium Salomónis. Ne dicas, inquit; Abi nunc, & redi crástino: & dabo tibi. Non enim scis quid páriat superventúra Dies. Sed ne hujúsmodi mandáta suscípias: aures tibi óbstruit avarítia. Non te oportébat grátias ágere Deo; exultáre & lætári; quòd non ipse mendícans aliénas círcuis fores: sed álij ante tuas jánuas sedent à te misericórdiam postulántes. Tu verò difficilis es ad præbéndum; contristáris ac declínas ne quis tibi paulò moléstior cogénte necessitáte paupertátis exístat: quasi non potuísset fieri, ut esses unus ex iis qui ante jánuā tuam fame pérditi jacent; & tu quidem satis dignè; nam voto, mente ac propósito pauper es: & totíus boni egénus. Cùm enim non hábeas charitátē; cùm desit tibi fides; desit spes in Deo; cùm tibi desit misericórdia: Quid te egestuósius quidve mendícius?

Lectio ix.

Sed ais. Quid injústum est si cùm aliéna non invádam,

invádam; própria diligéntiùs servo? O ímpudens dictum! Própria dicis; Quæ? Ex quibus recónditis in hunc mundum detulisti? Quando in hanc ingréssus es lucem; quando de ventre matris exísti; quibus, quæso facultátibus; quibúsque subsídiis stipátus ingréssus es? Numquid iníquus est Deus, ut nobis non æquáliter distríbuat vitæ subsídia; ut tu quidem esses áffluens & abúndans; áliis verò deésset, & egérent? An idcirco magis, quia & tibi vóluit benignitátis suæ experiménta conférre; & álium per virtútem patiéntiæ coronáre: tu verò suscéptis Dei munéribus, & in sinum tuum redáctis; nihil te putas ágere iníquum, si tam multórum vitæ subsídia solus obtíneas? Quis enim tam injústus; tam ávidus; tam avárus; quàm qui multórum aliménta, suum non usum; sed abundántiam & delícias facit? Neque enim minus est críminis habénti tóllere; quàm cùm possis & abúndes: indigéntibus denegáre. Esuriéntium panis est quem tu détines; nudórum induméntum est quod tu reclúdis; miserórum redémptio est absolútio: pecúnia quam tu in terram defódis. Tot te ergo scias invádere bona: quot possis præstáre & nolis.

Ad Benedictus, Antiph. Ait Dóminus víllico: Quid hoc áudio de te? Redde ratiónem villicatiónis tuæ, allelúia.

Ad Magnificat, Aña. Fácite vobis amícos de Mammóna iniquitátis; ut cùm defecéritis, recípiant vos in ætérna tabernácula.

DOMINICA IX.

Post Pentecosten.

Orémus *Oratio.*

PAteant aures misericórdiæ tuæ, Dñe, précibus supplicántium; & ut peténtibus desideráta concédas: fac eos quæ tibi sunt plácita postuláre. Per Dóminum nostrum.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore: Cùm appropinquáret Jesus, Jerúsalem, videns civitátem flevit super illam dicens. Quia si cognovísses & tu, & quidem in hac die tuâ; quæ

quæ ad pacem tibi: nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Et réliqua.

Homília S. Gregórij Papæ.

Hom. 39. in Evang.

HOc semel egit: cùm peritúram civitátem esse nuntiávit. Hoc quotídie Redémptor noster per eléctos suos ágere nullátenùs cessat; cùm quosdam ex bonâ vitâ: ad mores réprobos perveníſſe consíderat. Plangit enim eos, qui néſciunt cur plangántur, qui juxta Salomónis verba; Lætántur cùm malefécerint: & exúltant in rebus péſſimis. Qui si damnatiónem suam, quæ eis ímminet, agnovíſſent: semetípsos cum lácrymis electórum plángerent. Benè ergo peritúræ ánimæ senténtia quæ súbditur, cónvenit: Et quidem in hac die tua; quæ ad pacem tibi: nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Suam hîc diem habet ánima pervérsa, quia transitório gaudet in témpore; cui ea quæ adsunt, ad pacem sunt: quia dum ex rebus temporálibus lætátur; dum honóribus extóllitur; dum in carnis voluptáte resólvitur: dum nulla ventúræ formídine terrétur; pacem habet in die sua: quæ grave damnatiónis suæ scándalum in die habébit aliéna. Ibi enim affligénda est, ubi justi lætabúntur; & cuncta quæ modò ei ad pacem sunt, tunc in amaritúdinem rixæ verténtur; quia rixári secum íncipit, cur damnatiónem, quam pátitur, non expávit: cur à prospiciéndis malis sequéntibus óculos mentis clausit.

Lectio viij.

ET non relínquent in te lápidem super lápidem. Pervérsa étenim mens cùm pervérsæ cogitatióni adhuc perversiórem ádjicit; quid áliud quàm lápidem super lápidem ponit? Sed in destrúcta civitáte super lápidem lapis non relínquitur; quia dum ad ultiónem sua ánima dúcitur: omnis ab illa cogitatiónum suárum constrúctio diſſipátur. Quæ, cur hoc patiátur, adjúngitur. Eò quòd non cognóveris tempus visitatiónis tuæ. Pravam quamque ánimam omnípotens Deus: multis modis visitáre consuévit. Nam aſsiduè

duè hanc vísitat præcépto; aliquándo autem flagéllo; aliquándo verò miráculo: ut & vera quæ nesciébat, áudiat; & tamen adhuc supérbiens atque contémnens, aut dolóre compúncta rédeat; aut beneficiis devícta: malum quod fecit, erubéscat.

Lectio ix.

SEd quia visitatiónis suæ tempus mínimè cognóscit; illis in extrémo vitæ inimícis tráditur; cum quibus in ætérno judício damnatiónis perpétuæ societáte colligátur: sicut scriptum est. Cùm vadis cum adversário tuo ad príncipem in via: da óperam liberári ab illo, ne fortè trahat te ad júdicem; & judex tradat te exactóri: & exáctor mittat te in cárcerem. Adversárius quippe noster in via, est sermo Dei; contrárius nostris carnálibus desidériis in præsénti vita: à quo ipse liberátur, qui præcéptis ejus humíliter súbditur. Alióquin adversárius júdici, & judex tradet exactóri; quia ex sermóne Dómini contémpto, reus peccátor tenétur in exámine júdicis: quem judex exactóri tradet, quia hunc malígno spirítui ad ultiónem tráhere permíttet; ut compúlsam ánimam ipse ad pœnam de córpore éxigat: quæ ei ad culpam sponte consénsit. Exáctor mittit in cárcerem, quia per malígnum spíritum in inférno retrúditur; quoúsque dies judícij advéniat: ex quo jam in inférni ígnibus simul & ipse cruciátur.

Ad Benedictus, Aña. Domus mea, domus oratiónis vocábitur.

Ad Magnificat, Aña. Scriptum est enim; quia domus mea, domus oratiónis est cunctis Géntibus: vos autem fecístis illam spelúncam latrónum: & erat quotídiè docens in templo.

DOMINICA X. *post Pentecosten.*

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máximè & miserándo maniféstas: multíplica super nos misericórdiam tuam; ut ad promíssa tua curréntes: cœléstium bonórum fácias esse consórtes. Per Dóminum.

Léctio

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore: Dixit Jesus ad quosdam qui in se confidébant tamquam justi; & aspernabántur cæteros: parábolam istam. Duo hómines ascendérunt in templum, ut orárent; unus Pharisæus: & alter Publicánus. Et réliqua.

Homília sancti Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

In Evang. Serm. 7.

DOminus in Evangélio formam dedit, quáliter, & quàm atténto ánimo in Ecclésia stare debeámus; Pharisæum, & Publicánum in oratióne descríbens; nam, cùm Pharisæi vanitátem exposuísset: adjecit. Publicánus à longè stans non audébat óculos ad cœlum leváre; sed percutiébat pectus suum, dicens: Dómine propítius esto mihi peccatóri. Non audébat, inquit, per oris timórem: cordis reveréntiam demonstrábat. Cessábat loquéndi mulíebris lévitas: ridéndi puerílis vílitas; circumspiciéndi vulgáris & inverecúnda libértas. Solum timórem intus inclúserat foras pulsa secúritas; non audébat ad cœlum óculos leváre, nec imméritò: duo intra se expavénda respíciens. Quæ duo? id est, reátum suum; & júdicem suum: dejéctis óculis pectus tundébat. Percutiébat, inquit: pectus suum.

Lectio viij.

DUm pectus percutiébat, ut póterat, laténtem intra se consciéntiam verberábat; dum à foris pectus percúteret; rixam intus cum péssimis habitatóribus conferébat: & tandem ipse sui censor contra amíca diu vítia litigábat. Percutiébat pectus suum; indígenos hóspites de templo Dei, déxterâ, ut sic dictum sit: perturbánte pellébat. Percutiébat pectus suum; arcam peccatórum: & officínam críminum fides iráta cædébat. Advérte hoc loco; quid divérso génere agat desídia: quid sedúlitas supplicándi. De domo Dei nimis sibi reus, humilitátis grátiam; nimis sibi secúrus, præsumptiónis reportávit offénsam: odíbile enim

fécerat

fécerat sacrifícium oratiónis suæ; fœtóre jactántiæ: dicéndo. Dómine grátias ágo tibi, quia non sum sicut cæteri hóminum; jejúno bis in Sábbato: décimas do ómnium, quæ posśídeo.

Lectio ix.

VIde quid sub divérso affectu agat mens dirécta: quid réproba. Accusánti se, justítia nata est de peccátis. Justificánti se: culpa de méritis. Et proptérea in illo confúsa est elátio: in isto honoráta est conféssio. Deus, inquit: propítius esto mihi peccatóri. Et éxiit magis justificátus: ab illo Pharisæo. Miráre húmilem Publicánum; novo génere medicína per salutíferum peccáti gémitum: de ipso sibi vúlnere fecisse remédium. Vide illum de peccáto damnásse peccátum; & quodámmodo de venéno expréssi úlceris: morsum curásse serpéntis. Unde & nos pecccáta sua unusquísque ante óculos disponéntes cum Prophéta dicámus; Quóniā iniquitátem meā ego cognósco: & cogitábo pro peccáto meo. Cædátur, in similitúdinem Publicáni pectus vítiis, & flagítiis cum Publicáno: si fortè in sacrário possit transíre virtútum. Præoccupétur, dum licet, satisfactiónis dies: ántequam præóccupet últimus dies.

Ad Benedictus, Añā. Stans à longè Publicánus nolébat nec óculos suos ad cœlum leváre; sed percutiébat pectus suum dicens: Deus, propítius esto mihi peccatóri.

Ad Magnificat, Añā. Deus propítius esto mihi peccátori.

DOMINICA XI.

post Pentecosten.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus qui abundántiâ pietátis tuæ & mérita súpplicum excédis & vota: effúnde super nos misericórdiam tuam; ut dimíttas quæ consciéntia métuit: & adjícias quod orátio non præsúmit. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo témpore: Exiens Jesus de finibus Tyri; venit per Sydónem ad mare

re Galilææ : inter médios fines Decapóleos. Et addúcunt ei surdum & mutum; & deprecabántur eum : ut impónat illi manum. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

In idem Evang. Hom. 11.

SUrdus ille & mutus, quem mirabíliter curátum à Dómino modò cùm Evangélium legerétur, audívimus; genus desígnat humánum : in his qui ab erróre diabólicæ deceptiónis divínâ meréntur grátiâ liberári. Obsúrduit namque homo ab audiéndo vitæ verbo : postquam mortífera serpéntis verba contra Deum túmidus audívit; mutus à laude conditóris efféctus est : ex quo cum seductóre collóquium habére præsúmpsit. Et méritò clausit aures ab audiéndâ inter Angelos laude Creatóris; quod velut ad meliorándum ejúsdem opus Creatóris : cibi vétiti prævaricatióne supérbus implévit. Et heu miser géneris humáni deféctus; quod in radíce vitiósum germinávit : vitiósiùs multò dilatári cœpit in propágine ramórum.

Lectio viij

DIgitos quippe surdo in aurículas mittit : cùm per dona grátiæ spiritális diu non credéntes ad audítum sui verbi convértit. Expuens, linguam muti ut loqui váleat tangit; cùm per ministérium prædicatiónis ratiónem fidei : quam confitéri débeat, præstat. Per dígitos namque Dómini Spíritûs sancti dona significári & ipse docet, dicens. Si ego in dígito Dei ejício dæmónia; quod álius Evangelísta maniféstiùs ponit : Si ego in Spíritu Dei ejício dæmones. Et Psalmísta ait. Quóniam vidébo cœlos ópera digitórum tuórum; id est, vidébo sanctos non suæ mérito virtútis; sed tui múnere Spíritûs à terrénis suspénsos : & cœlésti factos conversatióne sublímes. Sputum quoque cápitis & oris Dómini verbum est Evangélij : quod ex invisíbili Divinitátis arcáno sumptum; visibíliter mundo ut sanári posset : ministráre dignátus est. Notándum sanè quòd Dóminus priúsquam aurículas linguámque

guámque sanándi tángeret ægróti: apprehéndens eum seórsum duxit è turbâ. Prima namque salútis spes est quémlibet assuétos vitiórum tumúltus turbásque desérere: & sic ad suscipiénda sanitátis múnera humíliter caput inclináre,

Lectio ix.

QUod autem ait: Ephpheta, id est, adaperíre; propter aures dicit sanándas quas súrditas diútina cláuserat: sed ad audiéndum jam tactus patefécit ipsíus. Unde credo mos increbúerit Ecclésiæ; ut Sacerdótes illíus, his, quos percipiéndis Baptísmi Sacraméntis præparant: priùs inter cætera consecratiónis exórdia; de salíva oris sui nares tangant & aures, dicéntes: Ephpheta. Salívâ quidem oris sui gustum quo initiándi sunt supérnæ sapiéntiæ desígnant; per tactum verò nárium; ut abjéctis delectatiónibus nóxiis solum Christi semper amplectántur odórem; de quo dicit Apóstolus: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Et ut memínerint se juxta exémplum beáti Job, donec súperest hálitus in eis; & Spíritus Dei in náribus eórum non loqui iniquitátem lábiis: nec linguâ mendácium meditári debére. Porrò per tactum áurium; ut relícto audítu linguæ nequam, áudiant verba Christi, & fáciant ea: símiles viro prudénti, qui ædificávit domum suam supra petram. Et unusquísque nostrûm, fratres charíssimi; qui Baptísma Christi ritè suscépit: hoc órdine consecrátus est.

Ad Benedictus, Aña. Quantò eis Jesus præcipiébat, tantò magis plus prædicábant, & eò ámpliùs admirabántur, dicéntes: Benè ómnia fecit, surdos fecit audíre, & mutos loqui.

Ad Magnificat, Aña. Benè ómnia fecit, Surdos fecit audíre, & mutos loqui.

DOMINICA XII.
post Pentecosten.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens & miséricors Deus: de cujus múnere venit ut tibi à fidélibus tuis dignè & laudabíliter serviátur; tríbue quæsumus nobis: ut ad

promiſſiónes tuas ſine offenſióne currámus. Per Dóminum.

Léctio ſancti Evangélij ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore Dixit Jeſus diſcípulis ſuis. Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis; quòd multi Prophétæ & Reges voluérunt vidére quæ vos vidétis; & non vidérunt & audíre quæ audítis, & non audiérunt. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

In Sup. Evangel.

ADam jacébat deſtitútus ſalútis auxílio jacébat confóſſus vulnéribus delictórum ; & ſqualénti córpore, fluentíque tabo cruéntus & marcens vix exíguam partem ánimæ, ſpiritúſque trahébat. Cui nec Sacérdos Aaron tránſiens ſacrificio pótuit profuiſſe nec ejus frater Moſes Levíta per legem pótuit ſubveníre. Samaritánus autem quidam tránſiens ſolus ; diſſimuláre non pótuit quia propter eum à Deo Patre miſſus advénit. Hic eſt Samaritánus Dóminus Chriſtus cui hoc nomen ſcelerátus Judæórum impóſuit pópulus. Hic, inquam, Dóminus jacéntem vulneratúmque accéſſit; vinum oleúmque infúdit vulnéribus vinum, inquam, id eſt, ſánguinem Paſſiónis ; & óleum Chríſmatis, quibus & delictórum vúlnera curántur ; & ſanctificatiónis tutéla præſtátur ut indulgéntia darétur per ſánguinem, ſanctificátio conferrétur per chríſmatis unctiónem.

Lectio viij.

VIdeámus ígitur quid à duóbus denáriis; id eſt, à duóbus teſtaméntis Eccléſiæ rector plus poſſit impéndere ; quid ámpliùs poſſit in Dei pópulum erogáre in quo ſe ei Dóminus promíſit debitórem exíſtere. Nam cùm addi ad duo teſtaménta nihil poſſit ; nec quicquam augménti, detrimentíve lex ſancta ſuſcípiat quid eſt ergo, quod poſſit plus erogáre rector, quàm áccipit, niſi illud quod eſt próprij officij, in quod debet eníti, ut crédita érogét, accépta diſpénſet; apériat obſcúra, revelet occúlta;

ta; involúta pandat, quæstiónes in lucem dedúcat; insístat fórtiter, persevéret instánter? Memínerit se speculatórem esse cunctórum, ut óvibus páscuas salúbres tríbuat, agnis puri fontis undas exhíbeat: extérminet ab óvibus lupos, ab agnis nocívas béstias exclúdat; vulnerátos curet, errántes révocet; ignáros ínstruat, érigat lapsos, generáliter omnes, speciáliter síngulos dóceat: suæ vitæ próvocet univérsos exémplo. Sit ejus doctrína duplex, ut verbis facta convéniant; actus doctrínæ respóndeant: in nullo sit minor, qui cunctis est pótior.

Lectio ix.

SEd ut stábulum in Ecclésiæ nomen convértam; & de figúra proprietátem jam fáciam: ad te, quisquis es, ô Christiáne, convértor, qui sanitátem jactas, & te vulnerátum fuísse non mœres; qui te destitútum jacuísse non réspicis: sed eréctum in Ecclésia gloriáris. Ama Christum: qui te à prædónibus liberávit, dílige Dóminum, qui te prostrátum, jacentémque eréxit. Dílige, inquam, Dóminum, qui te in Ecclésiæ stábulum per semetípsum invéxit; qui rectóri stabulário commendávit: qui duos denários, hoc est, legem & Evangélium in eruditiónem tuam erogári præcépit. Dílige, inquam, Dóminum: qui tibi dicit. Ecce sanus es: jam noli peccáre, ne quid tibi detérius fiat. Erogávi tibi summam legis & Evangélij, libénter ampléctere; impéndi propter te duórum denariórum quantitátem: devotióne ávidâ súscipe. Domínica summa tui causa depósita in lucra tuæ salútis profíciat; sors propter te crédita: usúris cumuláta consístat. Dóminus enim charam tuam salútem habet; qui propter te in sæculum venit: & te à nefándis latrónibus liberávit.

Ad Benedictus, Aña. Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, & íncidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum, & plagis impósitis abiérunt semivívo relícto.

Ad Magnificat, Aña. Quis tibi vidétur próximus fuísse illi, qui íncidit in latrónes? at ille dixit: Qui fecit misericórdiam in illum. Vade, & tu fac simíliter, dixit Dóminus.

DOMINICA XIII.
post Pentecosten.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus da nobis fidei, spei, & charitátis augméntum; & ut mereámur ássequi quod promíttis: fac nos amáre quod præcipis. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo témpore: Dum iret Jesus in Jerúsalem, transíbat per médiam Samaríam & Galilæam. Et cùm ingrederétur quoddam castéllum: occurrérunt ei decem viri leprósi. Qui stetérunt à longè; & levavérunt vocem dicéntes: Jesu præcéptor, miserére nostri. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Contra vitium Ingratitudinis.

HEu, heu, non invenítur qui rédeat; & agat grátias Deo: nisi alienígena. Nonne decem mundáti sunt, & novem ubi sunt? meminístis, credo, verba Salvatóris hæc esse: novem illórum ingratitúdinem arguéntis. Benè síquidem oráſſe, obsecráſſe, postuláſſe legúntur; qui levavérunt vocem dicéntes: Jesu fili David miserére nobis. Sed défuit eis quarta, quam adjécit Apóstolus, gratiárum áctio; quando non rediérunt: neque egérunt grátias Deo. Multos quidem vidémus usque hódiè satis importúnè petentes quod sibi deéſſe cognóverint; sed paucos ádmodum agnóvimus: qui dignas super accéptis benefíciis grátias ágere videántur. Nec reprehensíbile quòd instánter pétimus; sed planè petitióni negat efféctum: quòd invenímur ingráti.

Lectio viij.

QUàm multos enim vidémus & plángimus, fratres; qui dúmmodò máneant hábitus & tonsúra: salva sibi ómnia arbitrántur? non considerántes míseri quemádmodum ingratitúdinis vermis interióra

interióra corródens, ob hoc tantùm córticem quē vident transforáre dissímulet; ne fortè recógitent & erubéscant: ipsáque verecúndiâ emendéntur. Qui sic intérdum in nonnúllis consúmpta esse interióra univérsa præsúmit; ut non vereátur ad ea quoque quæ foris parent, venenátum dúcere caput: nisi fortè quos vidémus apostatáre à Deo, repéntè fieri péssimos arbitrámur; & non magis paulátim defecísse, cùm coméderint aliéni robur eórum: & nesciérunt. Vides ergo non ómnibus prodésse quód à leprâ sæculáris conversatiónis, cujus peccáta manifésta sunt, emundántur; sed nonnúllis pejus in occúlto ingratitúdinis ulcus oríri: quod tantò periculósius sit, quantò intérius.

Lectio ix.

FElix autem Samaritánus ille, qui cognóvit se nihil habére, quod non accepísset; idcírcò servávit depósitum: & cum gratiárum actióne ad Dóminum est revérsus. Felix qui ad síngula dona grátiæ redit ad eum in quo est plenitúdo gratiárum; cui dum nos pro accéptis non ingrátos exhibémus; locum in nobis fácimus grátiæ: ut majóra adhuc accípere mereámur. Omníno enim sola nos à proféctu perfectiónis ímpedit ingratitúdo nostra; dum quodámmodo amíssum réputans dator, quod ingrátus accépit, cavet sibi de cætero ne tantò plura amítteret: quantò plura conférret ingráto. Felix proínde, qui se alienígenam réputans, étiam pro quibuscúmque mínimis beneficiis non mínimas refert grates; gratúitum esse non dúbitans: nec dissímulans quod aliéno impénditur & ignóto.

Ad Benedictus, Antiph. Cùm ingrederétur Jesus quoddam castellum, occurrérunt ei decem viri leprósi; qui stetérunt à longè, & levavérunt vocem dicéntes: Jesu præcéptor miserére nostri.

Ad Magnificat, Antiph. Nonne decem mundáti sunt? Et novem ubi sunt? Non est invéntus qui redíret, & daret glóriam Deo suo nisi hic alienígena.

Vade quia fides tua te salvum fecit, dixit Dóminus.

DOMINICA XIV.

Post Pentecosten.

Orémus. *Oratio.*

CUstódi Dómine quæsumus, Ecclésiam tuã propitiatióne perpétuâ: & quia sine te lábitur humána mortálitas; tuis semper auxíliis & abstrahátur à nóxiis: & ad salutária dirigátur. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 6. c

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Nemo potest duóbus dóminis servíre. Aut enim unũ ódio habébit, & álterum díliget; aut unum sustinébit: & álterum contémnet. Non potéstis Deo servíre & mammónæ. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

De terrenorum cura despicienda in Luc.

BEáti, quorum corda hodiérnus Domínici sermónis penetrávit audítus. Beáti, quorum mentes permóvit ad fidem: talis & tanta promíssio Salvatóris. Beáti, qui credulitáte cœléstium mandatórum duris absolúti sunt præséntium curis. Tali namque hódie discípulos suos; imò omnes auditóres suos: Dóminus voce compéllat. Nolíte sollíciti esse ánimæ vestræ, quid manducétis; neque córpori vestro: quid vestiámini. Anima plus est, quàm esca; & corpus, plus est: quàm vestiméntum. Quis sic ita ínvidus bonis suis, quis sic delíciis suis inimícus; ut spontánea, & cœlitùs præparáta despíciat: & concupíscat mundánis labóribus & dolóribus conquisíta? Dégener nimis ánimus, mens tota servílis est, quæ coquórum affátus; squallóres coquínæ; hestérno horróre fœténtia perquírat obsónia: cui júgiter régius desérvit, atque ádjacet apparátus.

Lectio viij.

NOli ergo homo inánia providéndo gémere; noli laboráre cadúca præparándo: quia prándij tui semper & ubíque Deus præparátor assístit. Quis Rex devótis milítibus débitam non procúrat annónam? Quis dóminus fidélibus servis justa cibária

ria non miníſtrat ? Quis pater non dat panem filiis ? Si ergo nobis Deus & Rex, & Dóminus, & Pater eſt ; quid negábit ? Stipéndiis ſuis mílitans dérogat miles Regi ; ſuis súmptibus vivens Dóminum ſervus accúſat : pro ſe ſollícitus filius culpat ſupérſtitem patrem. Noli ergo, homo, expónere Deum pro te táliter cogitándo ; qui & juſtítiâ regnántis, & dominántis ſtúdio, & generántis affèctu in ſe totam tui recépit ſollicitúdinem ; refúdit & curam : dicéndo. Nolíte ſollíciti eſſe ánimæ veſtræ : quid manducétis.

Lectio ix.

QUi putat Deum hoc piis filiis denegatúrum, quod ímpiis ávibus ſubminíſtrat ; & exíſtimat relinquéntibus propter ſe pátriam, domum, paréntes, filios, cónjuges, victûs ſubsídia non datúrum ; qui naſcénti indúlſit créſcere : terminávit córporis creméntum. O míſerum ; ô totá infelicitáte digníſſimum ; cui cùm detur regnum, ſuſpírat panem : cùm perpetuitáte donétur, deflet potum ; cùm immortalitátis glória induátur : plangit córporis veſtiméntum ! Géminæ infelicitátis cónſcius fieri non credit ſe felícem ; & terréno enutrítus in púlvere : cœli íncolam dúbitat ſe futúrum.

Ad Benedictus, Antiph. Nolíte ſollíciti eſſe, dicéntes : Quid manducábimus ? aut quid bibémus ? ſcit enim Pater veſter cœléſtis, quid vobis necéſſe ſit, dixit Dóminus.

Ad Magnificat, Antiph. Quærite primùm regnum Dei, & juſtítiam ejus, & hæc ómnia adjiciéntur vobis, dixit Dóminus.

DOMINICA XV.

Post Pentecosten.

Orémus. *Oratio.*

ECcléſiam tuam Dómine miſerátio continuáta mundet & múniat ; & quia ſine te non poteſt ſalva consíſtere : tuo ſemper múnere gubernétur. Per Dóminum.

Léctio ſancti Evangélij : ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo témpore : Ibat Jeſus in civitátem quæ vocátur Naïm : & ibant cum

eo discípuli ejus & turba copiósa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis; ecce defúnctus efferebátur, filius únicus matris suæ; & hæc vídua erat: & turba civitátis multa cum illa. Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntij Epíscopi.

De unico filio Viduæ.

AD portam pátriæ, múlier cum defúncto filio proximábat: & Christus medicínæ jánuam reserábat. Ipsum sequebántur Apóstoli, & lætántes Angeli; & cum matre comitabántur flentes pópuli: commúni conditióne compuncti. Inter mórtuum & Dóminum: porta erat objécta. Egréssus est portam: & invéxit vitam. Resonábant platéæ civitátis plánctibus matris: & cœlum resonábat gemítibus pietátis. Clamat Ráphaël Angelus comitátum Dómini veniéntis. Noli; noli mater flere: próximum est tibi gaudére. Illa autem quæ ejulándo dicébat; quibus querélis cœlum terrámque replébat: quæ filium amíserat quem habébat. Ubi est, ubi est únicus meus inániter natus? Citò subréptus est in pace locus ejus: mihi remánsit horríbilis luctus. Tu portáris in lecto: & ego jam oneróſa sum mundo. Quare non tu mihi supérstes matérnos in morte óculos conclusísti; & óculis mortis ruína compressis, me míseram præcessísti? Quare non mérui tuis, ut semper optábile est, mánibus sepelíri; sed tuæ mortis mérui caténis crudelíssimis alligári?

Lectio viij.

DOminus civitátis venit ad jánuas; proximábat ad portam: apéruit vitam, & clausit gehénnam. Tenebrósus luctus de portâ procéssit: & lux veniéntis Christi refúlsit. Coruscávit coruscatiónes: & dissipávit turbas sequéntes. Ante tamen stetit: condóluit. Non enim habémus Príncipem Sacerdótum: qui non possit cómpati infirmitátibus nostris. Compássus est pro único: qui únicus pepéndit in ligno. State, inquit; state: nolíte jam bájuli laboráre. Pónite mórtuum: expectáte miráculum. Repléte terrâ sepúlchrum; quia de

suscitáto

suscitáto mórtuo ; terra gaudébit & cœlum. Stetérunt ; posuérunt ; & spátium præbuérunt ; áliquid óperis expectábant ; sed nihil audiérunt, nisi unum verbum. Expavérunt mórtuum vivum ; qui dixit, & facta sunt ómnia ; dixit, & recépit júvenis vitam. Exúta linteámina ; disrúpit funéstam caténam ; resédit ; surréxit ; adorávit.

Lectio ix.

TUnc Dóminus qui díxerat ; Júvenis tibi dico surge ; matri respóndit ; Múlier ecce filius tuus ; & cognósce, quia ego sum judex viduárum ; & pater orphanórum. Vidi lácrymas tuas ; agnóvi querélas tuas. Non culpávi plangéntem ; sed consolátus sum lamentántem. Et mater voce turbátâ præ gáudio. Dómine ; quòd tibi grátias agam, testis est píetas. Quibus te débeam láudibus honoráre ; qui me non permisísti desolátam, ac míseram mendicáre ? Grátias tibi agant Angeli, qui descéndunt ; & totum pro me lætétur clima cœlórum. Aperiátur tibi porta cœli ; qui ante portam mihi reddidísti pignus fúneris mei. O bonum, & grande miráculum ! Ante portam Dóminus súscitat mórtuum ; qui foras ab Jerúsalem genus redémit humánum.

Ad Benedictus, Aña.

Accépit autem omnes timor ; & magnificábant Deum, dicéntes ; Quia Prophéta magnus surréxit in nobis ; & quia Deus visitávit plebem suam.

Ad Magnificat, Aña.

Prophéta magnus surréxit in nobis : quia Deus visitávit plebem suam.

DOMINICA XVI. *post Pentecosten.*

Orémus. *Oratio.*

TUa nos, quæsumus Dómine, grátia semper & prævéniat & sequátur ; ac bonis opéribus júgiter præstet esse inténtos. Per Dóminum.

PROPRIUM SANCTORUM.

PARS ÆSTIVA.

DIE XXV. MAII.

Sancti Urbani Papæ & Martyris.

Trium Lectionum.

Omnia de Communi unius Martyris.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut qui beáti Urbáni Mártyris tui atque Pontíficis natalítia cólimus: ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

URbánus Románus, Alexándro Sevéro Imperatóre, doctrínâ & vitæ sanctitáte multos ad Christi fidem convértit; in illis Valeriánum, beátæ Cæcíliæ sponsum, & Tibúrtium Valeriáni fratrem: qui póstea martyrium forti ánimo subiérunt. Hic de bonis Ecclésiæ attribútis scripsit his verbis. Ipsæ res fidélium, quæ Dómino offerúntur, non debent in alios usus, quàm Ecclesiásticos, & Christianórum fratrum, vel indigéntium, convérti; quia vota sunt fidélium, & prétia peccatórum: ac patrimónia páuperum. Sedit annos sex, menses séptem, dies quátuor; ac Martyrio coronátus; sepúltus est in cœmetério Prætextáti: Octávo Kaléndas Júnij. Ordinatiónibus quinque hábitis mense Decémbri, creávit Presbyteros novem; Diáconos quinque: Epíscopos per divérsa loca octo.

FESTA JUNII.

DIE II. JUNII.

Sanctorum Pothini, Primi Lugdunensis Episcopi, & Sociorum quadraginta septem Martyrum Lugdunensium, seu Athanacensium.

Duplex minus.

Omnia de Communi plurimorum

rimorum Martyrum præter ea, quæ hic sunt propria.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Pothíni & sociórum ejus Natalítia cólere: da nobis in ætérna Beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

In majori Ecclesia Processio ad sanctū Pothinum in Capella sancti Thomæ.

℟. vij. Sancti tui, Dñe. lxvj.

Ad ij. Magnificat, Antiph. Isti sunt Sancti, qui pro Testaménto Dei sua córpora tradidérunt, & in sanguine Agni lavérunt stolas suas.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus, ut qui glorióssos Mártyres Pothínum & sócios ejus fortes in sua confessióne cognóvimus: pios apud te in nostra intercessióne sentiámus.

Post Processionem, iterùm Vesperæ à Clero Majoris Ecclesiæ ad S. Nicetium.

Ad Matutinum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Epístola Ecclesiárum Viennénsis & Lugdunénsis ad Ecclésias Asiæ & Phrygiæ.

Apud Euseb. Cæsar. Hist. Eccles. l. 5. c. 10.

Lectio iv.

IN Gállia Duæ præ cæteris insígnes præstantésque Urbium Matres celebrántur; Lugdúnum ac Viénna, quarum utrámque pérmeat Rhódanus univérsam Regiónem: præcípiti cursu circúmfluens. Nobilíssimæ horum locórum Ecclésiæ commentárium de Passióne Mártyrum suórum ad Ecclésias Asiæ Phrygiæque misérunt ea: quæ apud se gesta erant hoc modo commemorántes. Servi Christi, qui apud Viénnam & Lugdúnum Gálliæ degunt, Frátribus per Asiam & Phrygiam constitútis; qui eámdem nobíscum Fidem & & Spem habent Redemptiónis: Pax & Grátia, & Glória à Deo Patre, & Christo Jesu Dómino nostro. Gravitátem ipsam ærumnárum, & géntium advérsùs sanctos furórem ac rábiem; quæque & quanta

beáti Mártyres perpéssi sunt: nec nos exprímere dicéndo, nec quisquam scribéndo compléčti accuráte possit. Omni síquidem vírium ímpetu in nos írruit adversárius: nihil quippe intentátum relíquit. Sed grátia Dei pro nobis advérsus diábolum pugnávit, & infirmióres quidem servávit; viros autem illi oppósuit columnárum instar, firmos ac stábiles: qui fortitúdine sua univérsum dæmonis ímpetum in semetípsos pertráhere valérent.

℟. Beáti eritis. lxij.

Lectio v. Post multa.

BEatíssimus autē Pothínus qui Episcopátum Lugdunénsis Ecclésiæ administrábat, nonagenário major, & córpore ádmodum infírmo: ob præséntem quidem córporis imbecillitátem ægrè spíritum trahens; cæterùm præ cupiditáte imminéntis Martyrij mirábili alacritáte ánimi firmátus: étiam ipse ad tribúnal ferebátur. Córpore quidem partim ob senectútem, partim vi morbi pénitus exháusto ac solúto; ánimam verò adhuc rétinens: ut per eam Christus triumpháret. Perlátus ígitur à milítibus ad tribúnal; prosequéntibus ipsum Magistrátibus civitátis, & univérsa plebe váriis eum acclamatiónibus impeténte: tamquàm ipse Christus esset, egrégium réddidit testimónium. Interrogátus verò à Præside; Quísnam esset Christianórum Deus? Respóndit. Si dignus fúeris: cognósces. Post hæc ábsque ullo humanitátis respéctu raptátus; atque innúmeris plagis afféctus est. Cùm ij quidem qui própiùs adstábant cálcibus & pugnis illum contumeliósè appéterent; nec ullam ejus ætáti reveréntiam exhibérent; qui verò lóngiùs distábant, quicquid ad manum erat, in ipsum conjícerent: quippe hoc modò injúriam Deórum suórum ultúros se, arbitrabántur. Exínde vix adhuc spirans in cárcerem projéctus est: tandémque post bíduum, ánimam exhalávit.

℟. Effudérunt. lxiij.

Ex sancto Gregório Turonénsi, & sancto Adóne Viennénsi.

De gloria Martyrum lib. 1.
In Martyrologio.
Lectio vj.

QUadragínta octo Mártyrum nómina, qui apud Lugdúnum passi dicúntur: hæc sunt. Pothínus Epíscopus; Zachárias Présbyter; Epágatus, Macárius, Alcibíades, Sílvius, Primus, Ulpius, Vitális, Comínius, Octuber, Philóminus, Géminus, Július, Albína, Grata, Rogáta, Æmília, Potámia, Pompéia, Rhódana, Biblis, Quarta, Matérna, Elpes, quæ & Amnas. Hi autem béstiis tráditi sunt: Sanctus, Matúrus, Attalus, Alexánder, Pónticus, Blandína. Hi sunt qui in cárcere spíritum reddidérunt; Aristæus, Cornélius, Zózimus, Titus, Július, Zóticus, Apollónius, Geminiánus, Júlia, Ausónia, Æmília; Jámnica, Pompéia, Domna, Justa, Tróphima, Antónia:, & Beátus Pothínus Epíscopus. Quorum Sancta córpora Judex iníquus igni tradi præcépit: atque in Rhódanum púlveres jussit spargi. Sed divíno admónitu Christiáni, sacros cíneres in eódem locum, iráculo conservátos colligéntes: sub sancto Altári condidérunt. Harum reliquiárum festivitátem cives Lugdunénsis Urbis, ómnibus undequáque lætánter accurréntibus per descénsum flúminis, cum hymnis & cánticis gratulatiónis concelebrántes, Missarúmque solémnia in Apostolórum Ecclésia, ubi sancti cíneres eórum cónditi servántur: Dómino festívè reddéntes ex antiquórum traditióne, ipsam diem Miraculórum appéllant. Locus, in quo passi sunt, Athænæum vocátur: ideóque dicúntur Mártyres Athanacénses.

℞. Adoravérunt. lxiij.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis. Dico vobis amícis meis, ne terreámini ab his, qui occídunt corpus; & post hæc non habent ámpliùs: quid fáciant. Osténdam autem vobis quem debeátis timére; timéte eum qui postquam occíderit: habet potestátem míttere in gehénnam.

hénnam. Et réliqua.

Homília sancti Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

De sancta Blandina Martyre Lugdunensi.

AGnoscámus, Charíssimi, circa Ecclésiam nostram uberiórem Divinórum múnerum largitátem. Exúltant singulárum Urbium pópuli, & si uníus saltem Mártyris relíquiis muniántur: ecce nos pópulos Mártyrum possidémus. Gáudeat terra nostra nutrix cœléstium Mílitū: & tantárum parens fœcúnda virtútum. Ecce prophánus hostis nequáquàm ei tantùm prodésse potuísset obséquio: quantùm prófuit gládio. Nam, sicut sacratíssimi præséntis diéi maniféstant Festa; quantùm contra eam iníquitas abundávit: tantùm in ea grátiæ nunc & benedictiónis exúberat. Légimus in Béthleem ab Heróde, dum Christum perséquitur, míllia felícium extíncta esse puerórum; dicénte Prophéta: Rachel plorans fílios suos, & nóluit consolári, quia non sunt. Ita hæc beáta parens, & triumphálium illústris pátria Lugdúnum tantórum dives pígnorum méritis; & si ad moméntum óculis inspiciéntium orbári visa est: nequáquam tamen índiget consolári. Nec plorat filios suos; quia in vidéndis lúctibus dùm pérderet: acquisívit.

℟. Sancti tui. lxvj.

Lectio viij.

FIduciáliter inter hæc tecum, ô Béthleem, Terra Juda, quæ candidátam plebem imbéllis infántiæ Deo offérre meruísti; dignè, inquam, tecum, ó Béthleem, Lugdúnum nostrum certáret: & super Divínis circa útraque benefíciis, velut colláto tecum sermóne conténderet, ita dicens. O Béthleem, in Mártyrum nostrórum títulis, tu número fortásse præcédes: ego mérito. In tuis interféctio fuit, conféssio non fuit: In meis colluctátio Passiónis. In tuis sola fuit opportúnitas & occásio felicitátis. Te éxitus ditávit benedictióne: me virtus. Tu in sánguine parvulórum potuísti vidére pereúntes: non potuísti expectáre certántes. Te coronávit innocéntia moriéntium:

morientium : me glória triumphántium. Tu obtulísti annis párvulos : ego étiam méritis consummátos. Triúmphum tuum sexus unus; meum utérque proméruit: mea pugna palmam de mundi príncipe étiam in fœminis reportávit. Chorus meus in púeris Innocéntes suos habére pótuit : chorus tuus Blandínam meam habére non pótuit.

℟. Anima nostra. lxvij.

Lectio ix.

PRæstitit inter ista Divína Providéntia ut in tantis pátriæ Sacrifíciis étiam Póntifex non deésset. Rápitur ad ímpiam quæstiónem grandævus & plenus diérum beátus Pater noster Pothínus, Ecclésiæ hujus Antístes; & pro eruditiónis, ut crédimus, mérito, gregi suo júngitur, ac post Domínici córporis Sacrifícium : prophánis tribunálibus novam de se hóstiam Christo oblatúrus inféruur. Senílis infírmitas per injúrias & afflictiónes furéntium ministrórum, ita célerem sortítur éxitum : ut eum intellígeres ad tempus illud soli Martyrio reservátum. Felix, cui in ipso vitæ límine cōstitúto, finem suum, non tam natúræ cóntigit debére, quàm glóriæ. Corroborántur hic piæ mentes tanti Paréntis exémplo; & paráta supplícia non tàm suscípiunt : quàm inváדunt. Divérsa multímodæ crudelitátis génera, novósque cruciátus in semet Sāctórum péctora invícta consúmunt; & intolerándum pondus malórum contemnéndo vincunt; & sentiéndo óbtinent : ut sentíre non possint.

℟. Laudáte gentes. lxvij.

AD LAUDES.

Oratio. Deus, qui nos concédis Sanctórum. 419.

In Majori Ecclesia Processio ad sanctū Pothinum in Capella sancti Thomæ.

℟. ij. Isti sunt Sancti. lix.

Ad secundum Benedictus, Antiphona. Justórum ánimæ. *quæ est j. de Laudibus* lxviij.

Oratio. Præsta, quæsumus, Omnípotens Deus. 419.

DIE III. JUNII.

Sancti Liphardi Presbyteri & Confessoris.

Trium Lectionum.

Omnia

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis.

Lectio iij.

LIphardus Auréliis ortus claris natálibus; cùm prudéntia & legum cognitióne præstáret: Judex creátus est. Quo in múnere summa æquitáte, sapiéntia, & charitáte se hábuit. Cùm verò quadragésimum ágeret annum; jurgiórum pertæsus, & vitam pacatiórem áppetens: cœpit mónachum profitéri. Assúmpto Urbício sócio céllulam sibi ex vimínibus, in prærúpto colle contéxuit. Illic in exímia ánimi puritáte Christo obsequútus, advérsùs inimícas potestátes, mirâ cibi potúsque parsimónia, magnâ vestis asperitáte, orationúmque assiduitáte strénuè dimicábat. His virtútibus insígnem & miráculis étiam coruscántem: Marcus Aurelianénsis Epíscopus Sacerdótio decorávit. Tunc nonnúlli abnegáto sæculo, ejus disciplínæ colla submisérunt: quos in charitátis viscéribus suscípiens, sanctíssimis institútis ac exémplis informávit: inter quorum preces & suspíria beátum spíritum emísit. Flóruit tempóribus Clodovæi Regis.

DIE IV. JUNII.

Sanctæ Blandinæ Virginis & Martyris Lugdunensis.

Novem Lectionum.

Omnia de Communi Virginis & Martyris præter ea, quæ hic sunt propria.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius; ut qui beátæ Blandínæ Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus: ejus apud te patrócinia sentiámus. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Epístola Ecclesiárum Viennénsis & Lugdunénsis, ad Ecclésias Asiæ & Phrygiæ.

Apud Euseb. Cæsar. Hist. Eccles. l. 5. c. 1.

Lectio iv. Circa medium.

PEr Blandínam Christus osténdit, quæ vília, defórmia, contemptáque homínibus vidéntur; ea máximo

ximo honóre áffici à Deo: propter excelléntem erga ipsum Charitátem; quæ in virtúte potentiáque osténditur: non ináni spécie gloriátur. Nam, cùm univérsi trepidarémus, ipsáque illíus temporális dómina, quæ & ipsa cum réliquis Martyribus strénuè pugnábat, formidáret in primis, ne illa ob tenuitátem córporis líberam confessiónem édere non valéret; tantò ánimi róbore firmáta est Blandína, ut tortóres, qui ínvicem sibi succedéntes, à prima luce usque ad vésperam, omni tormentórum génere, eam excruciáverant: resolúta nervórum compáge defícerent, seque victos conféssi; cùm nullum torménti genus, quod ipsi inférri possent, réliquum habérent: miraréntur, adhuc illam spíritum dúcere, toto córpore laceráto atque perfósso. Verùm Beáta illa, instar generósi cujúsdam Athlétæ in ipsa confessióne vires atque ánimos resumébat; erátque ei reféctio & quies: sensúmque omnem præséntis dolóris adimébat prolátio horum verbórum. Christiána sum: & nihil apud nos mali géritur.

℟. Dilexísti. cxxij.

Lectio v.

Blandína verò ad palum suspénsa, béstiis objécta est: quæ, cùm in crucis spéciem suspénsa cernerétur; Deóque contentíssimè supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus; quippe qui in ipso certámine, sub soróris persóna, corpóreis óculis cérnerent illum, qui pro ipsórum salúte crucifíxus ídeò fúerat: ut credéntibus in ipsum persuadéret; quicúmque pro Christi glória paterétur: hunc Dei vivéntis consórtem futúrum. Cùmque nulla tunc béstia corpus illíus attigísset, depósita ex stípite rursùs in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reserváta, ut plúribus prolusiónibus, adversário superáto; tortuósi quidem serpéntis condemnatiónem certam atque inevitábilem rédderet: fratres verò exémplo suo accénderet. Quippe, quæ tamétsi pusílla infirmáque & contémpta; Christi tamen,

men, magni illíus invictíque Athlétæ róbore indúta & adversárium multis vícibus superásset: & glorióso certámine corónam immortalitátis reportásset..

℟. A dextris. cxxij.

Lectio vj.

POst omnes último tandem spectaculórum die Blandína rursùs illáta est: beáta illa Blandína ómnium postréma, tamquàm nóbilis mater, quæ filios ad fórtiter certándum accénderat, & victóres ad regem præmíserat, eósdem certáminum cursus, quos filij confécerant, reméttiens ad eósdem ire properábat; de éxitu suo læta atque exúltans, prorsùs quasi ad nuptiále convívium invitáta: non béstiis objécta esset. Dénique post flagra, post ferárum vellicatiónes; post sartáginem, retículo inclúsa tauro objécta est: à quo diu in altum jactáta, nihil jam eórum, quæ fiébant, pénitus séntiens, tùm ob spem & comprehensiónem eórum quæ credébat bonórum; tum ob familiárem congréssum quem cum Christo in Oratióne habébat; tandem & ipsa víctimæ instar juguláta est: ipsis étiam Gentílibus ingénuè faténtibus; nullam umquam apud se fœminam extitísse: quæ tot ac tanta pertúlerit.

℟. Induit me. cxxiij.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis. Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro; quem, qui ínvenit, homo, abscóndit; & præ gáudio illíus vadit, & vendit univérsa, quæ habet: & emit agrum illum. Et réliqua.

Homília sancti Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

De sancta Blandina Martyre Lugdunensi, post medium.

SUbjiciúntur Martyribus nostris Lugdunénsibus ignes, sed ad hoc valére cognóscuntur: ut cónsecrent. Instigántur béstiæ: sed ad prædam suam féritas impásta mirátur. Dilaceráta vário tormentórum génere

membra

membra sanctíficant flammæ: dum páscere nésciunt. Honórant béstiæ: dum sævíre non norunt. Ubi sunt, qui dicunt veneratiónem sacris Mártyrum deferéndam non esse corpóribus? Ecce cruéntæ feritátis immánitas, quæ Religiónis non récipit sensum, defert veneratiónis obséquium; & quæ discretiónem ratiónis ignára non récipit: ad malórum tamen damnatiónem, quid honóris Sanctis debeátur, agnóscit. Ac sic supplícij ministérium vel instruméntum: miro modo meritórum efficitur testimónium. Et dum pietáti reveréntiam præstat: profert tácitam de impietáte senténtiam.

℟. Quæ est ista. cxxvj.

Lectio viij.

CUm ergo, Charíssimi, Ecclésia nostra tantis fidei adornétur trophæis; id elaborábat jus iniquitátis: ut seípsam scélerum novitáte superáret. Sacra Córpora fúneris honóre privántes, ígnibus dabant; & post hóminum mortem contra ipsam pugnábant humanitátem; & cùm jam causa períisset furóris: finem non imponébant crudelitáti. Sed tamen vellent nollent, Beatitúdinis eórum testes erant: quibus étiam mórtuis invidébant. Quómodo semper malítia cum stultítia conjúncta est? Veneránda ossa in cíneres redigébant; quasi verò possent flammis mérita consúmi: & virtútes cum cinéribus concremári. Quàm confúsa deméntia! Quibus cœlum adquirébant: his terram negábant.

℟. Surge própera. cxxvj.

Lectio ix.

NIhil ergo fecísti, inaudíta sævítia; incássum te extínguere eórum memóriam credidísti: quorum glóriam propagásti. Dispérgis sanctórum púlverem fluéntis Rhódani ne resúrgant; sed aquis resurréctio non consúmitur: quæ per grátiam regeneratiónis étiam aquárum múnere celebrátur. Adorándas relíquias Rhódano tradis: hoc facit vis flúminis in córporis resolutióne, quod témporis. Quicquid ítaque ex humána substántia avis rapúerit; béstia devoráverit; unda sorbúerit; etiamsi

etiámsi túmulo non claúditur : intra mundi grémium continétur. Neque enim reparátio hóminis in ratióne terræ, sed in legis natúra : & in reparatóris virtúte consístit. Ipse enim verídico ore testátus est : Ego sum resurréctio & vita.

℟. Laudáte Dñm. cxxvij.

DIE VI. JUNII.

Sancti Claudij Episcopi & Confess. Semid. Majus.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter ea, quæ hic sunt propria.

Ad primas Vesperas.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui es Sanctórum tuórum splendor mirábilis; quique hodiérna die beátum Cláudium, Confessórem tuum atque Pontíficem ætérnæ beatitúdinis glória sublimásti : concéde propítius; ut cujus mérita venerámur in terris : intercessiónis ejus auxílio apud tuam misericórdiam muniámur in cœlis. Per Dóminum.

Ad primam Processionē.

℟. j. *Primi Nocturni.* Euge serve bone. lxxxj.

Orémus. *Oratio.*

PRopitiáre, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis; per sancti Cláudij Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa : ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

Ad secundam Processionem.

℟. ij. *Primi Nocturni.* Jurávit Dóminus. lxxxij.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui sanctam nobis hujus diéi solemnitátem in honóre sancti Cláudij Confessóris tui atque Pontíficis consecrásti : adésto famíliæ tuæ précibus; & dona, ut cujus festa celebrámus : ejus méritis & auxílio sublevémur. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CLáudius Salinénsium in Burgúndia Príncipum génere ortus, puer sacris litteris, & piis opéribus déditus fuit. In Clerum Vesuntionénsem vigésimo

gésimo ætátis suæ anno adscríptus, in Officiis Divínis assíduus; totâ ferè jejúnans Hebdómadâ, noctésque sæpiùs in cœléstium meditatióne, ac piórum lectióne librórum tránsigens: defúncto beáto Protádio, Vesuntíno Antístite, in ejus locum, audíta miraculósa voce; Cláudium Epíscopum exclamánte: summo ómnium consénsu eléctus fuit, annos duos supra trigínta natus.

℟. Dómine quinque. lxxxv.

Lectio v.

ECclésiam suam pari laude, fructu & ædificatióne rexit: magnis pro ea labóribus curísque perfúnctus. Intérfuit ac subscrípsit Concílio Epaonénsi áliàs Epannénsi in território Viennénsi sub Sigismúndo Burgundórum Rege; cui præfuit sanctus Alcimus Avítus Viennénsis Epíscopus; adfuerúntque plures álij Epíscopi in sacras Tábulas, ob vitæ sanctitátem post óbitum reláti: à quibus quadragínta Cánones statúti legúntur ad reparándam in Gállia Ecclesiásticam disciplínam. Post complétos, in summa virtútum ómnium praxi, septem annos regíminis; abdicáto spontè Præsulátu, ardénti solitúdinis stúdio: ad sancti Eugéndi cœnóbium monásticæ vitæ proféssus est institútum. ℟. Justus germinábit. lxxxvj.

Lectio vj.

SAnctíssimo & gratíssimo suo exémplo ita promóvit cæteros mónachos ad viam perfectiónis ineúndam: ut post mortem Sancti Injuriósi Abbátis coáctus fúerit curam suscípere monastérij. Quod índitum sibi munus ea pietáte ac prudéntia gessit; ut omnes in sui admiratiónem pértrahens: plúrimi Clericórum ac nobílium conversiónis causâ ad eum conflúxerint. Régibus Francórum charus; multa ab iísdem tum gregi suo, tùm egénis: impetrávit solátia. Sui demùm oblítus, Deíque solíus amóre vivens: sénio conféctus & méritis consummátus; puríssimum efflávit spíritum: vergénte ad finem sæculo sexto. Ejus corpus magnis glóriæ insígniis

insígniis fulsit; multísque miráculis cláruit & à tot sæculis ingénti populórum concúrsu, cunctis mirántibus: íntegrum & incorrúptum ad hæc usque témpora cérnitur.

℟. Stola jocunditátis. lxxxvj.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis. Veníte seórsum in desértum locum: & requiéscite pusíllum. Erant enim qui veniébant & redíbant multi, nec spátium manducándi habébant. Et réliqua.

Homília sancti Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Epistola seu Opusculo de Laude Eremi.

O Quàm jocúndæ sunt sitiéntibus Deum déviæ sáltibus solitúdines! Quàm amœna sunt quæréntibus Christum illa secréta; quæ longè latéque, natúra excubánte porrécta sunt, silent ómnia! Tunc in Deum suum læta mens quibúsdam siléntij stímulis excitátur: tunc ineffabílibus vegetátur excéssibus. Nullus interstrépens illic sonus, nulla, nisi fortè cum Deo vox est: solus ille ádmodum suávis sonus siléntium secrétæ statiónis intérvenit; interpellátque illum plácidæ quiétis statum strépitus quiéte dúlcior: & sanctus modestíssimæ conversatiónis tumúltus. Tunc hymnis suáviter resonántibus excélsa ipsa fervéntes Chori pulsant: atque his in cœlum pervenítur.

℟. Cibávit. lxxxix.

Lectio viij.

FRemit frustrà tunc circumvéniens adversárius: tamquàm intra óvibus septis lupus. Invísi sanè spatiósa desérti lætántium Angelórum Chori, & per illam Jacob scalam commeántes, Erémum frequéntia ábditæ visitatiónis illústrant: Ac ne in vanum vígilent, qui custódiunt civitátem, peculiáriùs Christo propugnatóre munitur. Qui tamquàm murórum objéctu, ita Erémi ámbitu hostes suos súbmovet: ut adoptíva Deo Gens quantùm secréti spátiis expósita, tantùm hóstibus

bus suis clausa sit. In illo quoque merídie sponsus récubat, habitatoréſque desérti; charitáte vulneráti, contemplántur eum, dicéntes: Invenímus, quem díligit ánima nostra.

℟. Justum dedúxit. xc.

Lectio ix.

NOn est infructuósum, ut créditur, Erémi solum, nec infœcúnda aréntis saxa desérti. Illic múltiplex germen, & centénos íncola fructus recóndit: non fácilè illic jacta sémina secus viam décidunt, quæ vólucres absúmant; nec in petrósa fácilè dilabúntur: quæ non habéntia altitúdinem terræ æstuent & aréſcant. Neque in spinéta fácilè fúgiunt, quæ jam adúltis séntib⁹ obruãtur. Uberi illic messem provéntu colónus metet: prodúcitur in his saxis seges illa, per quam étiam ossa pinguéſcunt. Invenítur étiam illic Panis vivus, qui de cœlo descéndit. Erúmpunt in illis rúpibus fontes irrígui, & aquæ vivæ: quæ non satiándis solùm, verùm étiam possint sufficere salvándis. Hic interióris hóminis pastus & volúptas; hîc incúltum desértum mirâ amœnitáte jocúndum est, eadémque córporis est erémus: & ánimæ Paradisus.

℟. In medio. xcj.

AD LAUDES,

& ad Tertiam.

Oratio. Omnípotens sempitérne Deus; qui es Sanctórum. *ut suprà*. 428.

Ad Sextam.

Oratio. Propitiáre, quæsumus. 849.

Ad Nonam.

Oratio. Deus, qui sanctam. 428.

Ad Vesperas.

Oratio. Omnípotens sempitérne Deus, qui. 482.

DIE IX. JUNII.

Sanctorum Primi & Feliciani, Fratrum Martyrum.

Trium Lectionum.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum.

Lectio iij.

PRimus & Feliciánus Fratres in persecutióne Diocletiáni, & Maximiáni accusáti Christiánæ Religiónis; in cárcerem conjiciúntur, ubi ádfuit eis Angelus, qui eos consolarétur: post áliquot dies ad Promótum Præsidem addúcti,

dúcti, cum Christiánam fidem acérrimè tuéréntur, alter ab áltero separáti sũt. Ac primùm variè tentáta est constántia Feliciáni, qui tríduo affixus stípiti mánibus & pédibus, absque cibo & potu pepéndit; Dei laudes contínuò decántans: deínde flagéllis cæsus, & in custódia reclúsus est. Póstmodùm Præses vocátum ad se Primum, sic affátur; Vides, quantò sit prudéntior te frater tuus, qui obsecútus Imperatóribus: nunc apud ipsos est honorátus? Cui Primus, Quid fratri meo evénerit: Angelo novi. Tunc Præses, excandéscens jussit eum fústibus cædi, & liquátum plumbum in os ejus infúndi; tandémque in Amphitheátrum ambo duci, ubi duo leónes, in eos immíssi: ad eórum pedes prostráti sunt. Quo miráculo percússi, penè mille quingénti viri in Christum credidérunt. Quibus rebus veheménter permótus Præses eos secúri pércuti pręcépit.

DIE X. JUNII.

Sanctorum Basilidis, Cyrini, Naboris & Nazarij Martyrum.

Trium Lectionum.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum.

Basílides, Cyrínus, Nabor & Nazárius, Románi mílites, nóbiles génere: cùm in persecutióne Diocletiáni & Maximiáni Christum Dei Fílium prædicárent; ab Aurélio Urbis Præfécto comprehénsi, & ut Diis sacrificárent admóniti, ejus jussa contemnéntes detrúsi sunt in cárcerem: quo iis orántibus, súbitò claríssima luce collustráto, Marcéllus custódiæ Præpósitus; illo cœlésti splendóre percúlsus: aliíque plúrimi Christo credidérunt. Verùm, pósteà è cárcere ab Imperatóre Maximiáno emíssi; cùm ejus neglécto império unum Christum Deum in ore habérent; scorpiónibus cæsi, iterùm conjiciúntur in víncula: Unde séptimo die edúcti, & ante pedes Imperatóris constitúti, cùm in irrisióne inánium Deórum persísterent: secúri feriúntur. Quorum córpora feris objécta, nec ab illis tacta: à Christiánis honorificè sepúlta sunt via Aurélia.

DIE

DIE XI. JUNII.

Sanctæ Barnabæ Apostol. Trium Lectionum.

Omnia de Communi Apostolorum.

Orémus. *Oratio.*

QUæsumus omnípotens Deus, ut beátus Bárnabas Apóstolus, tuum pro nobis implóret auxílium; ut à nostris reátibus absolúti: à cunctis étiam perículis eruámur. Per Dóminum.

Lectio iij.

BArnabas qui & Joseph Levítes Cyprius génere; ad pedes Apostolórum agri vénditi prétium áttulit: ad quos póstea Paulum addúxit recens convérsum, cum eo labórans in Evangélio; Antiochíæ annum totum conversáti sunt: ubi primùm discípuli cognomináti sunt Christiáni. Colléctas & eleemósynas, cum Paulo ad fratres détulit in Judæam; & cùm Dómino ministráret Antiochíæ, cũ cæteris discípulis, Doctóribus & Prophétis qui ibi erant: dixit Spíritus sanctus. Segregáte mihi Saulum & Bárnabam; in opus ad quos assúmpsi eos: tunc jejunántes & orántes imponentésque eis manus dimisérunt illos. Itaque Seleucíam, Cyprum, ac multas regiónes peragrárunt; Evangélium prædicántes: & constituéntes per síngulas Ecclésias Presbyteros. Postrémò Bárnabas digréssus à Paulo; unà cum Joánne Marco navigávit in Cyprum: ubi multis persúnctus pro Christo labóribus; Apostolátum suum: glorióso Martyrio coronávit.

DIE XIII. JUNII.

Sancti Ragneberti Martyris. iij. Lectionum.

Omnia de Communi unius Mart. trium Lectionum.

Oratio. Præsta quæsumus, ut qui, &c. *ut in Communi.* xxxiv.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

RAgnebértus ex nobilíssima Francórũ progénie ortus, Radebérti ínclyti ducis filius in primis ætátis inítiis liberálibus disciplínis erudítus; egrégia morũ honestáte præstans: virtútibus & méritis præclárus fuit, sub finem primæ stirpis Regum Frán-

ciæ. In eum,ut summa pietáte & Religiónis zelo conspícuum; Ebroínus qui loco Theodoríci imperábat cœpit debacchári; sicut in omnes probos quos crudéli modo fuit persecútus in hac autem persecutiónis sæviénte procélla: ímpius ille Ragnebértum périmi jussit. Sic factus Ragnebértus victor diáboli; & Martyr Christi: cum felíci proféctu vitæ ad ætérna præmia migrávit. Hujus sacrum corpus diu quiévit in loco ubi fórtiter Martyrium consummávit: cui póstea ipsius nomen índitum est in móntibus Juרénsibus propè solum Lugdunénse. Tandem non módico témporis intervállo ejus relíquiæ divínitùs invéntæ: & in quemdam vicum non ignóbilem apud Segusiános eódem páriter ipsíus nómine deínde insignítum, asportátæ: plúrimis miráculis tum per viã, tum íníbi honorífice cónditæ, coruscárunt. Inter quæ ádmodum célebre fuit istud, quod ad eárum præséntiã aquæ Lígeris nóbilis Galliárum flúminis; dum in utráque ripâ pópulus penè innúmerus adstáret exúltans & orans, stéterint divísæ, quasi pro muro à dextris & à siníistris: quoadúsque pertransíssent velut Jordánis quando convérsus est retrórsum.

DIE XIV. JUNII.

Sancti Basilij Magni Episcopi & Confessoris, trium Lectionum.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. trium Lectionum.

Oratio: Da quæsumus omnipótens Deus. lxxvij.

Prima Lectio de Scriptura occurr. Lectio ij.

BAsílius Cæsáreæ in Cappadócia nóbili génere natus propter doctrínæ, facúndiæ & morum excelléntiam, cognoménto Magnus; cùm Cæsáreæ & Bizántij sæculáribus lítteris óperam dedísset, Athénas venit: ubi cum Gregório Theólogo sanctæ amicítiæ fœdus íniit. Revérsus in pátriam cum sanctæ Macrínæ vírginis soróris suæ consílio renuntiáre sæculo statuísset; in Ægyptum, Palæstínam, Cælesyriam, & Mesopotámiam iter fecit: solitários invisúrus. Deíndè in erémum

secéssit;

secéssit; ubi cóndito monastério, sacris lítteris mirabíliter erudítus: monásticas régulas constítuit. Iterum Cæsáream revérsus; ab Eusébio hujus metropóleos Antístite Présbyter, licet invítus, consecrátur: eúmque in Ecclésiæ suæ persecutióne laborántem utíliter adjúvit. In atrocíssima annónæ caritáte páuperes Cæsáreæ in unum coáctos, & património & Verbi Divini pábulo sustentávit; própriis étiam mánibus cibos miníſtrans: eídem Eusébio inter manus ejus defúncto subrogátus est. *Lectio iij.*

AD Episcopátum evéctus, fidem Nicænam advérsùs Ariános in primis deféndit; vitam sanctíssimè, & in ágmine tentatiónum, ut ait Gregórius Nazianzénus in fúnebrì ejus laudatióne: tradúxit. Plúrima étenim perpéssus est, tum ab Imperatóribus, & Hæréticis in Orthodóxos sæviéntibus; tum magnátibus & nefáriis pietátem oppugnántibus: quinétiàm à Juliáno Apóstatâ destinátus ad necem; Valénte Imperatóre ad exílium: at utrúmque Deus váriis prodígiis inhíbuit. Modéstum prætório præféctum in Oriénte extréma sibi minitántem, máximâ libertáte représsit, ac pertérruit; illúmque pósteà periculósè ægrotántem, & deprecántem: sanitáti restítuit. Sed & à seípso multa passus est, dum virtútes omnes cóleret; morbos córporis semper habéret cómites: & Ecclésiæ non modò suæ, verùm ómnium sollicitúdinē habéret. Dénique clausit hanc vitam Dómini verbis, dicens; In manus tuas comméndo spíritum meum: imperánte Gratiáno, vergénte sæculo quarto.

DIE XVI. JUNII.

Sanctorum Cyrici & Iulittæ Martyrum. iij. Lect. Omnia de Communi plurimorum Martyrum.

iij. Lectionum

Oratio. Deus qui nos concédis. *ut in Cōmuni.* lvj.

Duæ primæ Lectiones de Script. occurr. Lectio iij.

CYricus, qui à nonnúllis Quíricus appellátur, & Julítta mater ejus; divérsa ab álterâ Julítta mártyre Cæsariénsi, cujus

præcláras laudes sanctus Basílius Magnus luculéntâ in illam homília celebrávit: Tarsi in Cilícia martyrij corónam accepérunt sub Diocletiáno Imperatóre. Quorum Cyricus triénnis puéllus, cùm matrem, quæ ante præsidem Alexándrum nervis diríssimè cedebátur: implacábili luctu lugéret; ad gradus tribunális à quodam adstánte immániter projéctus: & statim illísus intériit. Julítta verò post dira vérbera; & ália grávia torménta: martyrij sui cursum cápitis obtruncatióne complévit. Horum Sanctórum Mártyrum córpora deláta sunt in Gállias óperâ sancti Amatóris Epíscopi Antissiodorénsis; cùm in Oriénte peregrinátus esset: sub Honório Augústo.

DIE XVIII. JUNII.

Sanctorum Marci & Marcelliani fratrum Mart. trium Lectionum.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum iij. Lectionũ. Sequens Oratio dicitur ad Vesp. Laudes & ad Tertiam.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui Sanctórum Mártyrum tuórum Marci, & Marcelliáni natalítia cólimus: à cunctis malis imminéntibus eórum intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

MArcus & Marcelliánus fratres præclaríssimi géneris, Tranquillíni & Márciæ filij Romæ, Diocletiáno Imperatóre pro Christi fide in víncula conjécti sunt ab urbis præfécto Chromátio: & ad mortem damnáti nisi ante trigésimum diẽ inánes Deos cólerent. Ad quos cùm pater, & mater, & plerique cognatórum ventitárent; ut ipsos ab incœpto sedúcerent: à beáto Sebastiáno, insígni púgile Christi, in fide confirmáti, perstitérunt. Qui Sebastiánus, non solùm eórum paréntes ad Christum convértit: sed ipsum quoque Chromátium. Cui in Magistrátu succédens Fabiánus, ambos fratres post diútinam cárceris afflictiónem, ad stípitem

tem alligári ; & illórum pedes clavis acútis confígi jussit : quem cruciátum cùm die ac nocte invícto ánimo pertulíssent, incessánter Christum in Psalmis & Hymnis laudántes ; lánceis per látera transfixi : cum glória martyrij ad sidérea regna migravérunt. Quorum córpora noctu à Christiánis abláta : viâ Ardeatína sepúlta sunt.

DIE XIX. JUNII.

Sanctorum Gervasij & Protasij Martyrum.

iij. Lectionum.

Omnia de Cōmuni plurimorū Mart. Sequens Oratio dicitur ad Vesperas, Laudes, & ad Tertiam.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos ánnuâ Sanctórum Mártyrum tuórum Gervásij & Protásij solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut quórum gaudémus méritis : accendámur exémplis. Per Dóminum.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Lectio ij.

GErvásius & Protásius fratres, Vitálem & Valériam mártyres habuérunt paréntes, quorum pietátem ac fidem æmulántes ; património paupéribus erogáto, servis libertáte donátis : & singulári vitæ sanctitáte, Gentílium Sacerdótū immáne ódium concitárunt. Qui Astásio cómiti exércitum in Marcománnos ducénti, cùm Mediolánum ingrederétur ; suasérunt, se à Diis admónitos, nequáquam eum victórem futúrum : nisi ambos fratres ad sacra iísdem faciénda cōgeret. Ad quod cùm nec précibus, nec minis compéllere potuísset ; Gervásium plumbátis támdiù cædi jussit : quoúsque spíritum exhaláret. Protásium verò primùm fústibus sævíssimè contúndi : postrémò cápite truncári. Quorum córpora Philíppus quidam vir pius clam sustúlit : & in suis ædibus sepelívit. Ubi cùm diu latuíssent, à sancto Ambrósio divínitùs admónito ; sánguine conspérsa, & incorrúpta repérta sunt : & in sacro loco cum magnâ pópuli veneratióne repósita. Passi sunt sub Marco Aurélio : & Lúcio Vero Augústis. Sacris eórum relíquiis ditátas esse quam-

plúrimas Galliárum Ecclésias refert beátus Gregórius Turonénsis de glória Mártyrum.

Ex Serm. S. Augustíni Epísc. *De eisdem Sanctis Ser. 286.*

Lectio iij.

CElebrámus hodiérno die, fratres memóriam in hoc loco pósitam sanctórum Protásij & Gervásij Mediolanénsium Mártyrum. Non eum diem quo hic pósita est, sed eum hódiè celebrámus; quando invénta est pretiósa in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus, per Ambrósium Epíscopum hóminem Dei: cujus tunc tantæ glóriæ Mártyrum étiam ego testis fui. Ibi eram; Mediolàni eram; facta mirácula novi: attestánte Deo pretiósis mórtibus Sanctórum suórum; ut per illa mirácula, jam non solùm in conspéctu Dómini: sed étiam in conspéctu hóminum esset mors illa pretiósa. Cæcus notíssimus univérsæ civitáti illuminátus est: cucúrrit; addúci se fecit: sine duce revérsus est. Nondum audívimus quòd obíerit: fortè adhuc vivit.

DIE XX. JUNII.

Sancti Eucherij Lugdunensis Episcopi. Semid.

Majus.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter ea quæ hic sunt propria.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui ánimæ fámuli tui Euchérij Confessóris tui atque Pontíficis ætérnæ beatitúdinis præmia contulísti: concéde propítius; ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur: ejus apud te précibus sublevémur. Per Dóminum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EUchérius primæ Galliárum sedis Epíscopus: ineúnte sæculo quinto à natálibus pernóbilis; spléndidus mundo, splendídior Christo: ut de eo scribit sanctus Hilárius Arelaténsis. Cùm ex casto connúbio binum sanctitátis fructum, Salónium & Veránum, pósteà integérrimæ religiónis magístros ac præsules; illum vidélicet Genuénsem, hunc Venciénsem

tiénsem suscepísset: sciéntiâ plenus, in ínsulã Liríno próximã Divínæ sapiéntiæ amóre secédens piis stúdiis & exercitatiónibus se addíxit; filiósque, víduus jam ipse, ut Christiánæ pietátis régulis informaréntur ádmodum júvenes: ad Lerinénsem disciplínam misit. Ubi quantum profécerint: eórũ sánctitas in pósterum declarávit.

℟. Dómine quinque taléntã. lxxxv. *Lectio v.*

SIc néxibus carnis expedítus totus in spíritum tránsiit; omníque ánimi puritáte divíno Númini: assíduos óbtulit famulátus. Sancto ítaque ótio fruens, ut taléntã cœléstis sapiéntiæ sibi ad cúmulum trádita in Dei glóriam & próximi cómmoda erogáret; multa ibi scripsit ad pietátem, & doctrínam spectatíssima, & verbórum ornátu, quo dotátus erat, scripta véstiens hæc ad amícos dirigébat; ut eos vel à flúctibus exitiális sæculi ad tutum religiósi secéssûs portum, & salútis, ut aiébat ánchorã advocáret: vel jam advocátos animáret.

℟. Justus germin. lxxxvj.

Lectio vj.

TOt doctrínæ & sanctimóniæ títulis célebris; cùm sedes Lugdunénsis vacáret, in eam, renítens licet, evéctus est: magno populórum appláusu. Quos, ut ad cæléstia excitáret sanctórum Lugdunénsium trophæa & exémpla iis præcóniis celebrávit; quibus ad eorúmdem cultum & imitatiónem válidè Lugdunénsium mentes inflammáret; à labóre pastóris ad ótium sanctæ solitúdinis secédens in Insula Bárbara cum sancto Máximo hujus monastérij tunc præfecto sæpiùs versabátur: & ibi egrégias ad mónachos homilias hábuit. Concílio primo Arausicáno, cui præfuit sanctus Hilárius Arelaténsis, sancti Augustíni discípulus intérfuit: ac sancítis in eo trigínta Canónibus de Ecclesiásticâ disciplínâ pro se, & comprovinciálibus suis Epíscopis subscripsit. Dómitiánũ eremítam in sua diœcesi benígne recépit. Demum méritis plenus, gestis, scriptísque gloriósus ad Regni cœléstis láuream evolávit; anno quatercentésimo

quinquagésimo quarto: sedénte Leóne magno summo Pontífice. Hunc præsulem Salviánus massiliénsis, Mamértus Viennénsis, Prosper, Sidónius: & cæteri, Miris extulérūt præcóniis. ℟. Stola jocūditátis. lxxxvj.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis. Vidéte, vigiláte & oráte. Nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo qui péregrè proféctus relíquit domū suam; & dedit servis suis potestátem cujúsque óperis: & janitóri præcépit ut vígilet. Et réliqua.

Homília sancti Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Ex Epistola ejusdem ad Valerianum.

VIgiláre nos ubíque cónvenit nam ómnia conspéctui nostro insidiósis colóribus lenocinántur. Vis illa oculórum attribúta lúmini, non applicétur errori; & cùm vitæ úsibus páteat: non admíttat causas mortis. Carnis desidéria, ut egrégiè Apóstolus ait: mílitant advérsùs ánimam. Omnísque illis in perníciem nostram cladémque procínctus est: pervígilem cùm insúrgunt advérsùs nos statiónem tenent, externórum planè hóstium more; dum sibi tantùm vírium acquírunt: quantùm nobis súbtrahunt. Ita ego háctenus de inextricabílibus sæculi insidiántis illécebris: de honóribus, opibúsque sermocinátus sum: tamquam si jocúndus blandiméntis suis mundus vigéret. Quicquid est illárum rerum fácies, adumbrátis quondam nitóribus expolíta, jam absolévit; omnísque fucátus splendor intercídit: Vix jam hoc habet mundus, ut fallat. Périit imágo illa rerum, ad decipiéndum usque decóra. Prius nos sedúcere vero cogitábat fulgóre; non póterat: propè jam non valet & ipsa nos falsa ostentatióne corrúmpere. Sólidis bonis carébat: ecce déficit étiam cadúcis.

℟. Cibávit illum. lxxxix.

Lectio viij.

URget nos dies ille; jam non noster tantum: sed & sæculi. Omnis

Omnis hora illud débitæ resolutiónis ádmonet tempus instáre; cum ancípiti perículo finis altérnus: & discrímen géminum unam ómnibus mortem minátur. Incúmbit mihi mísero jam mundi mortálitas: tamquam mihi non sufficiat ad terrórem mea. Quid palpámus metus nostros? securitáti locus non est: quando términus in nos impéndet indifferénter, singulórum hinc ómnium. Quo magis est in hoc, non jam dicam sæculi éxitu, sed vel in hoc rerum ejus deféctu, hóminum miseránda condítio; qui sibi nec futurórum spem gaudiórum repónunt: cum jocunditáte præséntium non fruántur. Voluptátem vitæ breviòris non cápiunt: perpétuæ speráre non possunt. Bonis temporálibus non utúntur; non: non uténtur ætérnis. Hic rei parum: illic spei nihil. Doléndus prorsus atque miserándus hóminis status iste est: nisi fortè fáciat de acerbíssima conditióne cóngruam necessitátem; nisi ob hoc ipsum, ad potióra utilitátis suæ remédia se córrigat: contendátque ad illa salubrióris vota consílij; præsértim, cùm ita dilaceráta præséntis témporis res sit: ut qui unius futúri sæculi cómmodum perdit, utriúsque perdíderit.

℟. Justum dedúxit. &c.

Lectio ix.

Dirigénda est omnis ánimi inténtio in spē futúri; quam spem ut pléniùs ac maniféstiùs consequáris: aperíre eam étiam sub alicújus exémpli conditióne non ábnuam. Si cui áliquis quinque hódie ex ære denários ófferat, quingéntos verò áureos in crástinum spóndeat; optionémque ófferat utrum æs ad præsens súmere, an aurum mallet in pósterùm: dubiúmne est, quin præóptet grándia illa múnera, cum parvâ morâ? tu quoque brevis hujus atque ætérnæ vitæ conditióne perspécta; non éligas cápere vília: cùm speráre possis pretiósa. Non est tanti sumpsísse parva: quanti est expectáre, quæ magna sunt. Quod si omne hoc frágile, quod in mundo est, & vidémus, & cápimus; (spei verò à sperándo in-

ditum nomen est) maniféstum est, nequáquam in hoc sæculo spem possidéri: in quo his, quæ intuémur, frúimur. Spes enim, quæ vidétur, non est spes. Nam quis quod videt quid sperat? ergo quæcúmque illa spes rebus miscétur humánis: quæréndа est in futúrum.

℟. In médio Ecclésiæ xcj.

DIE XXII. JUNII.

Sanctorum Albani & Sociorum Martyrum iij. Lectionum.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum,

Oratio. Deus qui nos concédis. lvj.

Dicuntur iterum Vespera apud sanctum Albanum à Clero Majoris Ecclesia.

Dua prima Lectiones de Scriptura occurrente.

Ex Martyrologio sancti Adonis Episcopi Viennensis.

Lectio iij.

ALbánus témpore Diocletiáni in Verelámio civitáte post vérbera & torménta acérba cápite plexus est: sed illo in terram cadénte; óculi ejus qui eum percússit: páriter in terram cecidérunt. Passus est cum eo étiam unus de milítibus, eo quòd eum feríre jussus nolúerit; divíno útique pertérritus miráculo, quia víderat beátum Mártyrem dum ad corónam martyrij properáret: álveum omnis interpósiti orándo transmeábilem reddidísse. Quo témpore persecútio crudélis Océani limbum transgréssa; étiam Aaron & Júlium Británniæ, cum áliis plúribus viris ac fœminis: felíci cruóre damnávit.

DIE XXIII. JUNII.

In Vigilia Nativitatis sancti Ioannis Baptista.

Omnia de Feria ut in Psalterio.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta quæsumus omnípotens Deus: ut família tua per viam salútis incédat; ut beáti Joánnis Præcursóris hortaménta sectándo: ad eum quem prædíxit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Tria ℟. sumantur de Feria occurrente.

Léctio

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio ij. Cap. 1.

FUit in diébus Heródis Regis Judææ Sacérdos quidam nómine Zachárias, de vice Abia, & uxor illíus de filiábus Aaron: & nomen ejus Elízabeth. Erant autem justi ambo ante Deum; incedéntes in ómnibus mandátis & justificatiónibus Dómini sine queréla. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

De oraculo & Zachariæ incredulitate.

FUit Zachárias vir admirándus ac magnus, summi Sacerdótij dignitáte fulgens: univérsi pópuli curam, ac præfectúram à Deo consecútus. Hic Zachárias in Sancta Sanctórum, ipsa scílicet ádita, ingréssus, quod uni tunc illi mortálium fas erat inspícere: ut qui pro univérso pópulo Deo preces offérret, ac Dóminum fámulis propitium rédderet. Vides quanta viri auctóritas, ac fidúcia: cùm nimírùm velut médius quidam, ac sequéster Dei atque hóminum esset: Angelum intus consisténtem vidit. Hujus aspéctu cùm extérritus esset, ait illi; Ne tímeas Zachária, quóniam exaudíta est deprecátio tua: & ecce suscípies fíliũ. Quænam verò hæc consequéndi rátio? Ille pro pópulo rogábat, flagitábat pro peccátis, pro consérvis véniam exorábat; aítque, Ne tímeas Zachária, exaudíta namque est deprecátio tua: ejúsque rei argumẽtum facit quòd sit ei nascitúra proles, nempe Joánnes, planè id méritò. Nam quia pro pópuli peccátis obsecrábat, eratque susceptúrus filium, qui clamáret: Ecce agnus Dei, qui tollit peccátum mundi. Ratióne sanè óptimâ ait: Exaudíta est deprecátio tua, & suscípies filium.

Lectio iij.

BOnítus Arvérnus Senatória prosápia génitus, à pueritiâ liberálibus disciplínis cùm esset excúltus; in aulam Sigebérti Regis admíssus: divérsis mox honórum títulis decorátus est. In quibus ita piè & prudénter se gessit, ut postulánti Avíto fratri Epíscopo Claromonténsi

morti próximo : unánimi ómnium senténtiâ, vergénte sæculo séptimo succéssor designátus; sacræ lectióni, oratióni, vigíliis, jejúniis, eleemósynis; aliísque charitátis opéribus totum se dedit: undè mirè vivens, mira étiam méruit operári. Lacrymárum dono insígnis. Attamen véritus ne quid in sua ordinatióne actum esset contra Cánones; eo quòd fratri subrogátus fuísset, abdicáto Episcopátu, mónachi vitam proféssus est in cœnóbio Magnilocénsi in Arvernórum fínibus: ibi per áliquot annos commorátus est. Pertæsus autem frequentióris ad se concúrsûs; límina Apostolórum pétiit: miráculis in áditu & réditu coruscans. Demum Lugdúnum rédiens; ibi quadriénnio permánsit: in sanctis opéribus júgiter pesevérans. Lugdunénsem Ecclésiam & Burgúndiæ Príncipem ad concórdiam revocávit. Plerúmque in célebri tunc Monastério Insulæ Bárbaræ diversátus est. Conféctus tamdem pódagrá: ibídem virtútibus claríssimus óbiit. Ejus Relíquiæ Claromóntem delátæ, ubi háctenus religióse asservántur; unà cum cásula quam mirâ textúrâ, & ex ignótâ matériâ consértam: cœlésti múnere à sanctíssimâ Deíparâ tráditur accepísse.

Ad Laudes & horas magna preces.



DIE



Pars Æstiva Vol 445

DIE XXIV. JUNII.

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ. PRIMATIALIS Ecclesiæ Patroni.

DUPLEX PRIMÆ CLASSIS.

Ad Vesperas, Antiphona. Joánnes vocábitur nomen ejus. *cum reliquis de Laudibus. Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica.* 145. *& loco ultimi, Psalmus.* Laudáte Dóminum omnes Gentes. 150.

Capitulum. Jerem. 1.

AUdíte ínsulæ & aténdite pópuli de longè; Dñs ab útero vocávit me: de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei. ℣. Dóminus ab útero vocávit me. ℟. De ventre matris meæ recordátus est nóminis mei.

Ad Magnificat, Aña. Joánnes est nomen ejus; vinum & síceram non bibet; & multi in Nativitáte ejus gaudébunt. *Duplic.*

Orémus. *Oratio.*

DEus qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti; da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum: & ómnium Fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Ad primam Processionem.

℟. Priúsquam te formárem. *ut infrà.* 449.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui cónspicis quia nos úndique mala nostra contrístant: per Præcursórem gáudij, corda nostra lætífica. Per Dóminum, &c.

Ad secundam Processionem.

℟. De ventre matris meæ. *ut infrà.* 450.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus intra sanctæ Ecclésiæ úterum constitútos; eo nos Spíri-

tu

tu ab iniquitáte nostra justificári' quo beátum Joánnem intra víscera matérna docuísti. Per Dóminum nostrum... ejúsdem Spiritûs sancti.

Sequens Hymnus dicitur integrè post Vesperas in Choro majoris Ecclesiæ. Ad Completorium verò hodie & per totam Oct. quando fit de ea dicuntur tantum Quatuor primi versus cum ultimo pro clausula.

Hymnus.

UT queant laxis resonare fibris
Mira gestórum fámuli tuórum,
Solve pollúti lábij reátum
Sancte Joánnes.

Núntius celso véniens Olympo
Te patri magnum fore nascitúrum,
Nomen & vitæ sériem gerendæ,
Ordine promit.

Ille promíssi dúbius Supérni,
Pérdidit promptæ módulos loquélæ:
Sed reformásti génitus perémptæ
Organa vocis.

Ventris obstrúso récubans cubíli
Sénseras Regem Thálamo manéntem
Hinc Parens Nati méritis utérque
Abdita pandit.

Antra desérti téneris sub annis,
Cívium turmas fúgiens, petísti;
Ne levi saltem maculáre vitam
Fámine posses.

Præbuit hirtum tégumen Camélus
Artubus sacris, stróphium bidéntes
Cui latex haustum, sociáta pastum
Mella locústis.

Cæteri tantum cecinére vatum
Corde præságo jubar affutúrum,
Tu quidem mundi scelus Auferéntem
Indice prodis.

Non fuit vasti spátium per Orbis
Sánctior quisquam génitus Joánne,
Qui nefas sæcli méruit lavántem
Tíngere limphis.

O nimis felix, meritíque celsi,
Nésciens labem nívei pudóris,

Præpo-

Præpotens Martyr, Eremíque cultor,
Máxime vatum.
Serta ter denis álios corónant
Aucta creméntis, duplicáta quosdam:
Trina centéno cumuláta fructu,
Te, Sacer, ornant.
Hinc potens nostri méritis opímis
Péctoris duros lápides repélle,
Asperum planans iter, & refléxos
Dírige calles.
Ut pius mundi Sator & Redémptor,
Méntibus pulsâ livióne puris,
Ritè dignétur véniens sacrátos
Pónere gressus.
Láudibus Cives célebrant Supérni
Te, Deus Simplex, paritérque Trine,
Súpplices & nos véniam precámur
Parce Redémptis.
Amen.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Præcursóris Dóminum Veníte adorémus. *Duplicatur.*
Psalm. Veníte exultémus.

In primo Nocturno, Aña. Priúsquam te formárem.

Psalmus 1.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum,* & in viâ peccatórum non stetit :* & in cáthedra pestiléntiæ non sedit.

Sed in lege Dómini volŭntas ejus:* & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquàm lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum,* quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non dĕfluet;* & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpij non sic: * sed tamquàm pulvis, quem prójicit vĕtus à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpij in judício: * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum:* & iter impiŏrum períbit.

Aña. Priúsquam te formárem in útero novi te & ántequam procéderes sanctificávi te.

Aña. Ad ómnia quæ mittam te. *Psalmus* 2.

QUare fremuĕrūt Gentes: * & pópuli meditáti

táti sunt inánia?

Astitérunt Reges terræ, & Príncipes convenérunt in unum, * advérsùs Dóminum, & advérsùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in irâ suâ: * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me Fílius meus es tu: * ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi Gentes hæreditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virgâ férrea: * & tamquàm vas fíguli confrínges eos.

Et nunc Reges intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam: * nequándò irascátur Dóminus, & pereátis de viâ justâ.

Cùm exárserit in brevi ira ejus: * beáti omnes qui confidunt in eo.

Aña. Ad ómnia quæ mittam te, dicit Dóminus, ibis ne tímeas & quæ mandávero tibi loquéris ad eos.

Aña. Ne tímeas.

Psalmus 3.

DOmine quid, multiplicátis sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine, suscéptor meus es: * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, & soporátus sum: * & exurréxi quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causâ: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * & super

ſuper pópulum tuum benedíctio tua.

Aña. Ne tímeas à fácie eórum quia ego tecum ſum dicit Dóminus.

℣. Dóminus ab útero vocávit me.

℟. De ventre matris meæ recordátus eſt nóminis mei. Pater noſter.

Prima Deprecatio.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Súſcipe deprecatiónem noſtram, Dómine Jeſu Chriſte; Qui cum Patre & Spíritu ſancto vivis & regnas Deus: Per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

℣. Domne jube benedícere.

Prima Benedictio.

Adjútor & propítius ſit nobis Omnípotens & miſéricors Dóminus.

℟. Amen.

De Iſáia Prophéta.

Lectio j. Cap. 40.

VOx clamántis in Deſérto; Paráte viam Dómini: rectas fácite in ſolitúdine sémitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltábitur, & omnis mons & collis humiliábitur; & erũt prava in diréćta: & áſpera in vias planas. Et revelábitur glória Dómini; & vidébit omnis caro páriter: quod os Dómini locútum eſt. Vox dicéntis: Clama. Et dixi. Quid clamábo? Omnis caro fœnum: & omnis glória ejus quaſi flos agri. Exſiccátum eſt fœnum; & cécidit flos: quia Spíritus Dómini ſufflávit in eo. Verè fœnum eſt pópulus. Exſiccátum eſt fœnum; & cécidit flos: Verbum autem Dómini noſtri manet in ætérnum.

Reſponſoria duplicantur.

Priúſquam te formárem in útero, novi te, & ántequàm exíres de ventre ſanctificávi te: * Et Prophétam in Géntibus dedi te.

℣. Ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce conſtítui te ſuper gentes & regna. * Et Prophetam in géntibus dedi te. Glória Patri, & Filio, & Spirítui ſancto. Sicut erat in princípio, & nunc & ſemper. Priúſquàm te formárem.

Secunda Benedictio,

Benedictiónibus ſuis répleat nos Omnípotens & miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Lectio ij.

SUper montem excélsum ascénde tu, qui evangelízas Sion: Exálta in fortitúdine vocem tuā, qui evangelízas Jerúsalem, exálta, noli timére. Dic civitátibus Juda: Ecce Deus vester. Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet; & bráchium ejus dominábitur: ecce merces ejus cum eo, & opus illíus coram illo. Sicut Pastor gregem suum pascet; in brachio suo congregábit Agnos, & in sinu suo levábit: fœtas ipse portábit. Quis mensus est pugíllo aquas; & cœlos palmo ponderávit? Quis appéndit tribus dígitis molem terræ; & librávit in póndere montes, & colles in statéra? Quis adjúvit Spíritum Dómini, aut quis consiliárius ejus fuit, & osténdit illi?

℟. De ventre matris meæ vocávit me Dóminus nómine meo, & pósuit os meum ut gládium acútum: * Sub tegiménto manûs suæ protéxit me; pósuit me quasi sagíttam eléctam. ℣. Et glorificátus sum in óculis Dómini, & Deus meus factus est fortitúdo mea. * Sub tegiménto manûs suæ protéxit me; pósuit me quasi sagíttam eléctam. Glória Patri & Fílio & Spirítui sancto. De ventre matris meæ.

Tertia Benedictio,

Cœléstem Benedictiónem tríbuat nobis Omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

De Jerémia Prophéta.

Lectio iij. Cap. I.

FActum est Verbum Dómini ad me dicens. Priúsquàm te formárem in útero, novi te, & ántequā exíres de vulvâ, sanctificávi te: & Prophétam in Géntibus dedi te. Et dixi, A, a, a, Dómine Deus; ecce néscio loqui: quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me: Noli dicere; Puer sum, quóniam ad ómnia quæ mittam te, ibis: & univérsa quæcúmque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas á fácie eórum; quia tecum ego sum ut éruam te: dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, & tétigit os meum; & dixit Dóminus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce constítui te hódiè super

Gentes, & super Regna: ut evéllas & déstruas, & dispérdas & díssipes, & ædífices & plantes.

℞. Gábriel Angelus appáruit Zachăriæ, dicens; Nascétur tibi Fíllius, nomen ejus Joánnem vocábis: * Et multi in nativitáte ejus gaudébunt.

℣. Erit enim magnus coram Dómino, vinum & síceram non bibet: Et multi in Nativitáte ejus gaudebunt. Glória Patri. Gábriel Angelus.

In secundo Nocturno.

Antiph. Misit.

Psalmus 4.

CUm invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei: * & exáudi oratiónem meam.

Fílij hóminum úsquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me cùm clamávero ad eum.

Irascímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris: * & in cubílibus vestris cōpungímini.

Sacrificáte sacrificium justítiæ, & speráte in Dómino: * multi dicunt, Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultûs tui Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti vini, & ólei sui multiplicáti sūt.

In pace in idípsum, dórmiam & requiéscam.

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe constituísti me.

Antiph. Misit Dóminus manum suam & tétigit os meum & Prophétam in géntibus pósuit me Dóminus.

Aña. Ecce.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine: * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ: * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine: * manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi & vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt

manébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuã:* adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tuâ: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum: * linguis suis dolósè agébant: * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis: * secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætántur omnes, qui sperant in te: * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum: * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, coronásti nos.

Antiph. Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constítui tui te super gentes & regna.

Ana. Dóminus ab útero.

Psalmus 8.

DOmine, Dóminus noster: * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terrâ!

Quoniam eleváta est magnificéntia tua super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos: * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis: * glória & honóre coronásti eum:* & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus

dibus ejus : * oves & boves univérsas : * ínsuper & pécora campi.

Vólucres cœli, & pisces maris : * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster : * quàm admirábile est nomen tuum in univérsâ terrâ !

Aña. Dóminus ab útero vocávit me de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei.

℣. Formans me ex útero servum sibi Dóminus in lucem Géntium.

℟. Ut sim salus ejus ab extrémis terræ.

Pater noster.

Secunda Deprecatio.

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

Prima Benedictio.

Deus Dei Fílius nos benedícere & adjuváre dignétur. Amen.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 288. Edit. Benedict. aliàs 23. Ex Sirmondanis, qui est secundus de Natali S. Ioannis Baptist. initio.

Lectio iv.

DIéi hodiérnæ festívitas anniversário réditu memóriam rénovat, natum esse Dómini Præcursórem, ante mirábilem mirabíliter, cujus Nativitátem consideráre nos, & laudáre, máximè hódie cónvenit; Ad hoc enim & dies anniversárius huic miráculo dedicátus est : ut benefícia Dei, & Excélsi magnália non déleat oblívio de córdibus nostris. Joánnes ergò Præco Dómini missus ante illum, sed factus post illum ; ómnia enim per ipsum facta sunt : & sine ipso factum est nihil. Missus homo ante Hóminem Deum; agnóscens Dóminum suum, annúntians Creatórem suum; jam in terrâ præséntem mente discérnens, dígito osténdens : Ipsíus enim verba sunt ostendéntis Dóminum, & testimónium perhibéntis. Ecce Agnus Dei : ecce qui tollit peccátum mundi.

℟. Ipse præcédet ante illum, in spíritu & virtúte Eliæ : * Ut convértat corda patrum in fílios, paráre Dómino plebē perféctam.

℣. Erit

℣. Erit enim Magnus coram Dómino, & Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ: * Ut convértat corda patrum in filios, paráre Dómino plebem perféctam. Glória Patri. Ipse præcédet.

Secunda Benedictio.

Ætérnam Benedictiónem tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. Amen.

Lectio v.

MEritò ergò stérilis péperit Præcónem, Virgo júdicem; In matre Joánnis sterílitas accépit fœcunditátem: in Matre Christi fœcúnditas non corrúpit integritátem. Si vestra patiéntia & quiétum stúdium,& atténtum siléntium prębeat mihi cópiam, adjuvánte Dómino, dícere quod donat ut dicam; erit procul dúbio fructus attentiónis vestræ, ut áliquid, quod ad magnum Sacraméntum pertíneat: insínuem auribus & córdibus vestris. Fuérunt Prophétæ ante Joánnem, & multi, & magni;& sancti digni Deo, Deo pleni; Salvatóris prænunciatóres, veritátis attestatóres; verúmtamen de nullo eórum dici pŏtuit, quod dictum est de Joánne: In natis mulíerum nemo exurréxit major Joánne Baptístâ.

℟. Innuébant Patri ejus, quem vellet vocári eum; & póstulans pugillárem scripsit dicens; * Joánnes est nomen ejus. ℣. Apértum est os Zacháriæ, & loquebátur Benedícens Deũ: * Joánnes est nomen ejus. Glória Patri. Innuébant.

Tertia Benedictio.

Grátia Spíritûs sancti illúminet corda & córpora nostra. Amen.

Lectio vj.

QUid ergò vult ista magnitúdo præmíssa ante magnum? Ad testimónium magnæ humilitátis. Tam enim magnus erat, ut Christus posset putári; posset Joánnes abúti erróre hóminum, & non laboráre persuadére se esse Christum; quia hoc jam illi, qui eum audiébant, & videbant: illo non dicénte, putáverant. Non erat ei opus semináre errórem: sed confirmáre. At ille sponsi amícus húmilis, sponso zelans, non se pro sponso adúlterum suppónens pérhibet

hibet testimónium amico suo; & eum, qui verè sponsus erat, sponsæ comméndat: Ut amétur in illo, odit se amári pro illo.

℟. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur; * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptístâ. ℣. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum: Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptístâ. Glória Patri. Præcúrsor Dómini.

In tertio Nocturno.

Antiph. Pósuit os meum Dóminus. *Psalm.* 14.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula: * & operátur justítiâ.

Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit dolum in linguâ suâ.

Nec fecit próximo suo malum: * & oppróbrium non accépit advérsùs próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est conspéctu ejus malignus: * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, & non décipit; * qui pecúniam suam non dedit ad usúram: * & múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum.

Antiph. Pósuit os meum Dóminus quasi gládium acútum sub umbra manûs suæ protéxit me.

Antiph. Formans me ab útero.

Psalmus 20.

DOmine in virtúte tuâ lætábitur Rex: * & super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te: & tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: *

sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam Rex sperat in Dómino : * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clibanum ignis in témpore vultûs tui : * Dóminus in irâ suâ conturbábit eos : * & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terrâ perdes : * & semen eórum à filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tuâ : * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Antiph. Formans me ab útero servum sibi Dóminus in lucem géntium ut sim salus ejus ab extremis terræ,

Aña. Reges vidébunt.

Psalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me : * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini : * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum : * & ex ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttit Angelus Dómini in circúitu timẽtium eum : * & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte filij, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo, qui vult vitam : *

vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo: * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus ad preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terrâ memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxtà est Dóminus his, qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * & de ómnibus his liberávit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes, qui sperant in eo. Glória Patri.

Antiphona. Reges vidébunt & consúrgent príncipes & adorábunt Dóminum Deum tuum qui elégit te.

℣. Pósuit os meum Dóminus quasi gládium acútum.

℟. Sub umbrâ manûs suæ protéxit me.

Pater noster.

Tertia Deprecatio.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Prima Benedictio.

Redémptor humáni géneris nos benedícere & adjuváre dignétur. Amen.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. I.

Elízabet implétum est tempus pariéndi: & péperit filium. Et audiérunt vicíni & cognáti ejus; quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa: & congratulabántur ei. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósij Epíscopi.

Hom. in sup. Evang. I.

Habet sanctórum edítio lætítiam plurimórum: quia commúne est

bonum. Justítia enim commúnis est virtus. Et ideò in ortu justi; futúræ vitæ insígne præmíttitur: & grátia secutúræ virtútis exultatióne vicinórũ præfigurántе signátur. Pulchrè autem tempus, quo fuit in útero Prophéta descríbitur; ne Maríæ præséntia taceátur: sed tempus silétur infántiæ; eo quòd præséntiâ Dómini matris in útero roborátur: qui infántiæ impediménta nescívit. Et ídeò in Evangélio nihil super eo légimus, nisi ortum ejus, & oráculum; exultatiónem in útero: vocem in desérto. Neque enim ullam infántiæ sensit ætátem; qui supra natúram; supra ætátem; in útero situs matris: à mensúrâ perféctæ cœpit ætátis plenitúdinis Christi.

℟. Fuit homo missus à Deo, cui nomen Joánnes erat: hic venit ut testimónium perhibéret de lúmine. * Et paráret Dómino plebem perféctam. ℣. Non erat ille lux: sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Et paráret Dómino. Glória Patri. Fuit homo.

Benedictio viij. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio viij.

MIrè sanctus Evangelísta præmitténdum putávit; quòd plúrimi infántem patris nómine Zacháriam appellándum putavérunt: ut advértas matri non nomen alicújus displicuísse degéneris; sed id sancto infúsum Spíritu: quod ab Angelo antè Zacháriæ fúerat prænuntiátum. Et quidem ille mutus intimáre vocábulum filij nequívit uxóri; sed per prophetíam Elízabet dídicit: quod non didícerat à maríto. Joánnes est, inquit, nomen ejus. Hoc est, Non ei nos nomen impónimus: qui jam à Deo nomen accépit. Habet vocábulum suum; quod agnóvimus: non quod elégimus. Habent hoc mérita Sanctórum: ut à Deo nomen accípiant. Sic Jacob Israël dícitur: quia Deum vidit. Sic Dóminus noster Jesus nominátus est, ántequam natus; cui non Angelus: sed Pater nomen impósuit.

℟. Hic Præcúrsor diréctus, & lucérna lucens ante Dóminum:

minum: ipse est enim Joánnes qui viam Dómini præparávit in erémo: sed & Agnum Dei demonstrávit: * Et illuminábat mentes hóminum. ℣. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine. Et illuminábat. Glória Patri. Hic Præcúrsor. *Benedictio ix.* Ad supernórum Cívium.

Lectio ix.

ZAchárias quoque nutu interrogátur: sed quia incredúlitas ei affátum eripúerat, & audítum; quod voce non póterat: manu & lítteris est locútus. Scripsit enim dicens: Joánnes est nomen ejus. Et hîc nomen non impónitur: sed astrúitur. Meritóque contínuò resolúta est lingua ejus; quia, quam vínxerat incredúlitas: fides solvit. Credámus & nos ígitur, ut loquámur; ut lingua nostra, quæ incredulitátis vínculis est ligáta: ratiónis voce solvátur. Scribámus spíritu mystéria, si vólumus loqui; scribámus Prænúntium Christi, non in tábulis lapídeis: sed in tábulis cordis carnálibus. Etenim, qui Joánnem lóquitur: Christum prophétat. Loquámur Joánnem, loquámur & Christum; ut nostrum quoque os possit aperíri; quod in Sacerdóte tanto, irrationábilis modo pécudis: fræna nutántis fídei coërcébant.

℟. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptístâ: * Qui viam Dómini præparávit in erémo. ℣. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante fáciem meam. Qui viam.

Non duplicatur, Hymn. Te Deum laudámus.

Ad Laudes, Antiph. Joánnes vocábitur nomen ejus, & in Nativitáte ejus multi gaudébunt.

Psal. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica,* *Aña.* Ipse præíbit ante illum in spíritu & virtúte Eliæ paráre Dómino plebem perféctam. *Aña.* Innuébant patri ejus quem vellet vocári eum: & scripsit dicens; Joánnes est nomen ejus. *Aña.* Tu puer Prophéta Altíssimi vocáberis, præíbis ante Dóminum paráre vias ejus. *Aña.* Ille magnus Puer co-

mino : nam & manus ejus cum ipso est.

Capitulum. Isaïæ 49.

AUdíte ínsulæ, & atténdite pópuli de longè; Dóminus ab útero vocávit me: de ventre matris meæ, recordátus est nóminis mei.

℣. Reges vidébunt & consúrgent Príncipes.

℟. Et adorábunt Dóminum Deum tuum qui elégit te.

Sequens Antiphona dicitur ante Canticum usque ad illud verbum. Benedíctus.

Aña. Apértum est os Zacháriæ & prophetávit dicens: Benedíctus Deus Israël. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DEus qui præséntem diem honorábilē nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti; da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum: & ómnium Fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Capitulum. Audíte ínsulæ, *ut suprà.*

℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℣. Et osténdit illi regnum Dei.

Justum. Glória Patri. Justum dedúxit.

℣. Amávit eum Dóminus & ornávit eum.

℟. Stolâ glóriæ índuit eum.

Oratio. Deus qui præséntem. *ut suprà.*

Ad sextam.

Capitulum. Isaiæ. 49.

PRiúsquam te formárem in útero novi te: & antéquam exíres de vulva sanctificávi te: Prophétam in géntibus dédi te.

℟. Amávit eum Dóminus & ornávit eum.

℣. Stolâ glóriæ índuit eū. Amávit eum. Glória Patri. Amávit eum.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus intra sanctæ Ecclésiæ úterum constitútos; eo nos Spíritu ab iniquitate nostra justificári: quo beátum Joánnem intra víscera matérna docuísti. Per Dóminum nostrum... ejúsdem Spíritûs sancti.

Ad

Ad nonam.

Capitulum. Jerem. 1.

REges vidébunt & consúrgent príncipes; & adorábunt Dóminum Deũ tuum: qui elégit te.

℟. Justus ut palma florébit sicut cedrus Líbani.

℣. In domo Dómini plantátus. Justus ut palma. Glória Patri. Justus ut palma.

℣. Stolâ jocunditátis.

℟. Induit eum Dóminus.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos ánnua beáti Joánnis Baptístæ solémnia frequentáre concédis: præsta quæsumus; ut & devótis eádem méntibus celebrémus: & ejus patrocínio promeréntе, plenè capiámus securitátis augméntum. Per Dóminum nostrum.

Ad Vesperas Antiphona, Psalmi, Capitulum, Versus ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta. *Duplicatur.*

Oratio. Deus qui præséntem diem. *ut suprà.*

Processio.

℟. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta, qui viam Dómini præparávit in erémo.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus; da córdibus nostris illam tuárum rectitúdinem semitárum: quam beátus Joánnes Baptísta, in desérto Vox clamántis edócuit. Per Dóminum nostrum.

Ad Complet. Hymnus. Ut queant laxis. 446. *cum quatuor primis versibus tantũ, & ultimo pro clausula.*

DIE XXV, JUNII.

Secunda die infra octavam Nativitatis sancti Ioannis Baptistæ.

Infra Octavam S. Ioannis Baptistæ Officium fit modo præscripto in Rubrica de Octavis.

Ad Matutinum Invitatorium. Regem Præcursóris Dóminum. Veníte adorémus. *Psal.* Veníte exultémus.

Antiphona. Priúsquam te formárem. *Psalm,* Beátus vir. *cum reliquis novem Añis & novem Psalmis ut in die Festi.* 447.

℣. Dóminus ab útero vocávit me.

℟, De ventre matris meæ

à látere meo: ut hábeam vos primos in palátio meo. Quod si contémptus à vobis fúero; necésse mihi erit ágere: ut contémni non possim.

℟. Abstérsit Deus. lix.

Lectio v.

PAulus & Joánnes dixérunt. Non tibi fácimus injúriam; ut præponámus tibi qualemcúmque persónam: Deum tibi præpónimus qui fecit cœlum & terram, mare & ómnia quæ in eis sunt. Et scire te vólumus, quia numquam ad salutatiónem tuam; numquam ad cultúram tuam: numquam ad palátium tuum veniémus. Quibus Juliánus ait: Decem diébus vobis à me dātur indúciæ; décimâ transáctâ die ad me veniéntes amícos vos hábeam: non veniéntes verò tamquam hostes públicos púnio. Dénuè sancti viri Joánnes & Paulus Christiános ad se invitántes; ordinavérunt de ómnibus quæ relínquere póterant: per totos decem dies incessánter die noctúque eleemósynis insisténtes.

℟. Isti sunt sancti. lix.

Lectio vj.

DIe verò undécimâ sunt constrícti intra domum suam: missus namque est Terentiánus campidúctor ad eos cum milítibus horâ cœnándi. Qui ingréssus invénit eos orántes: & dixit eis. Dóminus noster Juliánus stat únculum áureum Jovis ad vos misit, ut adorétis illud & thura incendátis; quòd si non fecéritis, ambo modo gládio feriémini: non enim decet vos intra aulam nutrítos, ut públicè occidámini. Joánnes & Paulus dixérunt; Juliánus si tuus est Dóminus: habéto pacem cum eo; nobis autem Dóminus álius non est nisi unus Deus, Pater, & filius, & Spíritus sanctus; quem ille negáre non tímuit: & quia semel à fácie Dei projéctus est, vult & álios secū in intéritum deveníre. Tunc Terentiánus fecit fieri fóveam intra domum eórum, ut sine strépitu famæ puniréntur; & sic decollári, statímquè invólvi & repóni jussit: divúlgans quòd jussu Cæsaris missi fuíssent in exílium.

℟. Beáti

℟. Beáti pacífici. lx.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite à ferménto Pharisæórum quod est hypócrisis. Nihil enim opértum est, quod non revelétur: neque abscónditum quod non sciátur. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósij Epíscopi.

Comment. in Lucam.

IN isto Evangélio pulchérrimum locum te néndæ simplicitátis & æmulándæ fidei salvátor intéxuit; ne Judáïcæ perfídiæ more, ália promámus afféctu, ália voce simulémus: cùm último témpore occúlta cogitatiónum accusántium, aut étiam defendéntium secrétum nostræ mentis apertúra videántur. Quæ enim major simplicitátis illécebra; quàm ut unusquísque cognóscat látebram fraudis esse non posse? sed quóniam gémina est causa perfídiæ; quia aut ex insólitâ malítiâ, aut ex accidénti metu náscitur: ne quis metu térritus potestátis, Deum quem corde cognóscit negáre cogátur. Pulchrè áddidit; ánimæ tantùm formidábile esse supplícium: pœnam córporis non esse metuéndam. Mors enim natúræ finis, non pœnæ est.

℟. Isti sunt duæ olívæ candelábra lucéntia ante Dóminum: * Habent potestátem cláudere cœlum ne pluat, & aperíre portas ejus quia linguæ eórum claves cœli factæ sunt.

℣. Isti duo filij splendóris qui assístunt dominatóri univérsæ terræ. Habent.

Lectio viij.

NOnne quinque pásseres? vidéntur enim quinque isti pásseres quinque esse córporis sensus; tactus; odorátus; gustus; visus, audítus: qui modo pásserum, si terrenárum sórdium timéntur illúviem; atque ex incúltis locis & fœtidis cibum quærant delictórum suórum láqueis occupáti: ad superiórum óperum fructus quibus epulántur ánimi revoláre non possunt. Est enim lenocinántis quidam láqueus voluptátis; qui

℣. Erit enim Magnus coram Dómino, & Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ : * Ut convértat corda patrum in filios, paráre Dómino plebem perféctam. Glória Patri. Ipse præcédet.

Secunda Benedictio.

Ætérnam Benedictiónem tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. Amen.

Lectio v.

MEritò ergò stérilis péperit Præcónem, Virgo júdicem ; In matre Joánnis sterílitas accépit fœcunditátem : in Matre Christi fœcúnditas non corrúpit integritátem. Si vestra patiéntia & quiétum stúdium, & atténtum silén-tium prębeat mihi cópiam, adjuvánte Dómino, dícere quod donat ut dicam ; erit procul dúbio fructus attentiónis vestræ, ut áliquid, quod ad magnum Sacraméntum pertíneat : insínuem áuribus & córdibus vestris. Fuérunt Prophétæ ante Joánnem, & multi, & magni; & sancti, digni Deo, Deo pleni; Salvatóris prænunciatóres, veritátis attestatóres ; verúmtamen de nullo eórum dici pŏtuit, quod dictum est de Joánne : In natis mulíerum nemo exurréxit major Joánne Baptístâ.

℞. Innuébant Patri ejus, quem vellet vocári eum ; & póstulans pugillárem scripsit dicens ; * Joánnes est nomen ejus. ℣. Apértum est os Zacháriæ, & loquebátur Benedícens Deũ: * Joánnes est nomen ejus. Glória Patri. Innuébant.

Tertia Benedictio.

Grátia Spíritûs sancti illúminet corda & córpora nostra. Amen.

Lectio vj.

QUid ergò vult ista magnitúdo præmíssa ante magnum ? Ad testimónium magnæ humilitátis. Tam enim magnus erat, ut Christus posset putári ; posset Joánnes abúti erróre hóminum, & non laboráre persuadére se esse Christum ; quia hoc jam illi, qui eum audiébant, & vidébant : illo non dicénte, putáverant. Non erat ei opus semináre erróremi sed confirmáre. At ille sponsi amícus húmilis, sponso zelans, non se pro sponso adúlterum suppónens pérhibet

hibet testimónium amico suo ; & eum, qui verè sponsus erat, sponsæ comméndat : Ut amétur in illo, odit se amári pro illo.

℟. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur ; * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptístâ. ℣. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum : Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptístâ. Glória Patri. Præcúrsor Dómini.

In tertio Nocturno.

Antiph. Pósuit os meum Dóminus. *Psalm.* 14.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo ? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula: * & operátur justitiã.

Qui lóquitur veritátem in corde suo ; * qui non egit dolum in linguâ suâ.

Nec fecit próximo suo malum : * & oppróbrium non accépit advérsùs próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est conspéctu ejus malignus : * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, & non décipit ; * qui pecúniam suam non dedit ad usúram: * & múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum.

Antiph. Pósuit os meum Dóminus quasi gládium acútum sub umbra manûs suæ protéxit me.

Antiph. Formans me ab útero.

Psalmus 20.

DOmine in virtúte tuâ lætábitur Rex : * & super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te & tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : *

sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam Rex ſperat in Dómino : * & in miſericórdia Altíſſimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clibanum ignis in témpore vultûs tui : * Dóminus in irâ ſuâ conturbábit eos : * & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terrâ perdes : * & ſemen eórum à filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt ſtabilíre.

Quóniam pones eos dorſum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tuâ : * cantábimus & pſallémus virtútes tuas.

Antiph. Formans me ab útero ſervum ſibi Dóminus in lucem géntium ut ſim ſalus ejus ab extremis terræ,

Aña. Reges vidébunt.

Pſalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * ſemper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant manſuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * & exaltémus nomen ejus in idípſum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me : * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illumináminì : * & fácies veſtræ non confundéntur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum : * & ex ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immíttit Angelus Dómini in circúitu timētium eum : * & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus : * beátus vir, qui ſperat in eo.

Timéte Dóminum omnes ſancti ejus : * quóniam non eſt inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte filij, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis eſt homo, qui vult vitam : *

vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo: * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus ad preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terrâ memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxtà est Dóminus his, qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * & de ómnibus his liberávit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes, qui sperant in eo. Glória Patri.

Antiphona. Reges vidébunt & consúrgent príncipes & adorábunt Dóminum Deum tuum qui elégit te.

℣. Pósuit os meum Dóminus quasi gládium acútum.

℟. Sub umbrâ manûs suæ protéxit me.

Pater noster.

Tertia Deprecatio.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Prima Benedictio.

Redémptor humáni géneris nos benedícere & adjuváre dignétur. Amen.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

ELízabet implétum est tempus pariéndi: & péperit fílium. Et audiérunt vicíni & cognáti ejus; quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa: & congratulabántur ei. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósij Epíscopi.

Hom. in sup. Evang. 1.

HAbet sanctórum edítio lætítiam plurimórum: quia commúne est

bonum. Justítia enim commúnis est virtus. Et ídeò in ortu justi; futúræ vitæ insígne præmíttitur: & grátia secutúræ virtútis exultatióne vicinórū præfiguránte signátur. Pulchrè autem tempus, quo fuit in útero Prophéta descríbitur; ne Maríæ præséntia taceátur: sed tempus silétur infántiæ; eo quòd præséntiâ Dómini matris in útero roborátur: qui infántiæ impediménta nescívit. Et ídeò in Evangélio nihil super eo légimus, nisi ortum ejus, & orâculum; exultatiónem in útero: vocem in desérto. Neque enim ullam infántiæ sensit ætátem; qui supra natúram; supra ætátem; in útero situs matris: à mensúrâ perféctæ cœpit ætátis plenitúdinis Christi.

℟. Fuit homo missus à Deo, cui nomen Joánnes erat: hic venit ut testimónium perhibéret de lúmine. * Et paráret Dómino plebem perféctam. ℣. Non erat ille lux: sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Et paráret Dómino. Glória Patri. Fuit homo.

Benedictio viij. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio viij.

Mirè sanctus Evangelísta præmitténdum putávit; quòd plúrimi infántem patris nómine Zacháriam appellándum putavérunt: ut advértas matri non nomen alicújus displicuísse degéneris; sed id sancto infúsum Spíritu: quod ab Angelo antè Zacháriæ fúerat prænuntiátum. Et quidem ille mutus intimáre vocábulum filij nequívit uxóri; sed per prophetíam Elízabet dídicit: quod non didícerat à maríto. Joánnes est, inquit, nomen ejus. Hoc est, Non ei nos nomen impónimus: qui jam à Deo nomen accépit. Habet vocábulum suum; quod agnóvimus: non quod elégimus. Habent hoc mérita Sanctórum: ut à Deo nomen accípiant. Sic Jacob Isräel dícitur: quia Deum vidit. Sic Dóminus noster Jesus nominátus est, ántequam natus; cui non Angelus: sed Pater nomen impósuit.

℟. Hic Præcúrsor diréctus, & lucérna lucens ante Dóminum:

minum: ipse est enim Joánnes qui viam Dómini præparávit in erémo : sed & Agnum Dei demonstrávit: * Et illuminábat mentes hóminum. ℣. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine. Et illuminábat. Glória Patri. Hic Præcúrsor. *Benedictio ix.* Ad supernórum Cívium.

Lectio ix.

Zachárias quoque nutu interrogátur: sed quia incredúlitas ei affátum eripúerat, & audítum; quod voce non póterat: manu & lítteris est locútus. Scripsit enim dicens: Joánnes est nomen ejus. Et hîc nomen non impónitur: sed astrúitur. Meritóque contínuò resolúta est lingua ejus; quia, quam vínxerat incredúlitas: fides solvit. Credámus & nos ígitur, ut loquámur; ut lingua nostra, quæ incredulitátis vínculis est ligáta: ratiónis voce solvátur. Scribámus spíritu mystéria, si vólumus loqui; scribámus Prænúntium Christi, non in tábulis lapídeis: sed in tábulis cordis carnálibus. Etenim, qui Joánnem lóquitur: Christum prophétat. Loquámur Joánnem, loquámur & Christum; ut nostrum quoque os possit aperíri; quod in Sacerdóte tanto, irrationábilis modo pécudis: fræna nutántis fidei coërcébant.

℟. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptístâ: * Qui viam Dómini præparávit in erémo. ℣. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante fáciem meam. Qui viam.

Non duplicatur, Hymn. Te Deum laudámus.

Ad Laudes, Antiph. Joánnes vocábitur nomen ejus, & in Nativitáte ejus multi gaudébunt.

Psal. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica,* *Aña.* Ipse præíbit ante illum in spíritu & virtúte Eliæ paráre Dómino plebem perféctam. *Aña.* Innuébant patri ejus quem vellet vocári eum: & scripsit dicens; Joánnes est nomen ejus. *Aña.* Tu puer Prophéta Altíssimi vocáberis, præíbis ante Dóminum paráre vias ejus. *Aña.* Ille magnus Puer co-

mino: nam & manus ejus cum ipso est.

Capitulum. Isaïæ 49.

AUdite ínsulæ, & attendite pópuli de longè; Dóminus ab útero vocávit me: de ventre matris meæ, recordátus est nóminis mei.

℣. Reges vidébunt & consúrgent Príncipes.

℟. Et adorábunt Dóminum Deum tuum qui elégit te.

Sequens Antiphona dicitur ante Canticum usque ad illud verbum. Benedíctus.

Aña. Apértum est os Zacháriæ & prophetávit dicens: Benedíctus Deus Israël. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DEus qui præséntem diem honorábilē nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti; da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum: & ómnium Fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Capitulum. Audíte ínsulæ, *ut suprà.*

℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℣. Et osténdit illi regnum Dei.

Justum. Glória Patri. Justum dedúxit.

℣. Amávit eum Dóminus & ornávit eum.

℟. Stolâ glóriæ índuit eum.

Oratio. Deus qui præséntem. *ut suprà.*

Ad sextam.

Capitulum. Isaiæ. 49.

PRiúsquam te formárem in útero novi te: & antéquam exíres de vulva sanctificávi te: Prophétam in géntibus dédi te.

℟. Amávit eum Dóminus & ornávit eum.

℣. Stolâ glóriæ índuit eũ. Amávit eum. Glória Patri. Amávit eum.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus intra sanctæ Ecclésiæ úterum constitútos; eo nos Spíritu ab iniquitate nostra justificári: quo beátum Joánnem intra víscera matérna docuísti. Per Dóminum nostrum... ejúsdem Spíritûs sancti.

Ad nonam.

Capitulum. Jerem. 1.

REges vidébunt & consúrgent príncipes; & adorábunt Dóminum Deũ tuum: qui elégit te.

℟. Justus ut palma florébit sicut cedrus Líbani.

℣. In domo Dómini plantátus. Justus ut palma. Glória Patri. Justus ut palma.

℣. Stolâ jocunditátis.

℟. Induit eum Dóminus.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos ánnua beáti Joánnis Baptístæ solémnia frequentáre concédis: præsta quæsumus; ut & devótis éadem méntibus celebrémus: & ejus patrocínio promeréntе, plenè capiámus securitátis augméntum. Per Dóminum nostrum.

Ad Vesperas Antiphonæ, Psalmi, Capitulum, Versus ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta. *Duplicatur.*

Oratio. Deus qui præséntem diem. *ut suprà.*

Processio.

℟. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta, qui viam Dómini præparávit in erémo.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus; da córdibus nostris illam tuárum rectitúdinem semitárum: quam beátus Joánnes Baptísta, in desérto Vox clamántis edócuit. Per Dóminum nostrum.

Ad Complet. Hymnus. Ut queant laxis. 446. *cum quatuor primis versibus tantũ, & ultimo pro clausula.*

DIE XXV, JUNII.

Secunda die infra octavam Nativitatis sancti Ioannis Baptistæ.

Infra Octavam S. Ioannis Baptistæ Officium fit modo præscripto in Rubrica de Octavis.

Ad Matutinum Invitatorium. Regem Præcursóris Dóminum. Veníte adorémus. *Psal.* Veníte exultémus.

Antiphona. Priúsquam te formárem. *Psalm,* Beátus vir. *cum reliquis novem Añis & novem Psalmis ut in die Festi.* 447.

℣. Dóminus ab útero vocávit me.

℟, De ventre matris meæ

vero dânes est nóminis mei.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura, occurrente nisi aliter notetur. Tertia de Octava, nisi etiam aliter notetur aut aliquo infra Octavam, reliqua ut in die. Nihil Duplicatur.

R. 3. Priúsquam te formárem. 450.

R. 4. De ventre matris meæ. 450.

Sermo sancti Euchérii Lugdunensis Epíscopi.

De Natali S. Joannis Baptistæ. Lectio iii.

N Ascitur hódie Joannes [illegible]

[illegible]

Joánnes ait; Me opórtet minui: illum autem créscere. Minúitur enim Joánnes truncatus: crescit verò Christus in cruce exaltatus. Octávo die venérunt circumcídere púerum. Hac circumcisióne neque Christus, neque Joánnes indigebat; circumcisi tamen sunt, ne scándalum fíerent, & ut legem adimplérent: lex enim & Prophétæ usque ad Joánnem. De circumcisióne multa ad Románes Apóstolus scribit: non carnis, sed Spíritus circumcisiónem laudat. Spirituális namque circumcísio, non in uno, sed in ómnibus membris fíeri debet, ut neque manus operéntur malum; neque pedes ad fundéndum sánguinem currant: neque é[illegible] [illegible] pateant. Sic ómnia membra circumcídimus.

R. 11. Gabriel Angelus appáruit. 453.

Ad Laudes Antiphonæ, Psalmi [illegible] Dóminus [illegible] ut in die Festi.

Oremus. Oratio.

D Eus qui præséntem diem honorábilem

nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti; da pópulis tuis Spirituálium grátiam gáudiorum: & ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ.

Ad Horas ut in die. 460.

Vesp. semid. de sequenti.

DIE XXVI. JUNIJ.

Sanctorum Ioannis & Pauli fratrum Martyrum semiduplex majus.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum præter ea quæ hic sunt propria.

Orémus. *Oratio.*

QUæsumus omnípotens Deus, ut nos gemináta lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat; quæ de beatórum Ioánnis & Pauli glorificatióne procédit: quos éadem fides & pássio verè fecit esse germános. Per Dóminum.

Ad Processionem.

℟. Isti sunt duæ olivæ. *ut infra in ij. Nocturno.* 465.

Ad ij. Magnificat, Añа. Isti sunt sancti qui pro testaménto Dei, sua córpora tradidérunt, & in sánguine Agni lavérunt stolas suas.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Joánnis & Pauli natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine, de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christimúnera. iij.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrent.

In secundo Nocturno.

Ex Martyrológio sancti Adónis Epíscópi.

Lectio iv.

JOánnes & Paulus fratres quorum primus præpósitus, secúndus fuit primicérius Constántiæ Vírginis fíliæ Constantíni: qui cum omni die turmas Christianórum recreárent ex his ópibus quas sanctíssima virgo Constántia relíquerat: pervénit hoc ad Juliánum. Et misit qui eos convenírent; dicens, debére sibi eos adhærére. Illi verò respondérunt inter ália, Pro iniquitáte tuâ destítimus à tuâ salutatióne; & à societáte impérij tui nosmetípsos omnínò subtráximus: sumus enim nos, non falsi sed veri Christiáni. Quibus Juliánus mandávit. Consideráre debétis; quia vos régiâ aulâ nutríti non debétis deésse

℣. Erit enim Magnus coram Dómino, & Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ: * Ut convértat corda patrum in filios, paráre Dómino plebem perféctam. Glória Patri. Ipse præcédet.

Secunda Benedictio.

Ætérnam Benedictiónem tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. Amen.

Lectio v.

MEritò ergò stérilis péperit Præcónem, Virgo júdicem; In matre Joánnis sterílitas accépit fœcunditátem: in Matre Christi fœcúnditas non corrúpit integritátem. Si vestra patiéntia & quiétum stúdium, & atténtum siléntium prębeat mihi cópiam, adjuvánte Dómino, dícere quod donat ut dicam; erit procul dúbio fructus attentiónis vestræ, ut áliquid, quod ad magnum Sacraméntum pertíneat: insínuem auribus & córdibus vestris. Fuérunt Prophétæ ante Joánnem, & multi, & magni; & sancti, digni Deo, Deo pleni; Salvatóris prænunciatóres, veritátis attestatóres; verúmtamen de nullo eórum dici pŏtuit, quod dictum est de Joánne: In natis mulíerum nemo exurréxit major Joánne Baptístâ.

℟. Innuébant Patri ejus, quem vellet vocári eum; & póstulans pugillárem scripsit dicens; * Joánnes est nomen ejus. ℣. Apértum est os Zacháriæ, & loquebátur Benedícens Deũ: * Joánnes est nomen ejus. Glória Patri. Innuébant.

Tertia Benedictio.

Grátia Spíritûs sancti illúminet corda & córpora nostra. Amen.

Lectio vj.

QUid ergò vult ista magnitúdo præmíssa ante magnum? Ad testimónium magnæ humilitátis. Tam enim magnus erat, ut Christus posset putári; posset Joánnes abúti erróre hóminum, & non laboráre persuadére se esse Christum; quia hoc jam illi, qui eum audiébant, & vidébant: illo non dicénte, putáverant. Non erat ei opus semináre erróre: sed confirmáre. At ille sponsi amícus húmilis, sponso zelans, non se pro sponso adúlterum suppónens pérhibet

hibet testimónium amico suo; & eum, qui verè sponsus erat, sponsæ comméndat: Ut amétur in illo, odit se amári pro illo.

℟. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur; * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptístâ. ℣. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum: Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptístâ. Glória Patri. Præcúrsor Dómini.

In tertio Nocturno.

Antiph. Pósuit os meum Dóminus. *Psalm.* 14.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula: * & operátur justítiã.

Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit dolum in linguâ suâ.

Nec fecit próximo suo malum: * & oppróbrium non accépit advérsùs próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est conspéctu ejus malignus: * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, & non décipit; * qui pecúniam suam non dedit ad usúram: * & múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum.

Antiph. Pósuit os meum Dóminus quasi gládium acútum sub umbra manûs suæ protéxit me.

Antiph. Formans me ab útero.

Psalmus 20.

DOmine in virtúte tuâ lætábitur Rex: * & super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te & tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: *

ſæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam Rex ſperat in Dómino : * & in miſericórdia Altíſſimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clibanum ignis in témpore vultûs tui : * Dóminus in irâ ſuâ conturbábit eos : * & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terrâ perdes : * & ſemen eórum à filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt ſtabilíre.

Quóniam pones eos dorſum :* in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tuâ : * cantábimus & pſallémus virtútes tuas.

Antiph. Formans me ab útero ſervum ſibi Dóminus in lucem géntium ut ſim ſalus ejus ab extremis terræ.

Aña. Reges vidébunt.

Pſalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * ſemper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant manſuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum :* & exaltémus nomen ejus in idípſum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me : * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini : * & fácies veſtræ non confundéntur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum :* & ex ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immíttit Angelus Dómini in circúitu timētium eum : * & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus :* beátus vir, qui ſperat in eo.

Timéte Dóminum omnes ſancti ejus : * quóniam non eſt inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte filij, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis eſt homo, qui vult vitam : *

vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo: * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus ad preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terrâ memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxtà est Dóminus his, qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * & de ómnibus his liberávit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes, qui sperant in eo. Glória Patri.

Antiphona. Reges vidébunt & consúrgent príncipes & adorábunt Dóminum Deum tuum qui elégit te.

℣. Pósuit os meum Dóminus quasi gládium acútum.

℟. Sub umbrâ manûs suæ protéxit me.

Pater noster.

Tertia Deprecatio.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Prima Benedictio.

Redémptor humáni géneris nos benedícere & adjuváre dignétur. Amen.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. I.

ELízabet implétum est tempus pariéndi: & péperit fílium. Et audiérunt vicíni & cognáti ejus; quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa: & congratulabántur ei. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósij Epíscopi.

Hom. in sup. Evang. I.

HAbet sanctórum edítio lætítiam plurimórum: quia commúne est

bonum. Justítia enim commúnis est virtus. Et ideò in ortu justi; futúræ vitæ insígne præmíttitur: & grátia secutúræ virtútis exultatióne vicinórũ præfiguránte signátur. Pulchrè autem tempus, quo fuit in útero Prophéta descríbitur; ne Maríæ præséntia taceátur: sed tempus silétur infántiæ; eo quòd præséntiâ Dómini matris in útero roborátur: qui infántiæ impediménta nescívit. Et ideò in Evangélio nihil super eo légimus, nisi ortum ejus, & oráculum; exultatiónem in útero: vocem in desérto. Neque enim ullam infántiæ sensit ætátem; qui supra natúram; supra ætátem; in útero situs matris: à mensúrâ perféctæ cœpit ætátis plenitúdinis Christi.

℟. Fuit homo missus à Deo, cui nomen Joánnes erat: hic venit ut testimónium perhibéret de lúmine. * Et paráret Dómino plebem perféctam. ℣. Non erat ille lux: sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Et paráret Dómino. Glória Patri. Fuit homo.

Benedictio viij. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio viij.

MIrè sanctus Evangelísta præmitténdum putávit; quòd plúrimi infántem patris nómine Zacháriam appellándum putavérunt: ut advértas matri non nomen alicújus displicuísse degéneris; sed id sancto infúsum Spíritu: quod ab Angelo antè Zacháriæ fúerat prænuntiátum. Et quidem ille mutus intimáre vocábulum fílij nequívit uxóri; sed per prophetíam Elízabet dídicit: quod non didícerat à maríto. Joánnes est, inquit, nomen ejus. Hoc est, Non ei nos nomen impónimus: qui jam à Deo nomen accépit. Habet vocábulum suum; quod agnóvimus: non quod elégimus. Habent hoc mérita Sanctórum: ut à Deo nomen accípiant. Sic Jacob Israël dícitur: quia Deum vidit. Sic Dóminus noster Jesus nominátus est, ántequam natus; cui non Angelus: sed Pater nomen impósuit.

℟. Hic Præcúrsor diréctus, & lucérna lucens ante Dóminum:

minum: ipse est enim Joánnes qui viam Dómini præparávit in erémo: sed & Agnum Dei demonstrávit: * Et illuminábat mentes hóminum. ℣. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine. Et illuminábat. Glória Patri. Hic Præcúrsor. *Benedictio ix.* Ad supernórum Cívium.

Lectio ix.

Zachárias quoque nutu interrogátur: sed quia incredúlitas ei affátum eripúerat, & audítum; quod voce non póterat: manu & lítteris est locútus. Scripsit enim dicens: Joánnes est nomen ejus. Et hîc nomen non impónitur: sed astrúitur. Meritóque contínuò resolúta est lingua ejus; quia, quam vínxerat incredúlitas: fides solvit. Credámus & nos ígitur, ut loquámur; ut lingua nostra, quæ incredulitátis vínculis est ligáta: ratiónis voce solvátur. Scribámus spíritu mystéria, si vólumus loqui; scribámus Prænúntium Christi, non in tábulis lapídeis: sed in tábulis cordis carnálibus. Etenim, qui Joánnem lóquitur: Christum prophétat. Loquámur Joánnem, loquámur & Christum; ut nostrum quoque os possit aperíri; quod in Sacerdóte tanto, irrationábilis modo pécudis: fræna nutántis fídei coërcébant.

℞. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptístâ: * Qui viam Dómini præparávit in erémo. ℣. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante fáciem meam. Qui viam.

Non duplicatur, Hymn. Te Deum laudámus.

Ad Laudes, Antiph. Joánnes vocábitur nomen ejus, & in Nativitáte ejus multi gaudébunt.

Psal. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica,*

Aña. Ipse præíbit ante illum in spíritu & virtúte Eliæ paráre Dómino plebem perféctam. *Aña.* Innuébant patri ejus quem vellet vocári eum: & scripsit dicens; Joánnes est nomen ejus. *Aña.* Tu puer Prophéta Altíssimi vocáberis, præíbis ante Dóminum paráre vias ejus. *Aña.* Ille magnus Puer co-

mino : nam & manus ejus cum ipso est.

Capitulum. Isaïæ 49.

AUdíte ínsulæ, & attendite pópuli de longè; Dóminus ab útero vocávit me: de ventre matris meæ, recordátus est nóminis mei.

℣. Reges vidébunt & consúrgent Príncipes.

℟. Et adorábunt Dóminum Deum tuum qui elégit te.

Sequens Antiphona dicitur ante Canticum usque ad illud verbum. Benedíctus.

Aña. Apértum est os Zacháriæ & prophetávit dicens: Benedíctus Deus Israël. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DEus qui præséntem diem honorábilẽ nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti; da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum: & ómnium Fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Capitulum. Audíte ínsulæ, *ut suprà.*

℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℣. Et osténdit illi regnum Dei.

Justum. Glória Patri. Justum dedúxit.

℣. Amávit eum Dóminus & ornávit eum.

℟. Stolâ glóriæ índuit eum.

Oratio. Deus qui præséntem. *ut suprà.*

Ad sextam.

Capitulum. Isaiæ. 49.

PRiúsquam te formárem in útero novi te : & ántequam exíres de vulva sanctificávi te : Prophétam in géntibus dédi te.

℟. Amávit eum Dóminus & ornávit eum.

℣. Stolâ glóriæ índuit eũ. Amávit eum. Glória Patri. Amávit eum.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus intra sanctæ Ecclésiæ úterum constitútos; eo nos Spíritu ab iniquitate nostra justificári: quo beátum Joánnem intra víscera matérna docuísti. Per Dóminum nostrum... ejúsdem Spíritûs sancti.

Ad

Ad nonam.

Capitulum. Jerem. 1.

REges vidébunt & consúrgent príncipes; & adorábunt Dóminum Deũ tuum: qui elégit te.

℟. Justus ut palma florébit sicut cedrus Líbani.

℣. In domo Dómini plantátus. Justus ut palma. Glória Patri. Justus ut palma.

℣. Stolâ jocunditátis.

℟. Induit eum Dóminus.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos ánnua beáti Joánnis Baptístæ solémnia frequentáre concédis: præsta quæsumus; ut & devótis éadem méntibus celebrémus: & ejus patrocínio promeréntе, plenè capiámus securitátis augméntum. Per Dóminum nostrum.

Ad Vesperas Antiphonæ, Psalmi, Capitulum, Versus ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta. *Duplicatur.*

Oratio. Deus qui præséntem diem. *ut suprà.*

Processio.

℟. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta, qui viam Dómini præparávit in erémo.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus; da córdibus nostris illam tuárum rectitúdinem semitárum: quam beátus Joánnes Baptísta, in desérto Vox clamántis edócuit. Per Dóminum nostrum.

Ad Complet. Hymnus. Ut queant laxis. 446. *cum quatuor primis versibus tantũ, & ultimo pro clausula.*

DIE XXV, JUNII.

Secunda die infra octavam Nativitatis sancti Ioannis Baptistæ.

Infra Octavam S. Ioannis Baptistæ Officium fit modo præscripto in Rubrica de Octavis.

Ad Matutinum Invitatorium. Regem Præcursóris Dóminum. Veníte adorémus. *Psal.* Veníte exultémus.

Antiphona. Priúsquam te formárem. *Psalm,* Beátus vir. *cum reliquis novem Añis & novem Psalmis ut in die Festi.* 447.

℣. Dóminus ab útero vocávit me.

℟, De ventre matris meæ

recordátus est nóminis mei.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura, occurrente nisi aliter notetur. Tertia de Octava, nisi etiam aliter notetur die aliquo infra Octavam, reliqua ut in die. Nihil Duplicatur.

℟. j. Priúsquam te formárem. 449.

℟. ij. De ventre matris meæ. 450.

Sermo sancti Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

In Natali S. Ioannis Baptistæ. Lectio iij.

NAscitur hódiè Joánnes Baptísta major Prophétis; minor Angelis: imò minor eo qui minorátus est paulo minus ab Angelis. Unde ipse Dóminus ait. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta; qui autem minor est in regno cœlórum: major est illo. Hoc autem Apóstolus expósuit dicens; eum, qui módico quam Angeli minorátus est: vidémus Jesum propter passiónem mortis. Hoc ígitur solo, id est, Christo minor est Joánnes: quo nemo álius major surréxit natus de mulíere. Unde ipse Joánnes ait; Me opórtet mínui: illum autem créscere. Minúitur enim Joánnes truncátus: crescit verò Christus in cruce exaltátus. Octávo die venérunt circumcídere púerum. Hac circumcisióne neque Christus, neque Joánnes indigébat; circumcísi tamen sunt, ne scandálum fíerent, & ut legem adimplérent: lex enim & Prophétæ usque ad Joánnem. De circumcisióne multa ad Romános Apóstolus scribit: non carnis, sed Spíritûs circumcisiónem laudat. Spirituális namque circumcísio, non in uno, sed in ómnibus membris fieri debet, ut neque manus operéntur malum; neque pedes ad fundéndum sánguinem currant: neque detractiónibus páteant. Sic ómnia membra circumcidúntur.

℟. iij. Gábriel Angelus appáruit. 451.

Ad Laudes, Antiphona. Joánnes vocábitur. *Psalm.* Dóminus regnávit. *cum reliquis ut in die Festi.*

Orémus. *Oratio.*

DEus qui præséntem diem honorábilem nobis.

nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti; da pópulis tuis Spirituálium grátiam gáudiorum: & ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ.

Ad Horas ut in die. 460.

Vesp. semid. de sequenti.

DIE XXVI. JUNIJ.

Sanctorum Ioannis & Pauli fratrum Martyrum semiduplex majus.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum præter ea quæ hic sunt propria.

Orémus. *Oratio.*

QUæsumus omnípotens Deus, ut nos gemináta lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat; quæ de beatórum Ioánnis & Pauli glorificatióne procédit: quos éadem fides & pássio verè fecit esse germános. Per Dóminum.

Ad Processionem.

℟. Isti sunt duæ olivæ. *ut infra in iij. Nocturno.* 465.

Ad ij. Magnificat, Aña. Isti sunt sancti qui pro testaménto Dei, sua córpora tradidérunt, & in sánguine Agni lavérunt stolas suas.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Joánnis & Pauli natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine, de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Martyrológio sancti Adónis Epíscópi.

Lectio iv.

JOánnes & Paulus fratres quorum primus præpósitus, secúndus fuit primicérius Constántiæ Vírginis fíliæ Constantíni: qui cum omni die turmas Christianórum recreárent ex his ópibus quas sanctíssima virgo Constántia relíquerat: pervénit hoc ad Juliánum. Et misit qui eos convenírent; dicens, debére sibi eos adhærére. Illi verò respondérunt inter ália, Pro iniquitáte tuâ destítimus à tuâ salutatióne; & à societáte impérij tui nosmetípsos omnínò subtráximus: sumus enim nos, non falsi sed veri Christiáni. Quibus Juliánus mandávit. Consideráre debétis; quia vos régiâ aulâ nutríti non debétis deésse

à látere meo: ut hábeam vos primos in palátio meo. Quod si contémptus à vobis fúero; necésse mihi erit ágere: ut contémni non possim.

℟. Abstérsit Deus. lix.

Lectio v.

PAulus & Joánnes dixérunt. Non tibi fácimus injúriam; ut præponámus tibi qualemcúmque persónam: Deum tibi præpónimus qui fecit cœlum & terram, mare & ómnia quæ in eis sunt. Et scire te vólumus, quia numquam ad salutatiónem tuam; numquam ad cultúram tuam: numquam ad palátium tuum veniémus. Quibus Juliánus ait: Decem diébus vobis à me dātur indúciæ; décimâ transáctâ die ad me veniéntes amícos vos hábeam: non veniéntes verò tamquam hostes públicos púnio. Dénuè sancti viri Joánnes & Paulus Christiános ad se invitántes; ordinavérunt de ómnibus quæ relínquere póterant: per totos decem dies incessánter die noctúque eleemósynis insisténtes.

℟. Isti sunt sancti. lix.

Lectio vj.

DIe verò undécimâ sunt constrícti intra domum suam: missus namque est Terentiánus campidúctor ad eos cum milítibus horâ cœnándi. Qui ingréssus invénit eos orántes: & dixit eis. Dóminus noster Juliánus statúnculum áureum Jovis ad vos misit, ut adorétis illud & thura incendátis; quòd si non fecéritis, ambo modo gládio feriémini: non enim decet vos intra aulam nutrítos, ut públicè occidámini. Joánnes & Paulus dixérunt; Juliánus si tuus est Dóminus: habéto pacem cum eo; nobis autem Dóminus álius non est nisi unus Deus, Pater, & filius, & Spíritus sanctus; quem ille negáre non tímuit: & quia semel à fácie Dei projéctus est, vult & álios secū in intéritum deveníre. Tunc Terentiánus fecit fieri fóveam intra domum eórum, ut sine strépitu famæ puniréntur; & sic decollári, statímquè invólvi & repóni jussit: divúlgans quòd jussu Cæsaris missi fuíssent in exílium.

℟. Beáti

℟. Beáti pacífici. Ix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Atténdite à ferménto Pharisæórum quod est hypócrisis. Nihil enim opértum est, quod non revelétur: neque abscónditum quod non sciátur. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósij Epíscopi.

Comment. in Lucam.

IN isto Evangélio pulchérrimum locum te néndæ simplicitátis & æmulándæ fidei salvátor in téxuit; ne Judáïcæ perfídiæ more, ália promámus afféctu, ália voce simulémus: cùm último témpore occúlta cogitatiónum accusántium, aut étiam defendéntium secrétum nostræ mentis apertúra videántur. Quæ enim ma jor simplicitátis illécebra; quàm ut unusquísque cognóscat látebram fraudis esse non posse? sed quóniam gémina est causa perfídiæ; quia aut ex insólitâ malítiâ, aut ex accidénti metu náscitur ne quis metu térritus potestátis, Deum quem corde cognóscit negáre cogátur. Pulchrè áddidit; ánimæ tantùm formidábile esse supplícium: pœnam córporis non esse metuéndam. Mors enim natúræ finis, non pœnæ est.

℟. Isti sunt duæ olívæ candelábra lucéntia ante Dóminum: * Habent potestátem cláudere cœlum ne pluat, & aperíre portas ejus quia linguæ eórum claves cœli factæ sunt.

℣. Isti duo filij splendóris qui assístunt dominatóri univérsæ terræ. Habent.

Lectio viij.

NOnne quinque pásseres? vidéntur enim quinque isti pásseres quinque esse córporis sensus; tactus; odorátus; gustus; visus, audítus: qui modo pásserum, si terrenárum sórdium timéntur illúviem; atque ex incúltis locis & fœtidis cibum quærant delictórum suórum láqueis occupáti: ad superiórum óperum fructus quibus epulántur ánimi revoláre non possunt. Est enim lenocinántis quidam láqueus voluptátis; qui

nostrórum vestígiis animórum quædam víncula subnéctat: ut si ígneum vigórem puritatémque natúræ terrénæ matériæ sensus hebetáverit luxúriæ prétio sæculáris addíctum sub quadam vitiórum auctióne constítuat. Sunt étiam quædam nostrórum núndinæ delictórum. Itaque variárum capti illécebris voluptátum: aut venúndamur sub peccáto, aut redímimur à peccáto. Christus nos rédimit: adversárius vendit. Ille auctionátur ad mortem: hic rédimit ad salútem.

℟. Isti sunt duo viri misericórdiæ: * Qui assistunt ante Dóminum dominatórem univérsæ terræ.

℣. Isti sunt duæ olívæ & duo candelábra lucéntia. Qui assistunt.

Sermo sancti Petri Chrysólogi.

Lectio ix. de Oct. Nat. Serm. 88.

Beátus Joánnes qui antè Dei Spíritu méruit intonáre quàm hóminis vagíret in fletu! Beátus qui antè divína possidére méruit, quàm sortirétur humána! Beátus qui antè méruit cœlum scire quàm terram! Beátus qui ántequam vidéret præséntia: futúra méruit nuntiáre! Beátus qui ante Deum pótuit cápere: quàm suo ipse caperétur córpore! Joánnes venit in Spíritu Eliæ & in ejus virtúte gráditur; qui totum victu, vestítu, horróre, castitáte, abstinéntiâ & ómnibus Eliam virtútibus repræséntat & Christum: ut præparáret Dómino plebem perféctam.

℟. Sancti amábiles & decóri in vita sua: * In morte quoque non sunt divísi.

℣. Hi sunt qui per fidem vicérunt regna: operáti sunt justítiam: adépti sunt repromissiónes. In morte. Glória Patri. In morte.

Si venerit in Dominica omittitur Glória. *Et dicitur.* Te Deum.

DIE XXVII. JUNII.

Quarta die infra Octavam Nativitatis sancti Ioannis Baptistæ.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. j. Ipse præcédet. 453.

℟. ij. Innuébant. 454.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In Nativitate sancti Ioannis Baptistæ.

Lectio iij.

JOánnes in spíritu tamquam Angelus erudítur; Nimírum tantò propínquior Deo, quanto vox verbo vicína cui nullâ voce aliâ médiâ : quod foris sonet opórteat intimári. Neque enim Joánnem prædicátio; sed inspirátio dócuit : quem replévit Spíritus in útero matris suæ. Verè ardens & veheméntèr accénsus, quem sic præoccupávit flamma cœléstis; ut jam Christi sentíret advéntum : qui necdum sentíre póterat vel seípsum. Nimírum novus ille ignis qui recens elápsus è cœlo, per os Gabriélis in aurem intráverat Vírginis : rursum per os Vírginis, & per matris aurem introívit ad párvulum; ut ab eâ horâ vas electiónis suæ Spíritusanctus impléret : & lucérnam Christo Dómino paráret. Fuit ergo jam tunc ardens lucérna; sed ínterim adhuc sub módio, donec super candelábrum ponerétur : & lucéret ómnibus qui erant in domo Dómini. Illo enim in témpore solùm adhuc pótuit illumináre módium suum; soli ínterim lucére matri : magnum ei pietátis Sacraméntum revélans ipso motu novæ exultatiónis.

℟. iij. Præcúrsor. 455.

Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente cœtera ut in secundis Vesp. diei festi, Antiphona ad Magnificat non duplicatur.

DIE XXVIII. JUNII.

Quinta die infra octavam Nativitatis sancti Ioannis Baptistæ.

iij. Lectionum.

Lectio prima de Scriptura occurrente.

℟. Fuit homo. 458.

De octava Nativit. sancti Ioannis Baptistæ.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Hom. tertia in Nativit. S. Ioannis Baptistæ.

Lectio ij.

QUàm cóngruè beátus Joánnes prædicátus est vox : qui cæléstis Verbi & præco mittebátur & testis. Hic est ille cujus per Angelum Gabriélem prænuntiabátur natívitas : & nomen & méritum. Hic est qui judício cœléstis sen-

téntiæ cunctis mortálibus anteféertur. Quàm pulchrè dictum est: Inter natos mulíerum non esse majórem! Quia ille omnimodis major erat Joánne: qui de Vírgine nascebátur. Quibus prospéctis advértite, dilectíssimi, quantam huic reveréntiam; quantum devotiónis debeámus impéndere: qui ut honorábilis sit, à sancto est Spíritu prophetátus, promíssus ab Angelo; laudátus à Dómino: & perpétuâ sanctæ mortis glóriâ consecrátus. Decébat namque ut mysticam Nativitátem ejus mirábilis vita sequerétur: & sanctam perfectámque vitam mors Deo devóta conclúderet.

℟. Hic præcúrsor. 458.

Léctio sancti Evangelij: secúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 21.

IN illo témpore: Dixit Jesus Petro. Simon Joánnis diligis me plus his? dicit ei. Etiam Dómine; tu Scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterùm. Simon Joánnis díligis me? ait illi; Etiàm Dómine: tu scis quia amo te. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 76. in Cantica.

AUdíte amíci sponsi: si tamen amíci. At parum dixi; imò amicíssimi sacerdótes: amicíssimi enim sint opórtet, qui privilégio tantæ familiaritátis donántur. Non otiósè tóties repetítum est, Petre amas me: in commissióne óvium. Et ego quidem id significátũ perindè puto ac si illi dixísset Jesus: Nisi testimónium tibi perhibénte consciéntia quòd me ames, & valdè perfectèque ames; hoc est, plus quam tua; plus quam tuos; plus quàm & te: ut hujus repetitiónis meæ númerus impleatur; nequáquàm suscípias curam hanc; nec te intromíttas de óvibus meis: pro quibus Sanguis meus effúsus est. Terríbilis sermo: & qui possit étiam impávida quorúmvis corda concútere. Proptéreà atténdite vobis quicúmque opus ministérij hujus sortíti estis; atténdite, inquam, vobis: & pretióso depósito quod vobis créditum est. Cívitas est: vigiláte ad custódiam & concórdiam.

Sponsa

Sponsa est : studéte ornátui. Oves sunt : inténdite pástui. Et hæc tria ad illam Dómini trinam sciscitatiónem fortè non incóngruè pertinére dicéntur.

℟. Inter natos. 459.

DIE XXIX. JUNII.

SS. *Apostolorum Petri & Pauli. Duplex majus.*

Ad Vesperas, Antiphona. Tu es Petrus. *cum reliquis de Laudibus. Psal.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica loco ultimi.* 145.

Psalmus. Laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. Act. 12.

PEtrus ad se revérsus dixit : Nunc Scio verè quia misit Dóminus Angelum suum ; & erípuit me de manu Heródis : & de omni expectatióne plebis Judæórum.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum.

℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat, Aña. Tu es Pastor óvium Princeps Apostolórum tibi tráditæ sunt claves regni cœlórum. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DEus qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri & Pauli martyrio consecrásti ; da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præcéptum : per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum nostrum.

Ad Processionem. ℟. 1. Quem dicunt. 470.

Ad ij. Magnificat, Antiph. Tu es Petrus. 474.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui Ecclésiam tuam Apóstoli tui Petri fide & nómine consecrásti; quique illi beátum Paulum ad prædicándam géntibus glóriam tuam sociáre dignátus es : concéde ; ut omnes qui ad Apostolórum tuórum solémnia convenérunt : spirituáli remuneratióne diténtur. Per Dóminum nostrum.

Ad Completorium, Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij.

Ad Matutinum.

In primo Nocturno. Invitatorium. Regem Apostolórum, &c. *Duplicatur. Antiphona.* In omnem terram. *cum aliis Antiphonis Psalmis & Versibus de Communi Apostolorum.* iv.

De Actibus Apostolórum.

Lectio

Lectio j. Cap. 3.

PEtrus & Joánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, bajulabátur; quem ponébant quotídie ad portam templi, quæ dícitur Speciósa: ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in templum. Is cùm vidísset Petrum & Joánnem incipiéntes introíre in templum: rogábat ut eleemósynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joánne, dixit: Réspice in nos. At ille intendébat in eos: sperans se áliquid acceptúrum ab eis.

℟. Quem dicunt hómines esse filium hóminis dixit Jesus discípulis suis: Respóndens Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei vivi: * Et ego dico tibi quia tu es Petrus & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. ℣. Beátus es Simon Petre quia caro & sanguis non revelávit tibi sed Pater meus qui est in cœlis. Et ego dico tibi.

Lectio ij.

PEtrus autem dixit. Argéntum & aurum non est mihi; quod autem hábeo hoc tibi do: In nómine Jesu Christi Nazaréni surge & ámbula. Et apprehénsa manu ejus déxtera; allevávit eum: & prótinùs consolidátæ sunt bases ejus & plantæ. Et exíliens stétit, & ambulábat; & intrávit cum illis in templum ámbulans, & exíliens: & laudans Deum. Et vidit omnis pópulus eum ambulántem, & laudántem Deum. Cognoscébant autem illum, quòd ipse erat; qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi: & impléti sunt stupóre & éxtasi, in eo quod contígerat illi.

℟. Tu es Petrus & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam & portæ ínferi non prævalébunt advérsùs eam: * Et tibi dabo claves regni cœlórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terrã erit ligátum & in cœlis & quodcúmque sólveris super terram erit solútum & in cœlis. Et tibi dabo.

Lectio iij.

CUm tenéret autem Petrum & Joánnem cucúrrit omnis pópulus ad eos:

eos: ad pórticum quæ appellátur Salomónis, stupéntes. Videns autem Petrus, respóndit ad pópulum. Viri Israëlítæ: quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini; quasi nostrâ virtúte aut potestáte fecérimus hunc ambuláre? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrórum glorificávit filium suum Jesum, quem vos quidem tradidístis; & negástis ante fáciem Piláti: judicánte illo dimítti. Vos autem sanctum & justum negástis, & petístis virum homicídam donári vobis; auctórem verò vitæ interfecístis, quē Deus suscitávit à mórtuis: cujus nos testes sumus. Et in fide nóminis ejus, hunc, quem vos vidístis & nostis, confirmávit nomen ejus; & fides quæ per eum est: dedit íntegram sanitátem istam in conspéctu ómnium vestrûm.

℟. Dómine si tu es, jube me veníre ad te super aquas: * Et exténdens manum apprehéndit eum & dicit Jesus: Módicæ fidei quare dubitásti? ℣. Videns verò ventum válidum tímuit & cùm cœpísset mergi clamávit dicens: Dómine salvum me fac. Et exténdens. Glória Patri. Et exténdens.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Leónis Papæ.

In Natali Apostolorum Petri & Pauli.

Lectio iv. Ser. 1.

Omnium quidem sanctárum solemnitátum, dilectíssimi, totus mundus est párticeps, & uníus fidei pietas éxigit; ut quidquid pro salúte universórum gestum recólitur commúnibus ubíque gáudiis celebrétur. Verúmtamen hodiérna festívitas, præter illam reveréntiam, quam toto terrárum orbe proméruit; speciáli & própria urbis Romæ exultatióne veneránda est: ut ubi præcipuórum Apostolórū glorificátus est éxitus: ibi in die martyrij eórum sit lætítiæ principátus. Isti enim sunt viri, per quos tibi Evangélium Christi Roma resplénduit; & quæ eras magístra erróris: facta es discípula veritátis.

℟. Ego pro te rogávi Petre, ut non defíciat fides tua: * Et tu aliquándo

convérsus confirma fratres tuos. ℣. Simon ecce Sátanas expetívit vos ut cribráret sicut tríticum ego autem rogávi pro te, ut non defíciat fides tua. Et tu aliquándo. *Lectio v.*

ISti sunt patres tui, veríque pastóres, qui te regnis cœléstibus inseréndam multò méliùs multóque felíciùs condidérunt; quàm illi quorum stúdio prima mœnium tuórum fundaménta locáta sunt: ex quibus is qui tibi nomen dedit, fratérna te cæde fœdávit. Isti sunt qui te ad hanc glóriã provexérunt: ut gens sancta, pópulus eléctus, Cívitas Sacerdotális & régia; per sacram beáti Petri sedem caput orbis efTécta, látius præsidéres religióne divína quàm dominatióne terréna. Quamvis enim multis aucta victóriis, jus impérij tui, terra maríque protúleris; minus tamen est quod tibi béllicus labor súbdidit: quàm quod pax Christiána subjécit.

℟. Si díligis me Simon Petre pasce oves meas, Dómine tu nosti quia amo te: * Et ánimam meam pono pro te. ℣. Si oportúerit me mori tecum non te negábo. Et ánimam.

Lectio vj.

DIspósito namque divínitus óperi máximè congruébat: ut multa regna uno confœderaréntur império; & citò pérvios habéret pópulos prædicátio generális: quos uníus tenéret régimen Civitátis. Hæc autem cívitas ignórans suæ provectiónis auctórem, cùm penè ómnibus dominarétur géntibus, ómnium géntium serviébat erróribus: & magnam sibi videbátur assumpsísse religiónem, quia nullam respuébat falsitátem. Unde quantum erat per Diábolum tenácius illigáta: tantum per Christum est mirabílius absolúta.

℟. Petre amas me? Tu scis Dómine quia amo te. Pasce oves meas. ℣. Simon Joánnis díligis me plus his? Tu scis Dómine. Glória Patri. Tu scis Dómine.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philippi

Philippi & interrogábat discípulos suos dicens. Quē dicunt hómines esse filium hóminis ? At illi dixérunt. Alij Joánnem Baptístam ; álij autem Eliam ; álij verò Jerémiam : aut unum ex prophétis. Dicit illis ; Vos autem quem me esse dícitis ? Respóndens Simon Petrus dixit : Tu es Christus filius Dei vivi. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósij Epíscopi.

De Evangelica Petri confessione.

CUm interrogásset Dóminus quid hómines de filio hóminis æstimárent ; cùm dicerétur vulgi senténtia : Petrus tacébat. Taces ergo Simon, & respondéntibus áliis adhuc taces ; cùm ipse sis primus qui étiam non interrogátus intérrogas ? nec times ne reprehendáris à Dómino qui non respóndes interrogánti ? Ideò, inquit, non respóndeo : quia non intérrogor meam, sed aliénam senténtiam. Legi enim, ut non loquátur os meum ópera hóminum. Opus autem perfidórum : perfidius prædicáre. Ego táceo adhuc ; quia nondum id quod séntio intérrogor : non próferam lábiis, quòd ánimus non probávit. Erit tempus quando respóndeam. Interrogábor quid séntiam : tunc demum respondébo quod meum est. Meum est enim fidem loqui ; pietátem assérere : grátiam prædicáre. ℟. Surge Petre & índue vestiménta tua : * Quia cecidérunt caténæ de mánibus tuis. ℣. Angelus Dómini ástitit & lumen refúlsit in habitáculo cárceris percussóque látere Petri excitávit eum dicens surge velóciter. Quia.

Lectio viij

UBi audívit Petrus, Vos autem quid me dícitis ? statim loci non ímmemor sui, primátum egit. Primátum cōfessiónis útique, non honóris : primátum fidei non órdinis. Hoc est dícere. Nunc nemo me vincat ; nunc meæ partes sunt, debes compensáre quòd tácui : debet prodésse quod sílui. Lingua mea non habet spinas : sine impediménto fides debet exíre. Dum álij cœnum, aliénæ licet, prolátæ tamen

impietátis

impietátis evácuant : qui aut Eliam, aut Jerémiam, aut unum ex prophétis Christum esse dixérunt. Hábuit enim ista vox cœnum, hábuit ista vox spinas; dum álij, inquam, in hoc lavant cœnum : dum in aliis enodántur spinæ, vox nostra Filiũ Dei Christum resúltet. Mihi purus est sermo : cui nullas spinas expréssa relíquit impíetas. Hic est ergo Petrus qui respóndit præ cæteris Apóstolis imò pro cæteris; & ideò fundaméntum dícitur : quia novit non solùm próprium, sed étiam commúne serváre.

℟. Sancti amábiles & decóri in vita sua : * In morte quoque non sunt divísi. ℣. Hi sunt qui per fidem vicérunt regna operáti sunt justítiam adépti sunt repromissiónes. In morte.

Lectio ix.

ADvérsùs omnes tamen generális ista est fides; quia Christus est Dei Fílius, & sempitérnus ex Patre : & natus ex Vírgine. Quem quasi gigántem sanctus David Prophéta descéndit : eò quòd bifórmis geminæque natúræ unus sit consors divinitátis & córporis; qui tamquam sponsus procédens de thálamo suo : exultávit tamquam gigas ad curréndam viam. Sponsus ánimæ secúndùm Verbum, gigas terræ, quia usus nostri offícia percúrrens; cùm Deus semper esset ætérnus, incarnatiónis Sacraménta suscépit, non divísus, sed unus : quia utrúmq; unus, & unus in utróque, hoc est, vel divinitáte, vel córpore. Non enim alter ex Patre; alter ex Vírgine : sed idem áliter ex Patre, áliter ex Vírgine. Generátio generatióni non præjúdicat; nec caro divinitáti : quia nec pignus Patri; nec volúntas passióni : nec pássio voluntáti.

℟. Isti sunt duæ olívæ candelábra lucéntia ante Dóminum : * Habent potestátem cláudere cœlum ne pluat & aperíre portas ejus quia linguæ eórum claves cœli factæ sunt. ℣. Isti duo Fílij splendóris qui assístunt dominatóri univérsæ terræ. Habent. *Hymnus.* Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Antiphona. Tu es Petrus

&

& super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. *Psalm.* Dñs regnávit. 20. *cum reliquis de Dominica.* *Añā.* Petrus & Joánnes ascendébant in Templum ad horam oratiónis nonam. *Añā.* Argéntum & aurum non est mihi, quod autem hábeo hoc tibi do. *Añā.* Misit Dóminus Angelum suum, & liberávit me de manu Heródis, allelúia. *Añā.* Dixit Angelus ad Petrum; Circúmda tibi vestiméntum tuum & séquere me.

Capitulum.

PEtrus ad se revérsus dixit: Nunc scio verè quia misit Dóminus Angelum suum; & erípuit me de manu Heródis: & de omni expectatióne plebis Judæórum.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Ad Benedictus, Antiph. Quodcúmque ligáveris super terram erit ligátum & in cœlis: & quodcúmque sólveris super terram erit solútum & in cœlis dixit Dóminus Simóni Petro. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DEus qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri & Pauli martyrio consecrásti; da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præcéptum: per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum nostrum.

Ad Processionem. ℟. Tu es Petrus. 470.

Ad ij. Benedictus, Añā. Ego pro te rogávi Petre ut non deficiat fides tua, & tu aliquándo convérsus confírma fratres tuos.

Orémus. *Oratio.*

FAmíliam tuam Dómine propítius intuére: & Apostólicis defénde præsídiis; ut eórum précibus gubernétur: quibus nítitur te constituénte Princípibus. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Capitulum. Petrus ad se *ut suprà.*

℟. In omnem terram. xvj.

Oratio. Deus qui hodiérnam *ut suprà.*

Ad Sextam, Capitulum.

PEtrus quidem servabátur in cárcere: orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

℟. Consti-

℟. Constítues eos. xvj.
Oratio. Famíliam tuam Dómine. 475.

Ad Nonam, Capitulum.

ANgelus Dómini ástitit & lumen refúlsit in habitáculo; percussóque látere Petri excitávit eum dicens, Surge velóciter: Et cecidérunt caténæ de mánibus ejus.

℟. Nimis honoráti sunt. xvij.

Oratio. Deus qui Ecclésiam tuam. 469.

Ad Vesperas, Antiphona. Tu es Petrus. *cum reliquis de Laudibus Psalmi ut in secundis Vesperis in Communi Apostolorum.* xvij.

Capitulum. Petrus ad se. *ut suprà.* 475.

℣. Príncipes populórum.
℟. Congregáti sunt cum Deo Abraham.

Ad Magnificat, Aña. Glorióſi príncipes terræ quómodo in vita sua dilexérunt se ita & in morte non sunt separáti. *Duplic.*

Orémus. *Oratio.*

DEus qui Apóstolo Petro collátis clávibus regni cœléstis ligándi atque solvéndi Pontifícium tradidísti: concéde, ut intercessiónis ejus auxílio à peccatórum nostrórum néxibus liberémur. Qui vivis, &c.

Ad Processionem. ℟. Qui operátus est Petro. 477.

Ad ij. Magnificat, Aña. Tu es vas electiónis sancte Paule Apóstole prædicátor veritátis in univérso mundo. ℣. Per quem omnes gentes cognovérunt grátiam Dei.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui multitúdinem Géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti: da nobis quæsumus; ut cujus natalítia cólimus: ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Ad Completorium, Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij.

DIE XXX. JUNII.

Celebritas S. Pauli Apostoli, Semid. Minus.

Ad Matutinum, Invit. Regem Apostolórum, &c. *Psalm.* Veníte.

In primo Nocturno.

Aña. Qui operátus est Petro in Apostolátu circumcisiónis operátus est & mihi inter gentes & cognovérunt grátiam quæ data est mihi à Christo Dómino.

℣. Qui

℣. Qui me segregávit ex útero matris meæ & vocávit per grátiam suam. *Psalm.* Cæli enárrant. *Et cæteri ut in Communi Apostolórum.* iv. *Aña.* Scio cui crédidi & certus sum quia potens est depósitum meũ serváre in illum diem justus judex. ℣. Certus sum enim quia neque mors, neque vita; póterit nos separáre à Charitáte Dei quæ est in Christo Jesu Dómino nostro. *Psal.* Benedícam Dóminum. *Aña.* Mihi vívere Christus est & mori lucrum, gloriári me opórtet in Cruce Dómini mei Jesu Christi. ℣. Per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. *Psalm.* Eructávit cor meum.

℣. Non sunt loquélæ, &c.

℟. Quorum non audiántur, &c.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 14.

QUidam vir lystris infirmus pédibus sedébat; claudus ex útero matris suæ: qui numquam ambuláverat. Hic audívit Paulum loquéntem. Qui intúitus eum; & videns quia fidem habéret ut salvus fieret: Dixit magnâ voce. Surge super pedes tuos rectus. Et exilívit, & ambulábat. Turbæ autem cùm vidíssent, quod fécerat Paulus; levavérunt vocem suam: Lycaónicè dicéntes. Dij símiles facti homínibus, descendérunt ad nos. Et vocábant Bárnabam Jovem; Paulum verò Mercúrium: quóniam ipse erat dux verbi. Sacérdos quoque Jovis, qui erat ante civitátem; tauros & corónas ante jánuas ásferens: cum pópulis volébat sacrificáre. Quod ubi audiérunt Apóstoli Bárnabas & Paulus, conscíssis túnicis suis: exiliérunt in turbas, clamántes.

℟. Qui operátus est Petro in Apostolátu operátus est & mihi inter gentes: * Et cognovérunt grátiam Dei quæ data est mihi. ℣. Bonum certámen certávi cursum consummávi fidem servávi. Et cognovérunt.

Lectio ij.

VIri quid hæc fácitis? & nos mortáles sumus, símiles vobis hómines annuntiántes vobis ab his vanis cõvérti ad Deum vivum; qui fecit cœlum,

&

& terram, & mare, & ómnia quæ in eis sunt: qui in prætéritis generatiónibus dimísit omnes gentes íngredi vias suas. Et quidem non sine testimónio semetípsum relíquit; benefáciens de cœlo, dans plúvias & témpora fructífera: implens cibo & lætítia corda nostra. Et hæc dicéntes: vix sedavérunt turbas ne sibi immolárent. Supervenérunt autem quidam ab Antiochía & Icónio Judæi; & persuásis turbis, lapidantésque Paulum, traxérunt extra civitátem: existimãtes eum mórtuũ esse. Circumdántibus autem eũ discípulis; surgens intrávit civitátem: & póstera die proféctus est cum Bárnaba in Derben. Cumque evangelizássent civitáti illi; & docuíssent multos: revérsi sunt lystram, & Icónium, & Antiochíam. Confirmántes ánimas discipulórum; exhortantésque ut permanérent in fide: & quóniam per multas tribulatiónes opórtet nos intráre in regnum Dei.

℟. Scio cui crédidi & certus sum quia potens est depósitum meum serváre: * In illum diem, justus júdex. ℣. Repósita est mihi coróna justítiæ quam reddet mihi Dóminus. In illum.

Lectio iij. Cap. 16.

QUædam múlier nómine Lydia, purpurária civitátis Thyatirenórum, colens Deum, audívit: cujus Dóminus apéruit cor inténdere his quæ dicebántur à Paulo. Cùm autem baptizáta esset, & domus ejus: deprecáta est dicens. Si judicástis me fidélem Dómino esse introíte in domum meam, & manéte. Et coégit nos. Factum est autem eúntibus nobis ad oratiónem; puéllam quamdam habéntem spíritum pythónem obviáre nobis: quæ quæstum magnum præstábat Dóminis suis divinándo. Hæc subsecúta Paulum, & nos, clamábat dicens. Isti hómines servi Dei excélsi sunt: qui annúntiant vobis viam salútis. Hoc autem faciébat multis diébus. Dolens autem Paulus, & convérsus, spirítui dixit; Præcípio tibi in nómine Jesu Christi exíre ab ea: & éxiit eádem horâ.

℟. Bonum certámen certávi cursum consummávi fidem servávi: * Ideóque repósita est mihi coróna justítiæ. ℣. Grátia Dei sum id quod sum & grátia ejus in me vácua non fuit. Ideóque. Glória Patri. Ideóque.

In secundo Nocturno.

Aña. Tu es vas electiónis sancte Paule Apóstole prædicátor veritátis in univérso mundo. ℣. Per quem omnes gentes cognovérunt grátiam Dei. *Psalm.* Omnes gentes. *Aña.* Saulus qui & Paulus magnus prædicátor à Deo confortátus convalescébat & confundébat Judæos ℣. Affirmans quia hic est filius Dei. *Psalm.* Exáudi Deus deprecationẽ. *Aña.* Ter virgis cæsus sum, semel lapidátus sum, ter naufrágium feci pro Christi nómine. ℣. Nocte & die in profúndo maris fui. *Psalm.* Exáudi Deus oratiónem.

℣. Cõstítues eos príncipes. &c. ℟. Mémores erũt. &c. x.

Sermo S. Joánnis Chrysóst.

De Laudidus S. Pauli

Lectio iv. Orat. 1.

UNde oportúnè sancti Pauli magni Apóstoli ducémus exórdium: sive enim prophétæ præstántiùs áliquid ac fortis ánimi in se ostendérunt sive Patriárchæ; sive justi; sive Apóstoli; sive Mártyres hæc ómnia simul cólligens Paulus cum tanto cúmulo habet: cum quanto nullus eórum bonum quo excellébat implévit. Hoc ítaque diligéntiùs intuére. Abel óbtulit sacrifícium & inde celebrátur; sed si Pauli hóstiam in médium addúcas: quantò cœlum terrâ supériùs, tantò hæc illo præstábit. Quam ergo vultis ut mémorem? non enim una tantùm est, síquidem semetípsum per dies síngulos immolábat; atque hanc rursus dúplicem hóstiam faciébat: qui tum moreréur quotídiè tum Christi mortificatiónem in córpore suo circumférret. Nam & advérsus perícula júgiter instrúctus erat: ac mactabátur volũtátis propósito, sicque natúram carnis mortificáverat; ut eâ parte à jugulátis hóstiis distáret: nihil quin & iis longè anteíret. Non enim boves offerébat ac oves: sed se ipse in dies síngulos dúplici

victima immolábat.
℟. Repósita est mihi coróna justítiæ quam reddet mihi Dóminus in illum diem : * Justus judex. ℣. Scio cui crédidi & certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. Justus judex.

Lectio v.

JOb univérsi stupent : ac sane quàm méritò. Magnus quippe ille athléta, ac qui ipsi Paulo exequári possit, ob patiéntiam ; ob vitæ puritátem ; ob Dei testimónium : ob fortíssimam illam pugnam. At si Pauli tot annis prodúcta vérbera ; contínuam famem ; nuditátem, caténas, cárcerem ; perícula, insídias ; à doméstícis, ab extráneis, à tyránnis, à toto postrémùm orbe, ex advérso posúeris : atque his longè acerbióra addíderis; nempè, quos hi qui labebántur, dolóres miseránti creábant : ómnium sollicitúdinem Ecclesiárum ; quod sic urebátur, quisquis demum offenderétur: vidébis horum patiéntem ánimum rupe velut durióirem, ferrúmque vincéntem, ac adamántem. Quæ ígitur Job córpore, hæc ánimo Paulus sustínuit ; quem omni verme moléstior inde concépta mœstítia exedébat : quòd fermè quotídiè quidam labeiréntur. Unde & juges ex eo lacrymárum fontes non diébus solùm, sed & nóctibus diffluébant ; omníque muliere eniténte in síngulis ipsis díriùs discruciabátur : propter quod & dicébat, Filíoli mei quos iterùm partúrio.
℟. Damásci præpósitus gentis Aréthæ regis vóluit me comprehéndere ; * A frátribus per murum submíssus sum in sporta & sic evási manus ejus in nómine Dómini. ℣. Deus & Pater Dómini nostri Iesu Christi scit qui est benedíctus in sæcula quod non méntior. A frátribus.

Lectio vj.

UNum súperest, ut cum Angelis jam Paulum componámus ; idcircò relíctâ terrâ : cœlórum axes conscendámus. Nec quisquam sermónem audáciæ notet. Si enim étiam Joánnem Scriptúra Angelum nuncupávit, nec non Sacerdótes ; quid mirum si Paulum

Paulum iis ómnibus præstantiórem cum cœléstis illis Virtútibus conferámus? Quid ergo in Angelis magníficum censémus, ac præcípuum? Qui facit Angelos suos spíritus: & minístros suos ignem uréntem. Sed hoc étiam in Paulo vidére licet; velut enim spíritus ac ignis totum orbem percúrrit: ac terram expurgávit. Sed necdum cœlum sortítus erat? Hoc verò omnínò mirábile; talem scílicet extitísse cùm adhuc in terrâ versarétur, ac mortáli circúmdatum córpore: cum incorpóreis illis Virtútibus certásse. Quâ ergo non simus condemnatióne digni, cum uno hómine cuncta in se bona compléxo: ne mínimam quidem eórum partem studémus imitári? Hæc assíduè mente volvéntes, tum nos ipsos crímine liberémus; tum ad illíus zelum enitámur: ut ad éadem bona perveníre valeámus.

℟. Constítues eos príncipes super omnem terram mémores erunt nóminis tui Dómine: * In omni progénie & generatióne. ℣. Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in ætérnum & in sæculum sæculi. In omni. Glória Patri. In omni.

In tertio Nocturno, Antiphona. Ne magnitúdo revelatiónum extóllat me: datus est mihi stímulus Angelus Sátanæ qui me colaphízet: propter quod ter Dóminum rogávi ut auferrétur à me; & dixit mihi Dóminus; Sufficit tibi Paule grátia mea. ℣. Nam virtus in infirmitáte perfícitur.

Psalmus. Confitébimur.

Antiphona Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. ℣. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ.

Psalmus. Dóminus regnávit exúltet.

Antiphona. Repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illum diem justus judex. ℣. Non solùm autem mihi: sed & his quis díligunt advéntum ejus.

Psalm. Dóminus regnávit irascántur.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei.

℟. Et facta ejus intellexérũt.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore: dixit Simon Petrus ad Jesum. Ecce nos relíquimus ómnia: & secúti sumus te. Quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis. Amen dico vobis; quòd vos qui secúti estis me in regeneratióne, cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ: sedébitis & vos super sedes duódecim judicántes duódecim tribus Israël. Et réliqua.

Homília S. Procli Epíscopi.

REcole Pauli certámina: & de corónis & retributióne non obstupésces. Romános per Epístolā instrúxit, Corínthios per crucē attráxit; Gálatas increpādo convértit, Ephesiórum Diánam prostrávit: Atheniénses, per aram in rétia velut conjécit, cepítque: Philíppis, cárceris custódem lucrifécit, Anthiochíæ, acrem conciónem hábuit; Lystris, claudo pedes restítuit, ac verbo dedit; Tróade, Eútychum ad vitam revocávit, in ínsulâ de víperâ triumphávit: Magum in Cypro excæcávit, Jerosólymis Crucis causam egit. Stádium nactus, non défuit ei cursus. Effúsè ei úndique fontis instar perícula erumpébant. Perícula flúminum: nec congéstum virtútum cúmulum distraxérunt. Perícula latrónum: nec fidei thesáurum diripuérunt. Perícula ex génere; terréstris tamen ipse, ac si cœléstis foret: obfirmáto perstat ánimo. Perícula ex Géntibus: sed nihil Evangélicum murum dissipárunt.

℟. Isti sunt duo viri misericórdiæ: * Qui assístunt ante Dóminum dominatórem univérsæ terræ. ℣. Isti sunt duæ olívæ & duo candelábra lucéntia. Qui assístunt.

Lectio viij.

PErícula in civitáte: sed orbis victórem non supplantárunt. Perícula in solitúdine; at theátrum Evangélicum: victóriæ triúmphum spectávit. Perícula in mari: haud tamen patiéntiæ scapham in profúndum merséerunt. Perícula in falsis frátribus: verùm è Judæis Angelos recépit. Défuit revérâ diábolo tentándi ars: sed Paulum coróna non defécit. Admirémur ítaque ómnia

Pauli

Pauli membra ac dicámus: O caput virtútum arcem; O óculos sanctíssimæ Trinitátis speculatóres: O linguam Theológiæ tonítruum. O stígmata lucidióra astris; O manûs membrórum compositríces: O pedes Evangélici cursûs metas. O verba ánimis medéntia, O Epístolas salútis sagénas: O pectus solicitúdinum pélagus. O sudóres Ecclésiam irrigántes; O hóminem fidei colúmnam: O thesáurum, mundum locupletántem. O médicum, errórem ipsum manu suá resecántem: O mórtuum numquam moriéntem. O Apóstolum in sepúlchro conticescéntem; ac è cœlo clamántem: Mihi vívere Christus est, & mori lucrum

℟. Sancti amábiles & decóri in vita sua: * In morte quoque non sunt divísi. ℣. Hi sunt qui per fidem vicérunt regna operáti sunt justítiam adépti sunt repromissiónes. In morte quoque.

Ex libro sancti Gregórij Turonénsis Epíscopi.

De gloria Confessorum. cap. 27. & 28.

Lectio ix.

SAnctus Martiális Epíscopus à Románis missus Epíscopis; in urbe Lemovicína prædicáre exórsus est: eversísque simulacrórum rítibus, repléta jam credulitáte Dei urbe, migrávit à sæculo. Erant tunc témporis cum eo duo presbyteri quos secũ ab oriénte addúxit in Gálliam; verùm ubi compléti sunt dies eórum ut & ipsi vocaréntur de hoc sæculo: conjúnctis Sarcóphagis in eadem cripta in quâ Sanctus Epíscopus, sunt sepúlti. Puélla quædam cui néscio quo existénte peccáto, manus una diríguit; ac dígiti palmæ defíxi erant ad ejus sepúlchrum advénit: confísa de virtúte confessóris, quòd posset ejus intercéssio manum áridam absólvere cujus prædicátio pópulum vanis superstitiónum rítib⁹ inténtum absólvit. Celebrátis ergo vigíliis in ipsa nocte festivitátis; dum atténtè juxta sepúlchrum orat: manum suam diréctis dígitis pópulo teste sanátã mirátur adtónita.

℟. Coróna áurea super caput ejus expréssa signo

ſanctitátis glória honóris: * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eũ in benedictiónibus dulcédinis posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et opus.

Ad Laudes, Antiphona. Ego plantávi appollo rigávit Deus autem increméntum dedit allelúia.

Psalmus. Dóminus regnávit. *cum reliq. de Dominica.* 2c. ℣. Unusquísque própriam mercédem accípiet secúndùm suum labórem. *Aña.* Libénter gloriábor in infirmitátibus meis ut inhábitet in me virtus Christi. ℣. Quando enim infírmor tunc fórtior sum & potens. *Aña.* Sancte Paule Apóstole prædicátor veritátis & Doctor Géntium intercéde pro nobis ad Deum qui te elégit. ℣. Ut digni efficiámur grátia Dei. *Aña.* Grátia Dei in me vácua non fuit sed grátia ejus semper in me manet. ℣. Grátia Dei sum id quod sum. *Aña.* Damásci præpósitus gentis Aréthæ regis vóluit me comprehéndere à frátribus per murum submíssus sum in sporta & sic evási manus ejus in nómine Dómini. ℣. Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi scit qui est benedíctus in sæcula quòd non méntior.

Capitulum. 1. Tim. 4.

EGo jam delíbor & tempus resolutiónis meæ instat, bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi; in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ : quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex.

℣. Nimis honoráti sũt. &c. ℟. Nimis cõfortátus est. &c

Ad Benedictus, Antiph. Vos qui secúti estis me sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israël dicit Dóminus. ℣. Cùm séderit filius hóminis in sede majestátis suæ.

Oratio. Deus qui multitúdinem. 476.

Processio ℟. ij. Scio cui crédidi. 478.

Ad ij. Benedictus, Aña. Sancte Paule Apóstole. *ut suprà.*

Orémus. *Oratio.*

VOtivam Dómine Doctóris géntium solemnitátem celebrámus; quæsumus, ut ejus non desit orátio

orátio: cujus nos donásti Patrocínio gubernári. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Capitulum. Ego jam delíbor. *ut suprà.*

℟. In omnem terram. *ut in Communi Apostolorum.*

Ad sextam, Capitulum.

SCio hóminem in Christo ante annos quatuórdecim, sive in córpore néscio sive extra corpus nescio, Deus scit: raptum hujúsmodi usque ad tértium cœlum; & scio hujusmodi hóminem sive in córpore sive extra corpus néscio, Deus scit, quóniam raptus est in Paradísum: & audívit arcána verba quæ non licet hómini loqui.

℟. Constítues eos príncipes. *ut infrà in Communi Apostolorum.*

Oratio. Votívam. *ut suprà.*

Ad Nonam, Capitulum.

NE magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ ángelus sátanæ qui me colaphízet; propter quod ter Dóminum rogávi ut discéderet à me: & dixit mihi: Súfficit tibi grátia mea.

℟. Nimis honoráti sunt. *& in Communi Apostolorum*

Orémus. *Oratio.*

DOmine Jesu qui beáto Paulo exímium tui sancti nóminis amórem infudísti; ut vas electiónis mirábile nomen illud portáret coram géntibus: ejus quæsumus totíus orbis Apóstoli intercessióne: Spíritum nobis quo plenus fuit tuæ dilectiónis infúnde. Qui vivis & regnas... in unitáte ejúsdem.

Vesperæ de sequenti.

FESTA JULII.

DIE I. JULII.

Octava Nativitatis sancti Ioannis Baptistæ. Semiduplex majus.

Omnia ut in die festi. Nihil duplicatur. Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Capitulum, Versus, Antiphona ad Magnificat, Oratio, duæ Processiones ut in primis Vesperis festi.

Ad Completor. Hymnus. Ut queant laxis. *cum quatuor primis versibus & ultimo sive clausula.* 446.

Ad Matutinum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustini Epíscopi.

Serm. 5. Suplementi in natali S. Ioan. Bapt.

Lectio iv.

SAncti Joánnis cujus Nativitátem cùm Evãgélium legerétur mirántes audívimus, solemnitátem hódie celebrámus. Quanta est glória júdicis si tanta est præcónis? Qualis est ventúrus via; Si talis est qui præparat viam? Nativitátem Joánnis quodámmodo consecrátam obsérvat Ecclésia; nec invenítur ullus in Pátribus cujus nativitátem solémnitèr celebrémus; celebrámus Joánnis, celebrámus & Christi; hoc vacáre non potest, & si fortè à nobis pro tantæ rei dignitáte minùs explicátur, fructuósiùs tamen & áltiùs cogitátur. Náscitur Joánnes de anícula stérili, náscitur Christus de juvéncula Vírgine. Joánnem parit sterílitas, Christum intégritas. In nativitáte Joánnis ætas cóngrua non erat parentális; in Nativitáte Christi compléxus non éxtitit maritális, ille Angelo prædicánte nuntiátur, iste Angelo nuntiánte concípitur.

℟. Ipse præcédet ante illum. 453.

Lectio v.

NOn créditur Joánnes nascitúrus; & fit pater mutus: créditur Christus, & fide concípitur. Fit prius advéntus fidei in cor Vírginis, & séquitur fœcúnditas in útero matris. Et tamen propè éadem verba sunt Zacháriæ dicéntis cùm Angelus Joánnem nuntiáret; Per quid cognóscam hoc? Ego enim sum senex, & uxor mea jam procéssit in diébus suis. Et Maríæ sanctæ Angelo nuntiánte partum ejus futúrum; Quómodo fiet istud? quóniam virum non cognósco. Penè éadem verba. Illi dícitur; Ecce erit tacens, nec potens loqui, quoúsque fiant hæc, propter quod non credidísti verbis meis quæ adimplebúntur témpore suo. Illi autem; Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obumbrábit tibi, proptéreà quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei.

℟. Innuébant patri ejus. 454.

Lectio vj.

ILle corrípitur: illa instrúitur. Illi dícitur, Quia non credidísti; illi dícitur: Accipe quod quæsísti. Propémodum éadem verba sunt, Per quid cognóscam hoc: &, Quómodo fiet istud? sed eum, qui verba audiébat, & cor vidébat: non latébat. In utriúsque verbis cogitátio latébat; sed hómines, non Angelum latébat: Imò non latébat eum qui loquebátur per Angelum. Postrémò náscitur Joánnes dum jam Lux minúitur & nox íncipit créscere; náscitur Christus, dum nox áccipit detriméntum & dies augméntum: & tanquam hoc signum Nativitátis ambórum Joánnes ipse respíciens dicit.

℟. Præcúrsor Dómini venit. *ut suprà.* 455.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

ELizabet implétum est tempus pariéndi, & péperit filium; & audiérunt vicíni & cognáti ejus, quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa: & congratulabántur ei. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósij Epíscopi.

Lib. 2. Expositionis Evangelij secundum Lucam.

BEnè ádditur quia nemo in cognatióne ejus vocabátur hoc nómine: ut intélligas nomen non géneris esse sed vatis. Zacharias quoque nutu interrogátur; sed quia incredúlitas ei affátum eripúerat & audítum: quod voce non póterat, manu & lítteris est loquútus. Scripsit autem: Joánnes est nomen ejus. Et hic nomen non impónitur, sed astrúitur; meritóque contínuò resolúta est lingua ejus: quia quam vínxerat incredúlitas, fides solvit. Credámus & nos igitur ut loquámur; ut lingua nostra quæ incredulitátis vínculis est ligáta: ratiónis voce solvátur. Scribámus spíritu mystéria, si vólumus loqui; scribámus prænúntiũ Christi, non in tábulis lapídeis, sed in tábulis cordis carnálibus: étenim qui Joánnem lóquitur, Christum prophétat.

℟. Fuit homo missus à Deo. 458.

Lectio vij.

ET Zachárias pater ejus implétus est Spíritu sancto & prophetábat dicens: Benedíctus Dóminus Deus Israël. Vide quàm bonus Deus, & fácilis indulgére peccátis. Non solùm abláta restítuit: sed étiam insperáta concédit. Ille dudum mutus, prophétat. Hæc enim grátia Dei máxima quòd eum qui negáverat confitétur. Nemo ergo diffidat; nemo véterum cónscius delictórum præmia divína désperet: novit Dóminus mutáre senténtiam, si tu nóveris emendáre delíctum. Et tu puer Prophéta Altíssimi vocáberis. Pulchrè cùm de Dómino prophetáret, ad Prophétam sua verba convértit; ut hoc quoque benefícium esse Dómini designáret: ne cùm públicè enumeráret sua, quasi ingrátus tacuísse viderétur, quæ agnoscébat in filio.

℟. Hic Præcúrsor diréctus. 458.

Lectio ix.

DOmitiánus Romæ paréntibus Cathólicis natus; annum agens décimum quintum iis orbátus est: pater ejus ab Ariánis in ódium ávitæ fidei cæsus próditur. Ab eórum fúnere de vitæ suæ ratióne cum Deo íniens consílium; servos libertáte donávit: & facultátes amplas divéndidit, prætium érogans in páuperes. Navi pósteà Massíliam pervéctus, ibi cum Salviáno erudítíssimo Presbytero hæsit aliquándiu; mox Lerínum ínsulam ádiit, ubi virórum sanctissimórum consuetúdine anno íntegro pósitus est: demum de subeúnda erémo cogitávit, ádito priùs celebérrimo iis tempóribus ubíque Lugdunénsi Antístite sancto Euchério, in loco qui Vallis Vebróna nuncupátur, ad Lugdunensis agri fines sito sedem fixit; cui post plúrimos annos índitum est nomen sancti Ragnebérti: ob depositiónem córporis ejúsdem ibídem martyrio coronáti. Inibi discipulórum cœtu congregáto; victûs asperitáte oratiónis perpétuæ fragrántiâ: magnâ miraculórum præsértim in subigéndis dæmónibus glóriâ

riâ splendens. Tandémque magnis virtútibus clarus in senectúte bona colléctus est ad Patres.

℟. Inter natos mulíerum. *ut suprà.* 459.

Ad Laudes & Horas ut in die festi, Vespera de sequenti.

DIE II. JULII.

Visitationis beatæ Mariæ Virginis. Duplex minus.

Ad Vesperas Aña. Ut vox Maríæ. 496. *cum reliquis de Laudibus. Psalmi de B. Maria, ut in ejus Officio parvo.* clxxxiij.

Capitulum. Eccl. 24.

EGo quasi Terebínthus exténdi ramos meos, & rami mei honóris & grátiæ; ego quasi vítis fructificávi suavitátem odóris: & flores mei, fructus honóris & honestátis.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes.

℟. Quia fecit mihi magna quia potens est.

Ad Magnificat, Antiph. Hódiè Joánnes Spíritu sancto replétus, Dóminum, quem verbis laudáre non pótuit, córporis obséquio recognóvit: beáta Elízabeth quam Mater Dómini visitávit, ut Joánnes in útero suo Spíritum sanctificatiónis accípiens, Præcursóris officium incoháret. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DEus cujus Unigénitus útero adhuc Vírginis clausus, Joánnem Baptístam María salutánte Spíritu sancto priúsquam nascerétur, implévit: da Ecclésiæ tuæ; ut quos spirituáli regeneratióne concépit: purificátos sibi fílios páriat adoptiónis. Per eúmdem... ejúsdem.

Processio ad S. Mariam.

℟. Ut audívit Elízabeth salutatiónem Maríæ, exultávit infans in útero ejus. Et áudiens verba Dómini, per os Vírginis personántis, in occúrsum ejus gestívit erúmpere.

Ad ij Magnificat, Aña. Replétus Spíritu sancto Joánnes nondum seípsum séntiens, Vírginis matris præsénsit advéntum.

Orémus. *Oratio.*

VOta nostra reddéntes Dómine te supplíciter deprecámur: ut Ecclésia tua Visitatiónis mystéria récolens; Visitántis & Visitátæ méritis subleváta: ab

instántibus malis & perículis eruátur. Per Dñm.

Ad Completor. Hymnus. Ave maris stella. clxxvj.

Ad Matutinum Invitat. Hódiè beátus Joánnes útero matris inclúsus, Christi evangelizábat advéntum: Veníte adorémus Dóminum. *Psalm.* Veníte. *Duplicatur.*

In primo Nocturno.

Aña. Replétus Spíritu sancto Joánnes nondum seípsum séntiens, Vírginis Matris præsénsit advéntum. *Ps.* Dómine Dñs noster. clxxxviij. *Aña.* Adveniénte quæ Christum gestábat in útero, Joánnes exíliens in occúrsum ejus gestívit erúmpere. *Ps.* Consérva me Dómine clxxxix. *Aña.* In ipso salutatiónis occúrsu infãs in útero virtútẽ veniéntis expértus gáudio & exultatióne replétur. *Psal.* Dñi est terra. clxxxix.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde próspere, procéde & regna.

De Cánticis Canticórum. *Cap.* 2.

Lectio j.

EGo flos campi & lílium convállium. Sicut lílium inter spinas: sic amíca mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvárum: sic diléctus meus inter filios. Sub umbra illíus quem desideráveram, sedi: & fructus ejus dúlcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. Fulcíte me flóribus; stipáte me malis: quia amóre lãgueo. Læva ejus sub cápite meo: & déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos filiæ Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum; ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam: quoadúsque ipsa velit.

℟. Ut audívit Elízabeth salutatiónem Maríæ exultávit infans in útero ejus: * Et áudiens verba Dómini per os Vírginis personántis in occúrsum ejus gestívit erúmpere. ℣. Vadam & vidébo visiónem hanc magnam quare rubus non comburátur & árdeat. Et áudiens.

Lectio ij.

VOx dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles; símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque Cervórum; en ipse stat

post

post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras: prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi. Surge, própera amíca mea; colúmba mea; formósa mea: & veni. Jam enim hiems tránsiit: imber ábiit & recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra; tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terrâ nostrâ. Ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum.

℟. In ipso salutatiónis occúrsu infans in útero gáudio & exultatióne replétur: * Et Elízabeth voce magnâ clamávit: Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? ℣. Tu glória Jerúsalem, & lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri. Et Elízabeth.

Lectio iij.

SUrge amíca mea, speciósa mea, & veni; colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ osténde mihi fáciem tuam; sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis & fácies tua decóra. Cápite nobis vulpes párvulas; quæ demoliúntur víneas: nam vínea nostra flóruit. Diléctus meus mihi, & ego illi; qui páscitur inter lília: donec aspíret dies & inclinéntur umbræ. Revértere; símilis esto diléćte mi, Cápreæ: hinnulóque Cervórum super montes Bethel.

℟. Unde hoc mihi ut véniat Mater Dómini mei ad me? * Quæ dum me verbo salútat virtúte sanctíficat. ℣. Quæ est ista quæ ascéndit quasi auróra consúrgens, pulchra ut Luna, elécta ut Sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Quæ dum. Glória Patri. Quæ dum.

In secundo Nocturno.

Antiphona. Ut salutántis vox salutátæ pulsávit audítũ: Spíritus latens ventris interióra penetrávit. *Psal.* Eructávit cor. cxc. *Aña.* Reclúsus ventre miles cognóvit Regem suum, & in útero paréntis exíliens Dómini prophetávit advéntum. *Ps.* Deus nostrũ refúgiũ. cxcj. *Aña.* Quia verbis salutántem se resalutáre non pótuit, spíritu exultánte recognóvit. *Psal.* Magnus Dñs, &c. cxcij. ℣. Ad

juvábit eam Deus. &c.
℟.Deus in médio ejus.&c.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. I. *in hac verba Apocalip. sign. magn. appar. in Cælo.*

Lectio iv.

SI Maríam dilígitis; si conténditis ei placére: æmulámini modéstiã ejus. Nihil enim tam idóneum hómini; nihil tam cóngruum Christiáno: maximéque cléricum nihil ádeò decet. Nec in sola Maríæ taciturnitáte commendátur humílitas: sed evidéntiùs résonat in sermóne. Audíerat: Quod ex te nascétur sanctum vocábitur Fílius Dei: & nihil áliud quàm ancíllam ejus se esse respóndit Inde ventum est ad Elízabeth, & contínuò Vírginis glória singuláris eídem per Spíritum revelátur: dénique & mirabátur persónam veniéntis, dicens. Unde hoc mihi ut véniat Mater Dómini mei ad me? commendábat & vocem salutántis adjíciens. Ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis; exultávit in gáudio infans in útero meo: & beatificábat fidem credéntis. Beáta, ínquiens, quæ credidísti: quóniam perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi à Dómino.

℟. Fœlix Maríæ vox: * Quæ dum córporis tétigit aures intus Spíritum sanctificatiónis immísit.
℣. Sonet vox tua in áuribus meis vox enim tua dulcis. Quæ dum córporis.

Lectio v.

MAgna quidem præcónia; sed & devóta humílitas nihil sibi passa retinére in eum magis univérsa refúdit: cujus in se beneficia laudabántur. Tu, inquit, magníficas Matrem Dómini: sed magníficat ánima mea Dóminum. In voce meâ fílium pérhibes exultâsse in gáudio: sed exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Et ipsa quoque tamquam amícus sponsi gáudio gaudet ad vocem sponsi; beátam esse dicis quæ credidísset, sed credulitátis & beatitúdinis causa respéctus est supérnæ pietátis; ut ex hoc magis beátam me dicant omnes generatiónes: quia ancíllam húmilem & exíguam respéxit Deus.

℟. Acútiùs

℟. Acútius matre Joánnes audívit & vidit: * Et quem verbis salutáre non pótuit Prophético gáudio recognóvit. ℣. Insinuávit illi grátia quæ natúra nequívit attíngere. Et quem verbis.

Lectio vj.

VVerúmtamen, numquid putámus, fratres, Elízabet sanctā in eo quod per spíritum útique loquebátur, errásse? Absit. Beáta plane quàm respéxit Deus? & beáta quæ crédidit. Hic enim magnus divínæ respectiónis éxtitit fructus. Ineffábili síquidem artificio Spíritus sanctus supervéniens tantæ humilitáti magnanímitas? tanta in secretário virgínei cordis accéssit; ut quemádmodum de integritáte & fœcunditáte prædíximus, hæ quoque nihilóminus fiant stellæ ex respéctu mútuo clarióres? quòd vidélicet nec humílitas tanta mínuit magnanimitátem, nec magnanímitas tanta humilitátem. Sed cùm in suâ æstimatióne tam húmilis esset, nihilóminus & in promissiónis credulitáte magna nimis; ut quæ nihil áliud quàm exíguam se reputábat ancíllam ad incomprehensíbile hoc mystérium, ad admirábile commércium, ad inscrutábile sacraméntum; nullátenus se dubitáret eléctam? & veram Dei & hóminis Genitrícem créderet mox futúram. Agit hoc nimírum in córdibus electórum grátiæ prærogatíva divínæ; ut eos nec humílitas pusillánimes fáciat? nec magnanímitas arrogántes.

℟. Reclúsus ventre miles cognóvit regem suum: * Et in útero paréntis exiliens Dómini Evangelizávit advéntum. ℣. Vix enim erat illi spíritus vitæ jam inerat Spíritus grátiæ. Et in útero. Glória Patri. Et in útero.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Elízabeth autem repléta Spíritu sancto miráculum séntiens, mystérium recognóscens magnâ voce clamávit. *Psal.* Fundaménta. cxciij. *Aña.* Benedícta tu inter mulíeres & benedíctus fructus ventris tui. *Psal.* Dóminus regnávit. cxciij. *Aña.* Sub umbra illíus quem desiderábā sedi & fructus ejus dulcis gútturi

gútturi meo. *Psal.* Cantáte Dño Cánticum. cxciv.
℣. Elégit eam Deus & præelégit eam. ℟. Et in tabernáculis suis habitáre eam facit.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo témpore : Exúrgens María in diébus illis ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Judá: & intrávit in domo Zacháriæ, & salutávit Elízabet. Et factum est ut audívit salutatiónem Maríæ Elízabeth exultávit infans in útero ejus: & repléta est Spíritu sancto. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósij Epíscopi.

Lib. 2. exposit. Evangel. secundum Lucam.

MOrale est ómnibus; ut qui fidem éxigunt: fidem ádstruant. Et ídeò Angelus, cùm abscóndita nuntiáret; ut fides astruerétur exémplo senióris fœminæ sterilísque concéptum Vírgini Maríæ nuntiávit: ut posśíbile Deo omne quod ei placúerit asséreret. Ubi audívit hoc María, non quasi incrédula de oráculo, nec quasi incérta de núntio; nec quasi dúbitans de exémplo: sed quasi læta pro voto; religiósa pro officio; festína præ gáudio: in montána perréxit. Quò enim jam Deo plena; nisi ad superióra cum festinatióne conténderet? nescit tarda molimina sancti Spíritûs grátia.

℟. Dúplici miráculo licet honóre divérso prophétant Matres spíritu parvulórum: * Et alter grátiam infúdit in álterum alter infúsam ab útero recognóvit. ℣. Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos. Et alter.

Lectio viij.

DIscite & vos sanctæ mulieres sedulitátem: quam prægnántibus debeátis exhibere cognátis. Maríam, quæ ante sola in íntimis penetrálibus versabátur; non à público Virginitátis pudor; non ab stúdio aspéritas móntium: non ab Officio prolíxitas itíneris retardávit. In montána Virgo cum festinatióne: Virgo officij memor, injúriæ ímmemor: affectu urgénte non sexu; relictâ

relictâ perréxit domo. Díscite Vírgines non circumcursáre per aliénas ædes; non demorári in platéis: non áliquos in público miscére sermónes. María in domo sera; festína in público: mansit apud cognátam suam tribus ménsibus. Etenim quæ propter Officium vénerat: inhærébat officio. Mansit ergo ménsibus tribus; non quod domus eam delectáret aliéna: sed quia frequéntiùs vidéri in público displicébat.

℟. Véteri sub lege órdinem suum non pótuit serváre natúra, * Quóniam per novam divinitátis grátiam novum salúti ómnium mystérium parabátur. ℣. Ultra legem nascéntium Baptísta Dómini nativitátem suam gáudio & exultatióne prævénit. Quóniam per novam.

Sermo sancti Gregórij Papæ.

Serm. 32. in Evang. habit. in Basilic. SS. Process. & Martiniani.

Lectio ix.

AD sanctórum Mártyrum córpora consístimus, fratres mei; numquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certíssimè constitísset esse vitam pro quâ mori debuíssent? ecce qui ita credidérunt miráculis corúscant; ad extíncta namque eórum córpora vivéntes ægri véniunt & sanántur. Perjúri véniunt & à dæmónio vexántur. Dæmóniaci véniunt & liberántur. Quómodò ergo vivunt illic, ubi vivunt; si in tot miráculis vivunt hîc, ubi mórtui sunt? adsunt defensóres nostri sanctíssimi Mártyres; rogári volunt: atque, ut ita díxerim, quærunt, ut quærántur. Hos ergo adjutóres vestris oratiónibus quærite; hos protectóres vestri reátûs inveníte; quia ne puníre peccatóres débeat rogári vult & ipse qui júdicat. Unde étiam longo témpore comminátur iram: & tamen misericórdiam expéctat; Sic autem nos & misericórdia ejus refóveat, ut nullo modo negligéntes reddat; sic peccáta nostra pertúrbent, ut mens in desperatiónem non próruat; quia & si præsuméntes metúimus & metuéntes

tes sperámus ⸗ ætérnum regnum cítiùs adeptúri sumus.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna quia potens est & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus in progénie & progénies timéntibus eum. Quia fecit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes, Antiphona.

Ut vox Maríæ Elízabeth pulsávit audítum, ultra legem nascéntium Baptísta Dómini nativitátem suam gáudio & exultatióne prævénit. *Psal.* Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.* 20.

Aña. Nativitátem prophetándo prævénit, præséntiâ Dómini sanctificátus ántequam natus.

Aña. Nondum sénserat spíritum vitæ; & loquénte María datus est illi Spíritus grátiæ.

Aña. Insinuávit illi grátia quæ natúra nequívit attíngere; & laténtem in útero regem paréntis evangelizávit elóquio.

Aña. Ex secréto maternórum víscerum duo párvuli totíus mundi gáudia futúra prælúdunt.

Capitulum.

EGo quasi terebínthus exténdi ramos meos, & rami mei honóris & grátiæ; ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris ⸗ & flores mei fructus honóris & honestátis.

℣. Audívit & lætáta est Sion.

℟. Et exultavérunt filiæ Judæ.

Ad Benedictus. Aña.

Surge, própera amíca mea colúmba mea, formósa mea, & veni, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis; quæ dum aures córporis mei tétigit: laténti intra víscera púero Spíritum sanctificatiónis infúdit. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

VOta nostra reddéntes Dómine te supplíciter deprecámur ⸗ ut Ecclésia tua Visitatiónis mystéria récolens; visitántis & visitátæ méritis subleváta ⸗ ab instántibus malis & perículis eruátur. Per Dóminum.

Ad Processionem. ℟. iv. Fœlix Maríæ vox. 492.

Ad Benedictus, Aña. Elízabeth autem repléta. 493.

Oratio.

Oratio. Vota nostra reddéntes Dómine. *ut suprà.*

Ad Tertiam, Capitulum. Ego quasi terebínthus. *ut suprà.*

℞. Spécie tua, &c. ℣. Inténde prósperè. clxxvij.

Oratio. Deus cujus unigénitus. 489.

Ad Sextam, Capitulum.

IN me omnis spes vitæ & virtútis; in me omnis grátia viæ & veritátis; transíte ad me omnes qui concupíscitis me: & à generatiónibus meis impleminí.

℞. Adjuvábit eam Deus.
℣. Deus in médio. clxxvij.

Oratio. Vota nostra reddéntes Dómine. *ut suprà.*

Ad Nonam, Capitulum.

SPíritus enim meus super mel dulcis; & hæreditas mea super mel & favum: memória mea in generatióne sæculórum.

℞. Diffúsa est grátia.
℣. Proptérea benedíxit. clxxviij.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus qui nos solemnitáte Visitatiónis sanctíssimæ Vírginis Maríæ lætificáre dignáris: præsta quæsumus; ut per ejúsdem Vírginis tam poténtem intercessiónem: à tuæ contínuæ visitatiónis grátiâ nullátenùs excidámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas, Antiph. Ut vox Maríæ. *cum reliquis de Laudibus. Psalmi de beata Maria, ut in ejus parvo Officio.* clxxxiij.

Capitulum. Ego quasi terebínthus. *ut suprà.* 496.

℣. Spécie tua, &c. ℞. Inténde prosperè. &c.

Ad Magnificat, Aña. Beáta stérilis quæ præcursórem Dómini sénio ingravescénte concépit; beátior Virgo quæ Deum atque hóminem génuit: útraque miráculum sentit, mystérium recognóscit: sed Elízabeth suum vertit in præcónia visitántis: María utrúmque refert in glóriam Conditóris. *Duplic.*

Oratio. Deus cujus unigénitus. *ut suprà.* 489.

Ad Processionem. ℞. ix. Beátam me dicent. *ut sup.*

Ad ij. Magnificat, Aña. Benedícta tu inter mulíeres. *ut suprà.* 493.

Oratio. Vota nostra reddéntes Dómine 496.

Ad Completorium. Hymn. Ave maris stella. clxxvj.

DIE

DIE III. JULII.

Quinta die infra Octavam SS. Apostolorum Petri & Pauli. iij. Lectionum.

Infra Octavam SS. Apostolorum Petri & Pauli, Officium fit de Communi Apostolorum modo quo notatur in eodem Communi pro Octavis.

Invitatorium. Regem Apostolórum Dóminum, Veníte adorémus. *Psalm.* Veníte exultémus. *Novem Antiphonæ & novem Psalmi, de eodem Communi Apostolorum.* ℣. Non sunt loquélæ neque sermónes, &c. vij.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. j. Tóllite jugum. vij.

℟. ij. Ecce ego mitto. viij.

Sermo S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

In Natali Apostolorum Petri & Pauli. Lectio iij.

Elécti duo præcípui ad duórum populórum salútem, Petrus ad Judæórum, Paulus ad Géntium, érogant per omnem terram pij dispensatóres argéntum igne examinátum; sapiéntiæ aurum; fidei margaritam apériunt: & gratuitum per cuncta dispérgunt thesáurum salútis ætérnæ. Attónitis ítaque pópulis; géminæ tubæ spíritu majestátis implétæ: glóriam Dei íntonant. Itaque tamquam sagíttæ acútæ potentíssimæ de pháretra legis eléctæ, per totíus orbis spátia deferúntur atque vibrántur; ut dura infidélium corda populórum Dei timóre confríngerent: & bruta natiónum péctora salúbri charitátis vúlnere penetrárent. Duóbus ítaque fóntibus exúvij flúminis ímpetu ebulliéntibus sitiéntium animárum præcórdia reficiúntur; novo vino inebriántur; novo lúmine irradiántur: novâ salubritáte curántur. Putáres duos médicos cœlo lapsos; qui officínam sanitátum aperiéntes: divérso nossent génere váriis opem ferre languóribus.

℟. iij. Isti sunt duæ. 474.

Ad Laudes & Horas, omnia de Communi Apostolorum sed ad Laudes, Tertiam, & Vesperas.

Oratio. Deus qui hodiérnam diem. 475.

Ad Vesperas Añæ & Psal. de Feria occurr. cæteris de Communi Apostolorum.

DIE

DIE IV. JULII.

Sexta die infra Octavam SS. Apostolorum Petri & Pauli. iij. Lectionum.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

℟. Ego vos elégi. xj.

Sermo primus Sancti Bernárdi Abbátis.

In festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Lectio ij.

TAles decébat humáno géneri pastóres & doctóres constítui; qui & dulces essént & poténtes: & nihilóminùs sapiéntes. Dulces, ut blandè & misericórditer suscíperent; poténtes, ut fórtiter protégerent: sapiéntes, ut ad viam & per viam dúcerent quæ ducit ad civitátem. Quid Petro dúlciùs, qui tam dúlciter omnes ad se cónvocat peccatóres; sicut & actus Apostólici & Epistolárum ejus séries attestátur? quid illo poténtiùs, cui & terra obedívit cùm mórtuos réddidit, & mare sub pédibus ejus se calcábile præbuit: qui Simónem magum spíritu oris sui in áëre áttigit; qui claves regni cœlórum tam singulániter accépit, ut præcédat séntentia Petri senténtiam cœli? quid autem illo sapiéntiùs; cui non caro & sanguis revelávit? libentíssimè Paulum sequor qui præ nímia dulcédine luget eos qui peccavérunt; & non egérunt pœniténtiam; qui fórtior est omni principátu & potestáte: qui sapiéntiam & medúllam sacrórum sénsuum à tértio cœlo lárgiter asportávit.

℟. Constitues eos príncipes. 481.

Pro translatione S. Martini Episcopi & Confessoris.

Ex sancto Gregorio Turonensi libro 1. de miraculis S. Martini cap. 6. & ex sancto Odone Abbate Cluniacensi Epistola ad fulconem Andegavorum Comitem.

Lectio iij.

ANno sexagésimo quarto post tránsitum sancti Martíni, beátus Perpétuus, sed is ejus cáthedram sortítus; fundaménta templi in quo beáta membra jacébant ampliáre dispósuit: quod mirífico mancipávit effectui. Adveniénte autem témpore quo basílicam dedicáret & sanctum corpus transférret: convocávit

convocávit vicínos Pontífices, Abbátes, & Clericórum non mínimam multitúdinem. Tunc ómnibus jejúniis ac oratiónibus insisténtibus: terra quæ super sanctum erat túmulum effossa, ac Sarcóphagum cum summâ levitáte commótum, in locum ubi nunc honorátur, Dómino annuénte perdúcitur: in quo ex illa die multæ virtútes factæ sunt. Post áliquot sæcula irruéntibus in Gálliam Danis, & ómnia vastántibus: beatíssimi Epíscopi corpus in Burgúndiam ad tempus translátum fuit; atque indè póstmodum cessántibus illórum incursiónibus in civitátem Turonénsem relátum est: ubi támdiù honorífice quiévit; donec à Calviniánis è túmulo tot prodígiis corúsco nefándo ausu érutum: in ipso basílicæ grémio exústum est. Et ita martyrium quod gloriosíssimus Conféssor dum víveret ardénter concupíerat; jam apud cœlites coronátus: pro cúmulo votórum apud mortáles mira divínæ providéntiæ dispositióne recépit.

℟. Isti sunt duo viri. 482.

DIE V. JULII.

Septima die infra Octav. SS. Apost. Petri & Pauli iij. Lectionum.

Duæ Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. j. O quàm pulchri. xiv.
℟. ij. Qui sunt isti. xv.

Lectio iij.

Ex Homil. 32. S. Ioannis Chrysostomi in caput decimum septimum Epistolæ ad Romanos.

TAmétsi Romam laudáre queam à magnificéntia; ab antiquitáte, à pulchritúdine; à multitúdine, à potentátu, à divítiis: & à rebus in bello fórtiter gestis. Sed relíctis istis ómnibus ob id illam beátam deprædico: quod erga illos Paulus dum víveret, ádeò fuit benévolus; ádeò illos amávit; coram dissérui: & postrémo vitam apud eos finívit. Unde & cívitas ista hinc facta est insígnis plusquam à réliquis ómnibus. Et quemádmodum corpus magnum ac válidum duos habet óculos illústres; sanctórum vidélicet illórum córpora; non ita cœlum splendéscit quando rádios suos sol

ſol ex ſeſe demíttit: quemádmodum Romanórum urbs duas illas lámpades ubíque terrárũ effúndens. Hinc rapiétur Paulus, hinc Petrus. Conſideráte & horréte quale ſpectáculum viſúra ſit Roma. Paulum vidélicet repéntè ex theca illa cum Petro reſurgéntem in occúrſum Dómini ſurſum ferri: qualem roſam Chriſto mittet Roma, quálibus corónis duábus ornátur urbs iſta; quálibus caténis áureis cincta eſt: quales habet fontes. Proptérea célebro hanc urbem non propter cópiam auri, non propter colúmnas; neque propter áliam phantáſiã: ſed propter illas duas colúmnas Eccléſiæ.

℟. Sancti amábiles. 483.

Veſperæ Semidupl. de ſequenti. Aña. & Pſalmi de Feria occurrente. Capit. & Aña. ad Magnificat, & duæ Proceſſiones & Orationes ut in primis Veſperis de Communi Apoſtolorum. Oratio ad Veſperas.

DEus cujus déxtera beátum Petrum Apóſtolum ne mergerétur eréxit; & coapóſtolum ejus Paulum de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius, & concéde ut ambórum méritis æternitátis glóriam conſequámur. Per Dóminum.

Ad Complet. Hymnus. Ætérna Chriſti múnera. iij.

DIE VI. JULII.

Octava SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Semid. majus.

Omnia de Communi Apoſtolorum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Ex lib. S. Hierónymi Preſbyteri.

De Script. Eccleſiaſticis.

Lectio iv. Cap. 1.

SImon Petrus filius Joánnis Provinciæ Galilææ, vico Bethſáida, frater Andreæ Apóſtoli & Princeps Apoſtolórum; poſt Epiſcopátum Antiochénſis Eccléſiæ, & prædicatiónem diſperſiónis eórum qui de circumciſióne credíderant: in Ponto, Galátia, Cappadócia, Aſia, & Bithínia; ſecúndo Cláudij anno; ad expugnándum Simónem Magum Romam pergit: ibíque vigintiquínque annis cáthedram Sacerdotálem

lem ténuit uſque ad últimum annum Nerónis, id eſt, décimum quartum; à quo affixus Cruci martyrio coronátus eſt, cápite ad terram verſo & in ſublíme pédibus elevátis: áſſerens ſe indígnum, quòd crucifigerétur ut Dóminus ſuus. Sepúltus Romæ in Vaticáno juxta viā triumphálem totíus orbis veneratióne celebrátur.

℞. Ego vos elégi. xj.

Ex eodē libro c. 5. Lect. v.

PAulus Apóſtolus qui ante Saulus extra númerum duódecim Apoſtolórum de tribu Bénjamin & óppido Judææ Gíſchalis fuit; quo à Románis capto, cum paréntibus ſuis Tarſum cilíciæ commigrávit: à quibus ob ſtúdia Legis miſſus Jerosólymam à Gamaliéle viro doctíſſimo cujus Lucas méminit, erudítus eſt. Cùm autem interfuíſſet neci mártyris Stéphani, & accéptis à Pontífice templi Epíſtolis ad perſequēdos eos qui Chriſto credíderant Damáſcum pérgeret; revelatióne compúlſus: ad fidem, quæ in Actibus Apoſtolórum ſcríbitur, in vas Electiónis de perſecutóre tranſlátus eſt. Cùmque primùm ad prædicatiónem ejus Sérgius Paulus Procónſul Cypri credidíſſet; ab eo, quòd eum Chriſti fidei ſubégerat ſortítus eſt nomen Paulus: & juncto ſibi Bárnaba, multis úrbibus peragrátis, reverténſque Jerosólymam à Petro, Jacóbo, & Joánne, Géntium Apóſtolus ordinátur. In Actibus Apoſtolórum pleníſſimè de ejus converſatióne ſcriptum eſt. Hic decimoquárto Nerónis anno, eódem die, quo Petrus Romæ pro Chriſto cápite truncátus: ſepúltus eſt via Oſtiénſi anno poſt paſſiónem Dómini tricéſimo ſéptimo.

℞. Conſtítues. xj.

S. Maximus Epiſcop. de SS. Apoſtolis Petro & Paulo.

Lectio vj. Hom. 5.

NOn ſine cauſa factum putémus, Fratres chaaríſſimi; quòd glorioſíſſimi Chriſtiánæ fidei Príncipes Petrus & Paulus, unâ die, uno in loco: uníus tyránni toleravére ſenténtiam. Unâ die paſſi ſunt: ut ad Chriſtum, pariter perveníreut; uno in loco, ne

ne álteri Roma decésset ✓ sub uno persecutóre, ut æquális crudélitas utrúmque constríngeret. Dies ergo, puto, pro mérito; locus, pro glória ✓ persecútor decrétus est pro virtúte. In quo tandem loco martyrium pertulérunt? In urbe Roma, quæ principátum & caput óbtinet natiónum; scilicet ut ubi caput superstitiónis erat, illic caput quiésceret sanctitátis ✓ & ubi gentílium príncipes habitábant, illic Ecclesiárum Príncipes moreréntur. Cujus autem mériti sint beatíssimi Petrus & Paulus, hinc póssumus intellígere; quod cùm Dóminus Oriéntis regiónem própria illustráverit passióne ✓ Occidéntis plagam, ne quid minus esset, vice sui, Apostolórum sánguine illumináre dignátus est.

℟. Nimis honoráti. xíj.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij ✓ secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo tēpore ✓ Cómpulit Jesus discípulos suos ascéndere in navículam; & præcédere eum transfrétum ✓ donec dimítteret turbas. Et dimíssâ turbâ ✓ ascéndit in montem solus oráre. Et réliqua.

Hom. S. Hierónymi Presb. *Lib. 2. Comment. in c. 14. Matth.*

DIscípulis præcépit transfretáre ✓ & cómpulit ut ascénderent navículam. Quo sermóne osténditur invítos eos à Dómino recessísse, dum amóre præceptóris ne punctum quidem témporis ab eo volunt separári; navícula autem in médio mari jactabátur flúctibus ✓ erat enim contrárius ventus. Rectè quasi invíti & retractántes Apóstoli à Dómino recésserant ✓ ne illo absénte naufrágia sustinérent. Dénique Dómino in montis cacúmine commorántes, statim ventus contrárius óritur & turbat mare, & periclitántur Apóstoli; & támdiu ímminens naufrágium persevérat ✓ quámdiù Jesus véniat. Quarta autē vigília noctis venit ad eos ámbulans supra mare. Statiónes & vigíliæ militáres in terna horárum spátia dividúntur. Quando ergo dicit, quartâ vigíliâ noctis veníssé ad eos Dóminum; osténdit

ostendit tota nocte periclitátos: & extrémo noctis atque in consummatióne mundi eis auxílium præbitúrum.

℟. Isti sūt duæ olívæ. 474.

Lectio vij.

RESpóndens autem Petrus, dixit: Dómine, si tu es jube me veníre ad te super aquas. In ómnibus locis ardentíssimæ fidei invenítur Petrus. Interrogátis discípulis quem hómines dícerent Jesum: Dei Fílium confitétur. Voléntem ad passiónem pérgere, próhibet; & licet erret in sensu, tamen non errat in affectu: nolens eum mori quem Fílium Dei fúerat paulò ante conféssus. In montem cum Salvatóre inter primos, primus ascéndit: & in passióne solus séquitur. Peccátum negatiónis quod ex repentíno timóre descénderat: amáris statim ábluit lácrymis. Post passiónem cùm essent in lacu Genézareth & piscaréntur, & Dóminus staret in líttore; ille non pátitur moras: sed accínctus túnicâ sua statim præcipitátur in fluctus. Eódem ígitur fidei ardóre, quo semper; nunc quoque cæteris tacéntibus credit se posse fácere per voluntátem Magístri: quod ille póterat per natúram.

℟. Isti sunt duo viri. 482.

Lectio ix. Paulo post.

ET cùm cœpísset mergi; clamávit dicens: Dómine salvum me fac. Ardebat ánimi fides: sed humána fragílitas in profúndum trahébat. Páululùm ergo relínquitur tentatióni, ut augeátur fides; & intélligat se non facilitáte postulatiónis, sed poténtia Dómini conservátum: & contínuò Jesus, exténdens manum apprehéndit eum, & ait illi. Módicæ fidei, quare dubitásti? Si Apóstolo Petro de cujus fide & ardóre mentis suprà díximus, qui confidénter rogáverat Salvatórem dicens; Dómine, si tu es: jube me veníre ad te super aquas. Quia páululùm tímuit, dícitur; Módicæ fidei quare dubitásti? Quid nobis dicéndum est, qui hujus módicæ fidei ne mínimam quidem habémus portiúnculam?

℟. Sancti amábiles. 483.

Non dicitur Te Deum laudámus.

laudámus. *Nisi celebretur in Dominica. Cætera omnia ut in communi Apostolorũ Ad Laudes, & Tertiam.* Deus cujus dextéra. 501.

DIE VI. JULII.

Translationis S. Thomæ Episcopi & Martyris. iij. Lectionum.

Oratio. Infirmitátem nostram, &c. *ut in communi pro Martyre Pontifice ad Sextam dicitur.*

Oratio. Lætétur Ecclésia tua.

Ad Nonam dicitur.

Oratio. Adésto Dómine. *addendo in utraque.* Põtíf.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

TRiénnio post glorióśum agónem fortissimi athlétæ Christi Thomæ Cãtuariénsis; summus Póntifex Alexánder tértius Audiens tum à legátis quos in Angliam míserat: tum ex plurimórum aliórum certíssima testificatióne; quæ omnípotens Deus in bráchio excélso operarétur ingéntia & frequentíssima mirácula ad novi Mártyris túmulum; hábita diligénti consultatióne ex commúni ómnium consénsu sacrum ejus corpus levári permísit: & solémni ritu in númerum SS. Mártyrum eum rétulit. Anno verò seqnénti Henrícus Sénior Rex Angliæ ad pleníssimam expiatiónem persecutiónis in tantum Pontíficem illátæ; (cujus occasióne plures ærúmnas divínitùs sibi contigísse non dubitábat:) ad pedes ejus accéssit, páuperis servi formâ indútus; nudis pédibus in ómnium conspéctu, & gemens: ibíque toto advéntûs sui die & nocte sequénti jejúniis, & pérvigil in oratióne & lácrymis pérstitit; ac quasdam percussiónes virgę disciplinális à Mónachis cathedrálibus accépit: ex quâ pœniténtiâ públicâ plúrima benefícia ope sancti Mártyris pósteà consequúutus est.

DIE VIII. JULII.

In majori Ecclesia fit de Angelo Custode. Duplex majus.

Alibi illud Officium fit die secunda Octobris.

SANCTORUM Angelorum Custodum Duplex majus.

Ad Vesperas, Antiphona.

Angelis suis. *cum reliquis de Laudibus.* 512.

Psal. Dixit Dóminus. 145 *cum reliquis de Dominica: & loco ultimi dicitur Psalmus.* Láudate Dóminum, omnes gentes.

Capitulum. Exod. 23.d

ECce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, & custódiat in via; & introdúcat in locum, quem parávi: obsérva eum, & audi vocem ejus.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Ad Magnificat, Antiph. Omnes sunt administratórij Spíritus, in ministérium missi propter eos, qui hæreditátem cápiunt salútis. *Duplicatur.*

Canticum. Magníficat ánima mea Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui ineffábili providéntiâ sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris: largíre supplícibus tuis; & eórum semper protectióne defèndi: & ætérna societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Processio ad Sanctum Michaëlem. Resp. Ecce mitto. 512.

Ad Magnificat, Antiph. Benedícite Dómino. 511.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui miro órdine Angelórum ministéria, hominúmque dispénsas: concéde propítius; ut à quibus tibi ministrántibus in cœlo semper assístitur: ab his in terra vita nostra muniátur. Per Dóminum nostrum.

Ad Completor. Hymnus.

ÆTérne Rector sýderum,
Qui, quidquid est, poténtia
Magna creásti, nec regis
Minóre providéntiâ.

Adésto supplicántium
Tibi reórum cœtui,
Lucísque sub hoc término
Lucem novam da méntibus.

Tuúsque nobis Angelus,
Eléctus ad custódiam,
Hîc adsit; à contágio
Ut críminum nos prótegat.

Nobis Dracónis æmuli
Versútias extérminet,
Ne rete frauduléntiæ
Incáuta nectat péctora.

Metum

Metum repéllat hóstium
Nostris procul de finibus:
Pacem procúret cívium,
Fugétque pestiléntiam.
Deo Patri sit glória,
Qui quos redémit Filius,
Et sanctus unxit Spíritus,
Per Angelos custódiat.
Amen.

Deinde post preces solitas dicitur.

Orémus. *Oratio.*

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, & omnes insídias inimíci ab ea longè repélle: Angeli tui sancti hábitent in eâ; qui nos in pace custódiant: & benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Angelórum Dóminum, veníte, adorémus. *Duplicatur.*

Psalmus. Veníte. 2.

In primo Nocturno, Aña. Dóminus Deus cœli, & terræ, ipse mittet Angelum suum coram te.

Psalmus. Dómine Dóminus noster: quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra. 5. *Aña.* Deus meus misit Angelum suum, & conclúsit ora leónum, & non nocuérunt mihi.

Psalmus, In Dómino confido. 8. *Antiphona.* Benè ambulétis, & Dóminus sit in itínere vestro, & Angelus ejus comitétur vobíscum. *Psalmus.* Dómine, quis habitábit in tabernacúlo tuo. 10.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

De libro Exodi

Lectio j. Cap. 23. d

ECce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, & custódiat in via; & introdúcat in locum, quem parávi: obsérva eum, & audi vocem ejus, nec contemnéndum putes; quia non dimíttet, cùm peccáveris: & est nomen meum in illo. Quòd si audíeris vocem ejus, & féceris ómnia, quæ loquor; inimícus ero inimícis tuis, & afflígam affligéntes te: præcedétque te Angelus meus.

℟. j. Angelis suis Deus mãdávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis: * In mánibus portábunt te, ne unquam offéndas ad lápidem pedem tuum.

℣. Míllia míllium mini-

strábant ei, & décies míllies centéna míllia assistébant ei. In mánibus.

Ex Zachária Prophéta.

Lectio ij. Cap. 1.

FActum est verbum Dómini ad Zacháriam, filium Baráchiæ, filij Addo, Prophétam, dicens. Vidi per noctem, & ecce vir ascéndens super equum rufum; & ipse stabat inter myrtéta, quæ erant in profúndo: & post eum equi rufi várij, & albi. Et dixi; Quid sunt isti, Dómine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquebátur in me: Ego osténdam tibi, quid sunt hæc. Et respóndit vir, qui stabat inter myrtéta, & dixit. Isti sunt, quos misit Dóminus, ut perámbulent terram. Et respondérunt Angelo Dómini, qui stabat inter myrtéta, & dixérunt; Perambulávimus terram: & ecce omnis terra habitátur, & quiéscit.

℟. ij. Respóndit Angelus Dómini, & dixit: Dómine exercítuum:* Usquequò tu non miseréberis Jerúsalem, & úrbium Juda, quibus irátus es? ℣. Iste enim septuagésimus annus est. Usquequò.

Lectio iij. Cap. 2.

ET levávi óculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu ejus funículus mensórum. Et dixi. Quò tu vadis? Et dixit ad me: Ut métiar Jerúsalem, & vídeam, quanta sit latitúdo ejus: & quanta longitúdo ejus. Et ecce Angelus, qui loquebátur in me, egrediebátur: & Angelus álius egrediebátur in occúrsum ejus. Et dixit ad eum: Curre, lóquere ad púerum istum, dicens. Absque muro habitábitur Jerúsalem præ multitúdine hóminum & jumentórum in médio ejus. Et ego ero ei, ait Dóminus, murus ignis in circúitu: & in glória ero in médio ejus.

℟. iij. In conspéctu géntium nolíte timére: vos enim in córdibus vestris adoráte, & timéte Dóminum: * Angelus enim ejus vobíscum est. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureũ in manu sua. Angelus. Glória Patri. Angelus.

In secundo Nocturno,

Aña. Cùm essem vobíscũ, per voluntátem Dei eram: ipsum benedícite, & cantáte

iáte ei. *Psálmus.* Cœli enárrant glóriam Dei: 16. *Antiph.* Tollens se Angelus Dómini qui præcedebat castra Israël, ábiit post eos.

Psalmus. Dómini est terra, & plenitúdo ejus. 32. *Ana.* Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, & erípiet eos.

Psalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore. 59.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.
℞. De manu Angeli.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 12. *in Psalmum* 90. *& versiculum* 11.

Lectio iv.

ANgelis suis mandávit de te. Mira dignátio, & verè magna diléctio charitátis. Quis enim? Quibus? De quo? Quid mandávit? studiosè considerémus Fratres. Diligénter commendémus memóriæ hoc tam grande mandátum. Quis enim mandávit? Cujus sunt Angeli? Cujus mandátis obtémperant? Cujus obédiunt voluntáti? Nempè, Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Nec cunctántur, quinétiam in mánibus tollant te. Summa ergo majéstas mandávit Angelis & Angelis suis mandávit. Illis útique sublímibus, tam beátis, quàm próximis sibi cohæréntibus, & verè doméstícis mandávit de te. Tu quis es, Dómine? Quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hóminis, quóniam réputas eum? Quasi verò non sit homo putrédo! & filius hóminis vermis. Sed quid, putas, mandávit de te? Ut custódiant te.

℞. iv. Vivit ipse Dóminus: * Quóniam custodívit me Angelus ejus, & hinc eúntem, & ibi commorántem, & indè huc revertentem. ℣. Et non permísit me Dóminus ancíllam suam coinquinári. Quóniam.

Lectio v.

QUantam tibi debet hoc verbum inférre reveréntiam; afférre devotiónem conférre fidúciam. Reveréntiam pro præséntia; devotiónem pro benevoléntia: fidúciam pro custódia. Cautè ámbula,

nt, videlicèt, cui adsunt Angeli; sicut eis mandátum est: in ómnibus viis tuis. In quovis diversório, in quovis ángulo, Angelo tuo reveréntiam habe. Tu ne áudeas, illo præsénte, quod, vidénte me, non audéres. An præséntem esse dúbitas, quem non vides? Quid, si audíres; Quid, si tángeres; Quid, si olfáceres? Vide, quia non solo visu rerum præséntia comprobétur.

℟. v. Angelus Dómini descéndit cum Azária, & sóciis ejus in fornacem: & excússit flammam ignis de fornáce: * Et non tétigit eos omnínò ignis, neque contristávit. ℣. Benedíctus Deus eórum, qui misit Angelum suum, & éruit servos suos, qui crediderunt in eum. Et non.

Lectio vj.

IN ipso ítaque, Fratres, affectuósè diligámus Angelos ejus, tamquàm futúros aliquándò cohærédes nostros; ínterìm verò actóres, & tutóres à Patre pósitos: & præpósitos nobis. Quid sub tantis custódibus timeámus? Nec superári, nec sedúci; minùs autem sedúcere possunt: qui custódiunt nos in ómnibus viis nostris. Fidéles sunt, prudéntes sunt, poténtes sunt. Quid trepidámus? tantùm sequámur eos; adhæreámus eis: & in protectióne Dei cœli commorémus. Quóties ergo graníssima cérnitur urgére tentátio, & tribulátio véhemens imminére; ínvoca custódem tuum; ductórem tuum; adjutórium tuum in opportunitátibus, in tribulatióne: inclàma eum, & dic: Dómine, salva nos perímus.

℟. vj. In omni tribulatióne eórum non est tribulátus; * Et Angelus faciéi ejus salvávit eos. ℣. In dilectióne sua, & indulgéntia sua ipse redémit eos, & portávit eos, & elevávit eos cunctis diébus sæculi. Et Angelus. Glória Patri. Et Angelus.

In tertio Nocturno, Aña. Misit Dóminus Angelum suum, qui percússit omnem virum robústum, & bellatórem, & príncipem exércitûs Regis Assyriórum. *Psalmus.* j. Cantáte Dómino cánticũ novum.

122. *Antiphona.* Adoráte Dóminum, omnes Angeli ejus:

ejus: audívit, & lætáta est Sion. *Psalmus.* Dóminus regnávit, exúltet terra: læténtur ínsulæ multæ. 123.

Aña. Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus; ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Psalmus. Bénedic, ánima mea Dómino: & ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. 130.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Léctio sancti Evangélij secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes. Quis, putas, major est in regno cælórum? Et réliqua.

Homília sancti Hilárij Epíscopi.

Comment. in Matth. c. 18. post initium.

NOn nisi revérsos in natúram puerórum introíre regnum cœlórum Dóminus docet: id est, per simplicitátem puerílem vítia córporum nostrórum, animæque revocánda. Púeros autem credéntes omnes per audiéntiæ fidem nuncupávit. Hi enim Patrem sequúntur; matrem amant; próximo velle malum nésciunt; curam opum négligunt: non insoléscūt; non odérunt, non mentiúntur; dictis credunt: & quod áudiunt, verum habent. Reverténdum ígitur est ad simplicitátem infántium; quia in ea collocáti: spéciem humilitátis Domínicæ circumferémus.

℟. Machabæus, & qui cum eo erant, cognovérunt expugnári præsídia: * Cum fletu & lácrymis rogábant Dóminum, & omnis turba simul, ut bonum Angelum mítteret ad salútem Israël. ℣. Cùm páritèr prompto ánimo procéderent Jerosólymis, appáruit præcédens eos eques in veste cándida. Cum fletu.

Lectio viij.

VÆ huic mundo ab scándalis. Humílitas passiónis scándalum mundo est. In hoc enim máximè ignorántia detinétur humána: quòd sub deformitáte Crucis ætérnæ glóriæ Dóminum nóluit accí-

pere. Et quid mundo tam periculósum, quàm non recepísse Christum? Ideò verò necésse esse, ait veníre scándala; quia ad sacraméntum reddéndæ nobis æternitátis: omnis in eo Passiónis humílitas esset expléndæ.

℟. iv. Tu, Dómine, qui misísti Angelum tuum sub Ezéchia Rege Juda, & interfecísti de castris Sennácherib centum octogínta quinque míllia: * Et nunc, Dominátor cœlórum, mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timóre, & tremóre magnitúdinis bráchij tui. ℣. Ut métuant, qui cum blasphémia véniunt advérsùs sanctum pópulum tuum. Et nunc.

Lectio ix.

Vidéte, ne contemnátis unum de pusíllis istis, qui credunt in me. Aptíssimum vínculũ mútui amóris impósuit: ad eos præcípuè, qui verè in Dómino credidíssent. Pusillórum enim Angeli quotídie Deũ vident: quia Fílius hóminis venit salváre, quæ pérdita sunt. Ergo & Fílius hóminis salvat; & Deum Angeli vident: & Angeli pusillórum præsunt fidélium oratiónibus. Præésse Angelos absolúta auctóritas est. Salvatórum ígitur per Christum oratiónes Angeli quotídie Deo óffe-runt. Ergo periculósè ille contémnitur: cujus desidéria, ac postulatiónes ad ætérnum & invisíbilem Deum ambitióso Angelórum famulátu, ac ministério pervehúntur.

℟. ix. Ecce mitto Angelum meum, qui præcédat te, & custódiat semper: Obsérva, & audi vocem ejus, & inimícus ero inimícis tuis, & affligéntes te afflígam: * Et præcédet te Angelus meus. ℣. Israël, si me audíeris, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum; ego enim sum Dóminus Deus tuus. Et præcédet.

Te Deum laudámus.

A D L A U D E S.

Añа. Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Psalmus.* Dóminus regnávit, decórem indútus est. 2o. *Antiphona.* Laudémus Dóminum, quem laudant Angeli, quem Chérubim, & Séraphim,

Séraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus, proclámant.

Psalmus. Jubiláte Deo, omnis terra.

Aña. Angeli eórum semper vident fáciem Patris mei, qui est in cælis. *Psal.* Deus, Deus meus: ad te de luce vígilo. *Aña.* Benedíctus Deus, qui misit Angelum suum, & éruit servos suos, qui credidérunt in eum. *Canticum.* Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte, & superexaltáte eum in sæcula. *Antiphona.* Laudáte Deum, omnes Angeli ejus: laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Psalmus. Laudáte Dóminum de cælis.

Capitulum. Exod. 23.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, & custódiat in via; & introdúcat in locum, quem parávi: obsérva eum, & audi vocem ejus.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Ad Benedictus, Antiph. Revérsus est Angelus, qui loquebátur in me, & suscitávit me, quasi virum: qui suscitátur à somno suo. *Duplicatur.*

Canticum. Benedíctus Dóminus Deus Israël: quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ.

Orémus. *Oratio.*

Deus, qui ineffábili providéntiâ, sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris: largíre supplícibus tuis; & eórum semper protectióne deféndi: & ætérna societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Processio ad S. Raphaëlem. Respons. In omni tribulatióne. 510. *Aña.* Misit Dóminus. 510.

Canticum. Benedíctus.

Orémus. *Oratio.*

Deus, qui beátum Raphaélem Archángelum Tóbiæ fámulo tuo prævium direxísti: & patris cæcitátem ejúsdem providéntia repulísti; desiderántibus nobis fámulis tuis, & vias nostras dírige: & cæcitátem mentis, & córporis, tua grátia, & ejus interventióne répelle. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam Capitulum. Ecce ego mittam. 513.

℟. Stetit Angelus juxta aram templi. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Glória Patri.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

℟. De manu Angeli.

Oratio. Deus, qui ineffábili. 513.

Ad Sextam, Capitulum. Exod. 23.

NEc contemnéndum putes, quia non dimíttet, cùm peccáveris: & est nomen meũ in illo.

℟. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℣. De manu Angeli. Glória Patri.

℣. In conspéctu Angelórum psallã tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui Angelos tuos fecísti nobis administratórios spíritus ut hæreditátem salútis capiámus; quæsumus ut vígiles illi custódes nostri sint nobis in perpétuum in perículis præsídium: & in virtútibus ad exémplum. Per Dóminum nostrum.

Ad Nonam, Capitulum.

QUòd si audíeris vocem ejus, & féceris ómnia, quæ loquor; inimícus ero inimícis tuis, & afflígam affligéntes te: præcedétque te Angelus meus.

℟. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo. Glória Patri.

℣. Adoráte Deum.

℟. Omnes Angeli ejus.

Orémus. *Oratio.*

SUscipe Dómine preces quas pro sanctórum Angelórum veneratióne deférimus: & concéde propítius; ut perpetuis circa nos eorum vigíliis à præséntibus perículis liberémur: & ad vitam p rveniámus ætérnam. Per Dóminum nostrum.

IN SECUNDIS *Vesperis.*

Antiphona. Angelis suis, *cum reliquis de Laudibus,* *Psal.* Dixit Dóminus. 145, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi dicitur.* *Psalmus.* Confitébor tibi Dómine, in toto corde meo: quóniam. 161.

Capitu

Capitulum, & ℣. ut suprà in primis Vesperis. 506

Ad Magnificat, Aña. Sancti Angeli Custódes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereámus in treméndo judício. *Duplic. Cantic.* Magníficat ánima mea Dóminum.

DIE IX. JULII.

In majori Ecclesia consecratio majoris altaris ejusdem Ecclesiæ quod olim hac die ab Innocentio Papa IV. anno 1245. Consecratum. A Calvinistis dirutum & profanatum; à Domino d'Epinac Lugdunensi Archiepiscopo, hac etiam die in honorem sancti Irenæi fuit solemni consecratione dedicatũ. Post Vesperas de Angelo custode in majori Ecclesia fit Processio ad Presbyterium de consecratione Altaris.

℟. Ædificávit Noë altáre Dómino. 516.

Ad Magnificat, Aña. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis & dedicavérunt altáre Dómino & facta est lætítia magna in pópulo, allelúia.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui ex omni coaptatióne sanctórum ætérnum tibi condis habitáculum: da ædificatióni tuæ increménta cœléstia; ut quorum hîc relíquias pro amóre amplectímur: eórum méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Deinde dicitur Psalmus. Exaltábo. *cum orationibus, ut de more.*

Ad Completorium Hymnus. Urbs Jerúsalem. cliv.

In primo Nocturno.

Ad Matutinum, Invitatorium. Præoccupémus fáciem Dómini in confessióne sanctórum. *Duplicatur.*

Psal. Venite exultémus.

Antiphona. Erit mihi Dóminus in Deum & lapis iste vocábitur domus Dei. *Psalmus.* Dómini est terra. 32.

Aña. Eréxit Jacob lápidem in títulum fundens óleum désuper. *Psalmus.* Afférte Dómino. 54.

Aña. Introíbo ad altáre Dei ad Deum qui lætíficat juventútem meam. *Psalmus.* Júdica me Deus. 81.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Lectio j. Mach. 1.

IN illo témpore: Dixit Judas & fratres ejus. Ec-

ce contríti sunt inimíci nostri : ascendámus nunc mundáre sancta & renováre. Et ascendérunt ad montem Sion : & vidérunt sanctificatiónem desértam, & altáre profanátum, & portas exústas ; & in átriis virgúlta nata sicut in saltu vel in móntibus, & pastophória díruta ; & scidérunt vestiménta sua : & planxérunt planctu magno. Et posuérunt cínerem super caput suum : & cecidérunt in fáciem super terram ; & exclamavérunt tubis : & clamavérunt in cœlum. Tunc ordinávit viros Judas, qui pugnárent advérsùs eos qui erant in arce : donec mundárent sancta. Et elégit Sacerdótes sine mácula voluntátem habéntes in lege Dei : & mundavérunt sancta.

℟. Ædificávit Noë altáre Dómino ófferens super illud holocáustum odorátus est Dóminus odórem suavitátis & benedíxit eis : * Créscite & multiplicámini & repléte terram.

℣. Ecce ego státuam pactum meum vobíscum & cum sémine vestro post vos. Créscite, &c.

Lectio ij.

Et tulérunt lápides contaminatiónis in locum immúndum. Et cogitávit de altári holocaustórum quod profanátum erat : quid fáceret de eo. Et íncidit illi consílium bonum ut destrúeret illud : ne fortè illis esset in oppróbrium ; quia contamináverant illud gentes : & demolíti fúerant illud. Et reposuérunt lápides in montem domûs in loco apto. Et ædificavérunt altáre novum : secúndùm illud quod fuit prius. Et ædificavérunt sancta : & quæ intra domum erant intrínsecus sanctificavérunt.

℟. Si Dóminus Deus meus fúerit mecum in via ista qua ego ámbulo & custodíerit me & déderit mihi panem ad edéndum & vestiméntum quo opériar & revocáverit me cum salúte : * Erit mihi Dóminus in refúgium & lapis iste in signum. ℣. Surgens ergo manè tulit lápidem quem supposúerat cápiti suo & eréxit in títulum dicens. Erit mihi.

Lectio iij.

Et incénsum posuérunt super altáre & accendérunt

runt lucérnas quæ super candelábrum erant & lucébant in templo. Et posuérunt super mensam panes & appendérunt vela & consummavérunt ómnia ópera quæ fécerant. Et obtulérunt sacrifícium secúndùm legem super altáre holocaustórum novum quod fecérunt. Secúndùm tempus & secúndùm diem in quâ contaminavérunt illud gentes in ipsa renovátum est in cánticis & cítharis & cínyris & in cymbalis & cécidit omnis pópulus in fáciem & adoravérunt & benedixérunt in cœlum eum qui prosperávit eis. Et fecérunt dedicatiónem altáris diébus octo.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis & dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confessiónibus benedicébant Dómino Et facta est. Glória Patri. Et facta.

In secundo Nocturno.

Antiphona. Beátus ille servus cùm vénerit Dóminus ejus & pulsáverit jánuam & invénerit eum vigilántem. *Psalmus.* Deus nostrum refúgium. 76.

Ana. Sub ara Dei sancti clamant víndica sánguinem nostrum Deus noster. *Psalmus.* Magnus Dóminus & laudábilis. 77.

Aña. Justórum ánimæ in manu Dei sunt & non tanget illos torméntum malítiæ, quóniam Deus tentávit eos & invénit illos dignos se allelúia. *Psalmus.* Quàm dilécta. 115.

℣. Lætámini in Dómino & exultáte justi.

℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Serm. S. Germáni Constantinopolitáni Epíscopi.

Lib. Theoriæ rerum Ecclesiasticarum.

Lectio iv.

IN Ecclésia est altáre sicut juxta Béthleem ubi natus est Christus concha erat. Et juxta spelúncam ubi fuit sepúltus spelúnca erat ex petra excísa. Illud autem altáre est propitiatórium in quo offerebátur pro peccáto juxta sanctum monuméntum Christi in quo altári víctimam se Christus óbtulit Deo & Patri per oblatiónem córporis sui; ut agnus immaculátus & ut Póntifex & filius

filius hóminis ófferens & oblátus in mysticum & incruéntum sacrificium, & rationálem hóstiam fidélibus immolátus : per quam partícipes efficimur ætérnæ vitæ & immortális. Quē per agnum præfigurávit in Ægypto Moses ad vésperam; & sánguine ejus exterminatórem Angelum avértit : ne neci tráderet pópulum. Ad vésperam enim, significat quod & ad vésperam mactátus est verus Agnus mundi; qui tollit peccátum cruce suâ Christus : étenim Pascha nostrum pro nobis immolátus est Christus. Altáre est, & dícitur præsépe : & sepúlchrum Dómini. Altáre est, & dícitur ad exémplum, super cœléstis & spiritális altáris, in quo typo réferunt spiritáles & ministratórias hierárchias immateriálium & supernárum potestátum; & terréni & materiáles Sacerdótes, & assisténtes & ministrántes Dómino in ætérnum : quare & tales sint opórtet ut ignis flagrans.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus : * Et implévit eum Dóminus Spíritu sapiéntiæ & intelléctûs.

℣. Jocunditátem & exultatiónem thesaurizávit super eum. Et implévit.

Lectio v.

AD sancta sanctórum altáre est, quod est cáthedra; locus Dei, réquies, propitiatórium; magni Sacrificij officína; Christi monuméntum : & ejus glóriæ tabernáculum. Ex lapide porro est altáre, quia Christum refert, qui & petra nominátur, tamquam fundaméntum nostrum; & caput ánguli, & lapis anguláris; & quia petra, quæ olim profluéntibus ex se aquis véterem Isráel potavit : hujus imágo fuit. Nunc enim nos novum Isráel potat non petra aquam scatúriēs; sed ætérnæ vitæ fluénta præbens : vivum, inquam, Verbi sánguinem. Per sacram verò assessiónem Verbum incarnátum; & in cœlis ad déxtram Patris cónsidens; per gradus, cujúsque sanctórum virórum & Angelórum ordo, & ascénsus : & per Epíscopum altáre consecrántem Jesus significátur. Quem & sacrum Evangélium in altári conspícuum :

ſpícuum: & crux ſacrifícium ejus índicat.

℟. Sub altári Dei audívi voces occíſorum dicéntiū: Quare nō deféndis ſánguinem noſtrum? & accepérunt divínum reſpónſum: * Adhuc ſuſtinéte módicum tempus donec impleátur númerus fratrum veſtrórum. ℣. Et datæ ſunt illis ſíngulæ ſtolæ albæ & dictum eſt illis. Adhuc ſuſtinéte.

Lectio vj.

SUb altári in conſecratióne ejus repóſitæ ſunt relíquiæ Mártyrum: útpotè quorum ſpíritus Chriſto magno mártyri ſemper adſint. Prætéreà tamquam Eccléſiæ fundaménta hos altáre cóntinet; quæ primùm Chriſti: póſteà per ipſum étiam mártyrum ſánguine cóndita eſt. Unguento delibútum eſt, quóniam plenitúdinem efficiéntiæ Spíritûs: & vivum unguéntum quod ſacrificátur habet. Palla autem circumveſtítur & ornátur; quóniam quæ ſuper eo fiunt, conſiderátu difficília ſunt: nec ab ómnibus comprehéndi queunt. Eſt autē éditum altáre ſplendidiſſimúmque, ut ſólium Dei. Per órdines verò ſacrárium íngredi ſolitórum: virtútes extra mundum, ſive cœléſtes nobis ſuggerúntur. Et per ſuffitiónem ab altári inchoátam ſeſe commúnicans: & fragrans ſpíritus grátia. Per accénſa altári lúmina: ea quæ in ſanctis ineſt perpétua ac indefíciens illumin[a]tio.

℟. Sancti tui Dómine mirábile conſecúti ſunt iter ſerviéntes præcéptis tuis ut inveniréntur illæſi in aquis válidis terra appáruit árida: * Et in mari Rubro via ſine impediménto. ℣. Sitiérunt & invocavérunt te: & data eſt illis aqua de petra altíſſima. Et in mari. Glória Patri. Et in mari.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Stéphanus autem plenus grátia & fortitúdine faciébat ſigna magna in pópulo. *Pſalmus.* Fundaménta ejus. 117.

Aña. Inter natos mulíerum non ſurréxit major Joánne Baptíſta. *Pſalmus.* Bonum eſt confitéri. 141.

Aña. Poſt partum virgo inviolata permanſíſti Dei génitrix intercéde pro nobis. *Pſal.* Cantáte. 122.

℣. Speciósa facta es.

℟. Et

℟. Et suávis in delíciis tuis sancta Dei génitrix.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore: facta sunt encœnia in Jerosólymis: & hiems erat. Et ambulábat Jesus in templo in pórticu Salomónis. Circumdederúntque eum Judǽi: & dicébant ei. Quoúsque ánimam nostrā tollis? si tu es Christus: dic nobis palam, Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Expos. in Evang. Ioan.

ENcœnia vocabátur solémnitas Dedicatiónis Templi: quam pópulus Dei ex antíqua Patrum traditióne per annos síngulos celebráre consuéverat. Sed notándum est, quòd hæc encœnia quæ hîc legúntur, non ad primam templi Dedicatiónem, sed ad últimam pértinent; quòd ex eo fácile collígitur: quia híeme facta referúntur. Prima síquidem ejus templi Dedicátio à Salomóne témpore Autúmni, secúnda autem à Zoróbabel & Jesu Sacerdóte témpore Veris; tértia à Juda Machabæo témpore Híemis est facta, quando speciáliter constitútum esse légitur ut éadem Dedicátio per omnes annos in memóriam solémnibus renovarétur Officiis; quæ étiam ad tempus usque Domínicæ incarnatiónis observáta fuit: quæ étiam Dedicátio salúbri cōsuetúdine in Ecclésiis Christi servári modérno tēpore dignóscitur.

℟. Stéphanus autem plenus grátia & fortitúdine: * faciebat signa magna & prodígia in pópulo.

℣. Cum autem esset plenus Spíritu sancto & fide beátus Stéphanus. Faciébat.

Lectio viij.

AMbulábat Jesus in pórticu Salomónis. Si Dei filius ambuláre vóluit in templo in quo caro & sanguis brutórum animálium offerebátur: multò magis nostram oratiónis domum ubi carnis ipsíus ac sánguinis Sacraménta celebrántur visitáre gaudébit. Si perambuláre non despéxit pórticum in qua Rex quondam mortális ac terrénus quamvis potentíssimus ac sapientíssimus ad orándum stare solébat; quantò

quantò magis penetrália córdium nostrórum invísere atque illustráre desíderat: si tamen ea pórticum esse Salomónis: hoc est, si ea timórem suum qui est inítium sapiéntiæ habére perspéxerit.

℟. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta: * Qui viam Dómini præparávit in erémo. ℣. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante fáciem meam. Qui viam.

Lectio ix.

NEque enim putándum est, quia domus solúmmodò in quâ ad orándum, vel ad mystéria celebránda convenímus templum sit Dómini; & non ipsi qui in nómine Dómini convenímus multò ámpliùs templum ejus appellémur & simus: cùm maniféstè dicat Apóstolus; Vos estis tēplum Dei vivi sicut dicit Deus: inhabitábo in eis, & inter illos ambulábo.

℟. Felix valdè es Sacra virgo María & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ Christus Deus noster. ℣. Ora Dei Génitrix pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu, séntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrant tuam commemoratiónem. Quia ex te.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes, Antiphona. Stetit Angelus juxta aram templi habens thuríbulum áureum in manu sua. *Psal.* Dóminus regnávit. 20. *cum reliquis de Dominica.*

Aña. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini de manu Angeli.

Aña. Ædificávit Móyses altáre Dómino Deo.

Aña. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus cœlos tangébat, & descendéntes Angelos & dixit: Verè locus iste sanctus est.

Aña. Exultábunt sancti in glória lætabúntur in cubílibus suis.

Capitulum.

VIdi subtus altáre ánimas interfectórū, propter verbū Dei: & propter testimóniū quod habébāt.

℣. Adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

℟. Tóllite hóstias & introíte in átria ejus.

Ad Benedictus, Aña.

O quàm metuéndus est locus iste ! verè non est hic áliud nisi domus Dei & porta cœli. *Duplic.*

Oratio. Deus qui ex omni coaptatióne. 515.

Ad Tertiam, Capitulum. Vidi subtus altáre. 521.

℟. Adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

℣. Tóllite hóstias & introíte in átria ejus. Glória Patri.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Oratio. Deus qui ex omni coaptatióne. 515.

Ad Sextam, Capitulum.

Cap. 8. de Apoc.

STetit Angelus ante altáre habens thuríbulum áureum :' & data sunt illi incénsa multa ; ut daret de oratiónibus sanctórum ómnium super altáre áureum :' quod est ante thronum Dei.

℟. Stetit Angelus juxta aram templi.

℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Glória Patri.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

℟. De manu Angeli.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, altáre hoc nómini tuo dedicátum cœléstis virtútis benedictióne sanctífica :' & ómnibus in te sperántibus auxílij tui munus osténde ; ut hîc & Sacramentórum virtus :' & votórum obtineátur efféctus. Per Dóminum.

Ad Nonam, Capitulum.

Apoc. Cap. 8.

ACcépit Angelus thuríbulum, & implévit illud de igne altáris ; & misit in terram, & facta sunt tonítrua :' & voces, & fúlgura, & terræmotus magnus.

℟. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

℣. De manu Angeli. Glória Patri.

℣. Introíbo ad altáre Dei.

℟. Ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Orémus. *Oratio.*

QUæsumus omnípotens Deus, ut huic altári cujus consecratiónis diem celebrámus ; in loco nómini tuo dedicáto cunctis petèntibus :' aures tuæ pietátis accómmodes. Per Dóminum.

Ad Vesperas. Aña. Stetit Angelus. *cum reliquis de Laudibus. Psal. de Dñica* 145. *& loco ultim.* Lauda Jerúsalem Dóminum. 168

Capitulum. Vidi subtus altare. 521.

℣. Introíbo ad altáre Dei.
℟. Ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Ad Magnificat, Antiph. Sub ara Dei Sancti clamant: Víndica sánguinem nostrum Deus noster. *Duplicatur. Oratio.* Deus qui ex omni coaptatióne. 515.

Post Vesperas Processio de sequent. Responsor. secundum Feriam occurrentem. Oratio. Præsta quæsumus, *ut infrà.*

Ad Completorium. Hymnus. Urbs Jerúsalem. cliv.

DIE X. JULII.

SS. Septem Fratrum Mart. trium Lectionum.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui gloriósos Mártyres fortes in suâ confessióne cognóvimus: pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Lectio prima de Scriptura occurrente.

Lectio ij.

SEptem Fratres, filij sanctæ Felicitátis, illústri ádmodùm génere Matrónæ; ac inter omnes fidei cultóres magno pietátis, omniúmque virtútū splendóre fulgéntis; Romæ in persecutióne Marci Aurélij Antoníni Imperatóris, à Público vrbis Præfécto, primùm blandítiis: deínde minis ac terróribus tentáti, ut Christo renuntiántes Deos cólerent; & suâ virtúte, & matre hortánte: in fidei confessióne perseverántes váriè necáti sunt. Januárius plumbátis cæsus; Fœlix & Philíppus fústibus mactáti: Sylvánus ex altíssimo loco præceps dejéctus est. Alexánder, Vitális, & Martiális cápite truncáti sunt. Pia ínterim genitríce sua pígnora ad tam præclára certámina confirmánte; quæ demum de filiórum jam salúte secúra: plena gáudio gloriósum triúmphum capitáli senténtiâ damnáta felíciter complévit.

Ex S. Greg. Papa Homil. 3. in Evangelia in Basilicâ sancta Felicitatis die natalis ejus.

Lectio

Lectio iij.

HOdiè beátæ Felicitátis natalítia celebrámus; quæ credéndo éxtitit ancílla Christi: & prædicándo facta est mater Christi. Non ergo hanc fœminam mártyrem, sed plusquam mártyrem díxerim; quæ septem pignóribus ad regnum præmíssis: tot ante se mórtuos transmísit. Ad pœnam prima venit: sed pervénit octáva. Aspéxit mater & cruciáta & impertérrita filiórum mortem: spei gáudio adémit dolórem natúræ. Tímuit vivéntibus: gavísa est moriéntibus. Optávit nullum post se relínquere; ne si quem habéret supérstitem: non posset habére consórtem. Nemo ergo ex nobis, Fratres charíssimi, exístimet quod ejus cor moriéntibus filiis, étiam carnális afféctus mínimè pulsávit; neque enim filios quos carnem suam esse nóverat: sine dolóre póterat moriéntes vidére. Sed erat vis amóris intérior: quæ dolórem vínceret carnis.

DIE XI. JULII.

Translationis S. Benedicti Abbatis & Confessoris. trium Lectionum.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis.

Oratio. Deus qui nos beáti Benedicti. c. *Hæc oratio dicitur ad Vesperas, Laudes & Tertiam.*

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

EVérso à Longobárdis ut prædíxerat sanctus Benedíctus Cassinénsi Monastério: sanctus Múmmolus Abbas Floríaci ad Lígerim per visum admónitus; Ægúlphum Mónachum qui pósteà martyrio coronátus est: Casśínum misit, ut sacra Benedícti pígnora Floríacum asportáret. Hic invénta ossa repósuit in spórtula; redáctas verò in púlverem carnes relíquit in túmulo: Unde instauráto pósteà per Petronácem cœnóbio Cassinénsi frequéntes illuc suscéptæ sunt peregrinatiónes. Ægúlpho sacra ossa deferénti ágmina Monachórum cum plebe territórij Aurelianénsis usque in viam quæ dícitur vetus Floríacum óbviam iérunt; exceptáque magno cum honóre

honóre in Basilicâ Floriacénsi condidérunt: circa médium séptimi sæculi. Eódem témpore Cenomanénses quidam qui Ægúlpho sócij fúerant itíneris: sanctæ Scholásticæ Relíquias Cenómanum detulérunt.

DIE XII. JULII.

S. Viventioli Lugdunensis Episcopi & Confessoris. trium Lectionum.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. iij. Lect.

Oratio. Da quæsumus. lxxviij. *Hæc Oratio dicitur ad Vesperas, Laudes, & Tertiam.*

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

SAnctus Vivētíolus jam Présbyter, aliquándiu vixit in Cœnóbio Jurénsi, quod à sepúlto illic sancto Cláudio Vesuntionénsi nomen ejus retínuit; dein ob præclára doctrínæ & sanctimóniæ décora Ecclésiæ Lugdunénsi (ineúnte sæculo sexto) præféctus est: ubi máxima pastorális officij lúmina exéruit. Nōnúllis Ecclésiæ Gallicánæ Concíliis signánter verò Epaonénsi ad Rhódanum non procul Béllico; farciéndæ sincéræ pietátis & vindicándæ sacræ disciplínæ causâ congregátis: velut clarum sanctitátis & sapiéntiæ sydus intérfuit. Agaunénsis Monastérij (in Vallésia) cujus locus nobilitátus fuit martyrio sancti Maurícij & sociórum: fundatiónem aut certè instauratiónem suo hortátu à piíssimo Burgundiónum Rege Sigismúndo obtínuit. Huic regéndo sanctū Ambrósium Monastérij Insulæ Bárbaræ Abbátem & magnis virtútibus clarum ob religiónis egrégiæ normam transferéndum curávit; demùm cùm gregi suo conversatióne puríssimâ & vigilánti procuratióne cœléstis pátriæ viam indicásset: felíciter obdormívit in Christo. Honorífícam habet ejúsdem mentiónem beátus Agobárdus & insígnes áliquot sancti Avíti Viennénsis Epíscopi ad ipsum extant Epístolæ.

DIE XIV. JULII.

S. Bonaventuræ Episc. & Confess. & Eccles. Doct. Semid. minus.

In majori Ecclesia celebratur die Dñica qua à Clero

Clero ejusdem Ecclesiæ fit Processio ad Ecclesiam sub hujus Sancti nomine dedicatam.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Bonaventúram minístrum tribuísti: præsta quæsumus; ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris: intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Hæc Oratio dicitur ad Vesperas, Laudes, & Tertiam.

In *primo Nocturno.*

Lectiones de Script. occurr.

In *secundo Nocturno.*

Lectio iv.

BOnaventúra Balneorégij in Etrúria natus, cùm infans incidísset in vitæ periculum; mater ejus vovit: si inde evasísset, se eum religióso Ordini beáti Francísci dicatúram. Anno ítaque ætátis suæ vigésimo secúndo in órdinem Patrum Minórum adscríbi vóluit: ubi Alexándro Alénsi insígni Doctóre Parisiénsi Magístro usus, tantos progréssus fecit; ut séptimo post anno libros sententiárum in Académia Parisiénsi summa cum laude sit interpretátus: & láuream doctorálem adéptus. Miníster generális séptimus post sanctum Francíscum eléctus; Ordinem in Províncias & Custódias divísit: & singulárem in ejus administratióne prudéntiam ac sollicitúdinem adhíbuit. Multa scripsit; in quibus summam eruditiónem cum pari pietátis ardóre conjúngens: lectórem docéndo movet. Archiepiscopátum Eboracénsem in Anglia sibi à Cleménte quarto oblátum recusávit.

℞. Dñe quinque. lxxxv.

Lectio v.

CUm autem Gregórius décimus Cleméntis succéssor, Concílium generále Lugdunénse secúndum convocásset, cui præfuit, Bonaventúram ad se vocávit; quem ídeò honóres licèt refugiéntem in Cardinálium Collégium, & Episcopórum órdinem statim cooptávit: novo eũ propter exímias virtútes exémplo præfíciens Ecclésiæ Albanénsi quæ non nisi antiquió

antiquióribus Cardinálibus commítti ántea solébat. His amplíssimis dignitátibus méritò auctus, velut præfúlgidum Ecclésiæ sydus in propugnándâ Cathólicâ fide & geréndis rebus difficíllimis egrégiam in Concílio præstitit óperam. Pravas Græcórũ Schismaticórum opiniónes acérrimè confutávit; ejúsque zelo, doctríná & oratiónibus, subláto schísmatis dissídio Míchaël Palæólogus Græcórum Imperátor, Orientaléśque natiónes ad Apostólicæ sedis Communiónem líberè rediérunt.

℟. Justus. lxxxvj. *Lect. vj.*

IN eódem Concílio cum pari sanctitáte atque óperum fructu perseveráret; & inexháustos pro Ecclesiâ Dei labóres subíret tãdem anno ætátis suæ quinquagésimo tértio vitæ múnere sanctíssimè perfúnctus è córporis vínculis ad cœlos repentíno occásu vocátus est. Corpus ejus ingénti honóre in sui órdinis Basílicâ tumulátum est omnium láchrymis perfúsum est ejus funus: Græcis simul ac Latínis conclamántibus: Cécidit colúmna Christianitátis. Porrò exímia miraculórum claritáte ante & post óbitum effúlsit; infántem mórtuum suscitávit: ægros multos liberávit. Eum in Sanctórum número rétulit Sixtus quartus, & inter Doctóres Ecclésiæ renunciávit Sixtus quintus; Martyrij láureã post mortem consecútus est sacris illustríssimi orthodóxæ Fídei & Ecclesiásticæ unitátis assertóris relíquiis, superióri sæculo ab ímpiis Calvinístis effóssis; igne in público succénsis; & cinéribus in profluéntem Rhódanum jactátis Cápite dumtáxat non sine miráculo eórum immanitátis subdúcto, quod etiámnum asservátur in eádem æde Divi Francísci; exínde ab eo denomináta Ecclésiâ sancti Bonaventúræ & magno cívium Lugdunénsium, quorum beneficiis máximis & tutéla singulári patrónus est amantíssimus concúrsu votórum simul & gáudij cólitur.

℟. Stola jocũditátis. lxxxvj

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit; in quo saliétur? ad níhilum valet ultra nisi ut mittátur foras: & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Et réliqua.

Homília sancti Bonaventúræ Epíscopi.

De sex aliis Seraphim.

Ala 4.

SIt Sacérdos & Doctor exemplaris in vitâ. Ipsa namque debet cæteris esse norma vivéndi: ut quæ docet verbis, osténdat actiónum figúris; sicut qui Geométriam docet, pingit in sábulo figurárum demonstratiónes; ut quod dicit, mélius capiátur: nam dícitur in actis. Cœpit Jesus fácere & docére. Et álibi: Exémplum enim dedi vobis; ut quemádmodum ego feci vobis: & vos ita faciátis. Gédeon ait suis. Quod me fácere vidéritis: hoc fácite. Quamvis ígitur non solùm in præfátis, sed in ómnibus virtútum exémplis débeat rector præcédere súbditos: speciáliter tamen in his tribus. Scílicet in communis observántiæ conformitáte; in mansuetúdinis humilitáte: & in maturitátis honestáte. Unde Apóstolus: In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum; in doctrína; in integritáte: & in gravitáte.

℟. Cibávit illum Dóminus. lxxxix.

Lectio viij.

BOni Magístri bonos discípulos fácere consuevérunt; ut frequéntiùs multi fierent melióres in religiónibus & in Ecclésia: si melióris vitæ eis exémpla à suis auctóribus proponeréntur. Negligéntia verò hujúsmodi ab illis qui culpábiles sunt districte in judício requirétur: nam Dóminus dicit. Ecce ego ipse super pastóres requíram gregem meum de manu eórum. Doctrína verbórum sine exémplis óperum: est sicut cœméntum sine calce áridum & inválidum. Ipsi liniébant paríetem absque temperaménto: dic eis quòd casúrus sit. De corréctis exempláribus corrécta scribúntur volúmina: de corrú-

ptis

ptis corrúpta. Tenáciùs inhæret doctrína óperum quàm verbórum. Nam cujus vita despícitur : restat ut ejus prædicátio contemnátur. Rector enim præcípuè ad hoc studére debet, ut sibi commíssos fáciat Christifórmes ; id est, formam vitæ ad doctrínam Christi eis ímprimat ; ut non solùm mente eum attèndant : sed & móribus imiténtur.

℟. Justum dedúxit Dóminus. xc.

Lectio ix.

VIcárius enim Christi vicem Christi debet gérere in beneplácitì ejus promotióne ; in potestátis ejus auctoritáte ; & in similitúdinis ejus repræsentatióne ; scílicet ut ea quæ vult, promóveat in súbditis & ejus auctoritáte illa possit quæ eis expédiunt : & eum se imitábilem illis móribus & vita demónstret, idem dicénte Apóstolo álibi. Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum : nos autem servos vestros per Jesum. Ille verò seípsum & non Christum prædicat ; qui glóriam própriam quærit dicéndo : & qui malis exémplis se pótiùs quàm Christum íngerit súbditis imitándum. Nam dicit Apóstolus. Æmulántur vos non bene sed exclúdere vos volunt, ut illos æmuléminì ; hoc est, non bono zelo præsunt vobis, qui per sua prava exémpla exclúdunt vos ab imitatióne Christi : ut mores eórum discátis, & exémpla sequámini.

℟. In médio Ecclésiæ. xcj.

DIE XVII. JULII.

SS. Sperati & Sociorum Martyrum.

In majori Ecclesia semiduplex majus, in aliis trium Lectionum.

Oratio. Deus qui nos concédis. lvj.

Hæc Oratio dicitur ad Laudes, Vesp. & Tertiam.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ubi fit tantum iij. Lectionum dicitur prima Lectio de Scriptura occurrente, secũda & tertia de Sanctis & ex duabus primis

hujus secundi Nocturni sit una, & pro tertia legitur sexta Lectio infertus hic posita.

Ex actis proconsularibus Martyrum Scillitanorum. Apud Baronium ad annum Christi. 202.

Lectio iv.

CArthágine Metrópoli, statúto Forénsi convéntu præcepérunt magistrátus adstáre sibi Sperárum; Narzálem; Cíttinum; Donátam: Secúndam, & Vestínam. Saturnínus procónsul dixit; Potéstis véniam à Dóminis nostris Imperatóribus Sevéro & Antoníno promeréri: si bono ánimo convérsi fuéritis ad Deos nostros. Sperátus dixit: Dóminum verum & regem adorámus. At Saturnínus; Per génium Imperatóris jurávit ut sibi próvidi, Imperatóri obsequeréntur. Cui Sperátus; Ego Imperatóris mundi génium néscio: sed cœlésti Deo vero sérvio. Sequénti die, Saturnínus procónsul sedens pro tribunáli, eos præsentári jubet; & dicit Sperato: An in confessióne Jesu Christi malè sápiens persevéráret. At Sperátus voce intrépida respóndit; Etiam persevéro: & omnes audíte quia Christiánus sum. Audiéntes omnes qui cum illo reténti fúerant; consensérunt confessióni illíus, dicéntes: Sumus & nos páriter Christiáni.

℟. Cùm vos óderint. lxij.

Lectio v.

PRocónsul videns ipsórum mentis stabilitátem & fidei firmitátem; dedit in eos senténtiam per exceptórem, dicens sic: Sperátum, Narzálem, Donátam, & Secúndam, Christiános se esse confiténtes; & Imperatóri honórem & dignitátem dare recusántes: cápite truncári præcípio. Hæc cùm essent ex tabéllâ recitáta: Sperátus & qui cum eo erant omnes dixérunt; Deo grátias conférimus: qui dignátur nos hódie Mártyres accípere in cœlis pro confessióne suâ. His dictis, ducti sunt, & flexis génibus unanímiter; cùm íterùm grátias Christo ágerent: truncáta sunt singulórum cápita. Consummáti sunt Mártyres Christi mense Júlio; die

séptimo

séptimo décimo: & intercédunt pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.

℟. Effudérunt sánguinem. lxiij.

Ex Martyrologio S. Adonis Episc. Viennensis.

Ad diem 14. Septembris.

Lectio vj.

POst multa currícula annórum, gloriosíssimo Cárolo Francis Imperánte: ejus legáti ab Aaróne Persárum Rege reverténtes; & per Cartháginem dírutam transeúntes; inter cætera múnera beáti Speráti relíquias: cum óssibus sancti Cypriáni Carthaginénsis Epíscopi & Mártyris, & cápite beáti Pantaleónis Mártyris, in Gállias attulérunt. Quæ pretiósa pígnora Lugdúnum ex Areláte, ubi primùm appelléntes legáti constíterant, deportáta; & annuénte glorióso Imperatóre précibus venerábilis Leidrádi Lugdunénsis Epíscopi; ibídem ingénti cultu & ornátu repósita sunt: ac in majóri Ecclésiâ beáti Joánnis Baptístæ, & sancti Mártyris Stéphani, ad deffensiónem cívium; Deo id misericórditer operánte: post venerábile & sanctum altáre à sancto Epíscopo decentíssimâ sepultúrâ recóndita sunt. Sed post interpósito témpore regnánte glorióso rege Cárolo Ludovíci Imperatóris Fílio; íterum relíquiæ beáti Cypriáni ad Monastérium novum quod augústo ópere constrúxit in Compéndio palátio suo: eo jubénte translátæ sunt.

℟. Adoravérunt. lxiij.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 5.*

IN illo témpore: Videns Jesus turbas ascéndit in montem; & cùm sedísset: accessérunt ad eum discípuli ejus. Et apériens os suum, docébat eos, dicens; Beáti páuperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cœlórum.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 15. in Matthæum.

COnsiderémus, fratres, contémptum honóris & glóriæ. Neque enim circumducébat eos; sed quandóquidem petébat rátio curándi, ipse ómnia circumíbat: vísitans urbes at-

que regiónes. Quando verò plúrima ad eum multitúdo colléƈta eſt, uno in loco réſidet; & non in urbis foríque médio, ſed in monte atque deſérto: nos vidélicet erúdiens, nihil ad oſtentatiónem noſtri fácere; ſed à cunctis pótiùs tumúltibus liberári: & præcípuè cùm philoſophándum eſt, ac de rebus sériis diſſeréndum. Cùm autem aſcendíſſet ac ſedíſſet: contínuò ad eum acceſsére diſcípuli. Vidiſti ipsórum virtútis augméntum: & quemádmodum ſint facti repénte melióres. Nam ſignórum quidem ſpectatóres erant plúrimi: iſti verò étiam audíre magnum áliquid ac ſublíme cupiébant.

℟. Sancti tui Dómine. lxvi.

Lectio vij.

APériens, inquit, os ſuum docébat eos. Et cujus rei grátiâ vidétur adjúnctum, apériens os ſuum? ut proculdúbio díſceres, quia non cùm loquerétur modò, verumétiam cùm tacéret, docébat; nunc quidem os apériens: nunc verò ipſis vocem opéribus eméttens. Cùm verò audis, docébat; ne opinéris ſolis eum loquútum eſſe diſcípulis: ſed per illos & cæteris. Quia enim erat adhuc multitúdo illa vulgáris, totáque terréna; conſtítuens ante ſe diſcipulórum chorum, ad ipſos verba facit: quo eos ſermóne allóquitur, réliquis étiam ómnibus; quorum mens à diſcendórum ſublimitáte quã longíſſime abéſſet: nihil gravem philosóphiæ doctrínam præſtans.

℟. Anima noſtra. lxvij.

Lectio ix.

QUi ſunt páuperes Spíritu? húmiles ſcílicet mente, atque contríti ſpíritu. Spíritum hic enim pôſuit pro ánima & voluntáte. Quia enim ſunt húmiles plúrimi non ſuâ ſponte ducti, ſed neceſſitáte rerum coácti; relínquens hujúſmodi (neque enim hoc inter laudánda numerándum eſt) eos qui ſe humíliant & cómprimunt voluntáte: primos beátos appéllat. Et quam ob cauſam non húmiles vóluit appelláre, ſed páuperes? quia hoc illo útique præſtántius eſt. Síquidem illos hic mémorat; qui metu pávidi ſunt: ac Dei præcépta contremíſcunt.

cunt. Quos per Isáïam prophétam Deus amánter excípiens ⁝ dicebat. Super quem requiéscam nisi super húmilem & quiétum, & treméntem sermónes meos?

℟. Laudáte Gentes. lxvij.

DIE XVIII. JULII.

Sanctæ Symphorosæ & septem filiorum ejus Martyrum. iij. Lectionum.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Symphorósæ & filiórum ejus natalítia cólere ⁝ da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Lectio prima de Scriptura occurrente.

Lectio ij.

SYmphorósa Tiburtína Getúlij Tribúni & mártyris uxor ⁝ ex eo septem filios péperit; Crescéntium, Juliánum, Neméśium; Primitívum, Justínum, Stácteum, Eugénium; qui omnes propter Christiánæ fidei professiónem unà cum matre, Adriáno Imperatóre cõprehénsi sunt ⁝ & divérso mortis éxitu Martyrium complevérunt. Horum neci occasiónem præbuit vicínia celebérrimi palátij quod in villâ Tiburtínâ sibi ad delícias ædificávit Adriánus. Cùm enim illud piaculáribus cerémoniis lustrári jussísset; hanc occasiónem arripuére Pontífices, illam incusándi ⁝ nihil omninò diis placitúrum esse, nisi prius ipsa aut iis sacrificáret, aut ipsa sacrificarétur ⁝ quod últimum Adriánus, quem superstitiosiórem ex áliis plúribus ejus factis fuisse constat, executus est ⁝ sub impérij sui primórdia, quo témpore plúrimas cædes fecit.

Lectio iij.

SYmphorósa verò quæ filiis magístra fidei fúerat ⁝ dux eísdem ad Martyrium éxtitit. Jussu enim Imperatóris ad fanum Hérculis ducta; ibi primò álapis cæsa; tum capíllis suspénsa; demùm ingénti saxo ad collum alligáto in flumen projécta est ⁝ cujus corpus, frater ejus cólligens, sepelívit. Postrídiè Adriánus jussit septem ejus filios circa Hérculis tem-

plum tot stipítibus affigi: & ad tróchleas exténdi. Tunc ibídem Crescéntio guttur transfígitur, Juliáno pectus confóditur; Neméſio cor transverberátur, Primítivo trajícitur úmbilicus; Justínus in dorso perforátur, gládio Stácteus in látere vulnerátur: Eugénius à summo usque deórsum finditur. Córpora in altam fóveam projécta; póstea Romam transláta: tandem Pio quarto summo Pontífice in Diacónia sancti Angeli in piscína invénta fuérunt.

DIE XX. JULII.

S. Margaritæ Virginis & Mart. Semid. Majus.

Omnia de Communi Virginum.

Orémus. *Oratio.*

INdulgéntiam nobis Dómine quæsumus Beáta Margaríta virgo & Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxtitit & mérito castitátis & tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BEáta & præclára virgo Margaríta quam Græci Marínam vocant ex Antiochía Pisídiæ nóbili génere oriúnda patrem hábuit Ædísium; qui fuit illis tempóribus vel máximè insígnis idolórum Sacérdos: Julianíque Apóstatæ charus. Mater ejus, ante tempus è vitâ sublátâ, nutríci honéstis planè móribus fœminæ alénda tráditur; quæ cùm ab ipsâ honorífice haberétur; brevi & nutrícis vigilántia & ínsitâ índolis bonitáte eo pervénit: ut nulla re magis, quàm vitæ integritáte, ánimus ejus oblectarétur. Hinc cùm adúltâ paulátim esset ætáte: cœpit Christianórum disciplínam quam ómnibus virtútum ornaméntis decorátam audíverat veheménter adamáre; seséque totam eídem consecráre: furórem patris non pertiméscens.

℞. Dilexísti justítiam. cxxij.

Lectio v.

AT Ædísius qui incredíbili idolórum superstitióne conflictabátur: cùm nullis vel blandítiis vel minis eam à Christi confessióne abdúcere posset; Olybrio oriéntis præsidi hómini crudéli trádidit: ut

vi mala coáctam, ad inánium deórum cultum impélleret. Olybrius autem, quamquam naturáli esse rátus sævítiâ primo vírginis conspéctu; ejus exímiâ pulchritúdine captus, ita emollítus est: ut eam uxórem dúcere decérneret. At Margaríta blandis ejus sermonibus tentáta tam præclára respónsa dedit: ut Præses fácile intellígeret; nullis blandítiis ejus in Christum fidei ratiónem posse expugnári aut flecti: decrévit ítaque eam váriis torméntis ággredi. Nec mora; Virgo sancta humi prostráta virgis atrocíssimè cæditur: dicens ad præsidem. Spíritu Christi roboráta, nihil tua torménta tímeo; quo dicto ira fervens Olybrius, æreis conclúsam láminis, clavísque confixam: férreis fúscinis eam íterùm cædi jussit; cùmque diu laniáta omni córporis decóre exúta jam esset: in cárcerem abdúci præcépit.

℟. A dextris est mihi cxxij.

Lectio vj.

IBi Virgo sanctíssima summis dolóribus afflícta ardentíssimas preces Christo óbtulit: ejus misericórdiã implorans. Tum repéntè magno terræ motu excitáto; diábolus in spécie terríbilis dracónis ejus óculis adstans, & eam circumcúrsans: celerem intolerábili fœtóre, & vasto oris hiátu, ei minabátur éxitum. At illa mente in Deum stábili, signóque crucis se consígnans; profligáto dracóne, imménso lúmine circúmdata fuit: simúlque ab ómnibus plagis curáta; tanto ínsuper gáudio perfúsa: ut se in cœlis constitúta existimáret. Sequénti die præses in rábiem convérsus; lampádibus pectus, lateráque ejus adúri jussit: ac deínde vinctam in magnum lebétem aquâ plenum cónjici ac suffocári. Martyr verò cùm nondum se sacris aquis lustrátam recordaretur; Jesum Christum precáta est: ut præsénti suo número aquas illas sacráret animíque sordes cœlésti lavácro expiáret. Indè cùm salva evasísset; tandem ab ímpio Olybrio pronuntiátâ in eam cápitis senténtiâ: decertatiónis suæ cursum

gloriósè perégit médio sæculo quarto.

℟. Induit me Dóminus. cxxiij.

In tertio Nocturno.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

In Evangelium.

Símile est regnum cœlórum thesáuro.

Vt in Communi Mulierum sanctarum. cxlij.

℟. vij. Quæ est ista. cxxvj.

℟. viij. Surge própera. cxxvj.

℟. ix. Laudáte Dóminum. cxxvij.

DIE XXI. JULII.

S. Praxedis Virginis.

iij. Lectionum.

Oratio. Indulgéntiam nobis Dómine beáta Praxédes Virgo, &c. cix.

Hæc Oratio dicitur ad Vesperas, Laudes, & Tertiam.

Omnia de Communi Virginum.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Ex Martyrol. S. Adonis Episcopi Viennensis.

Lectio iij.

12. Kaléndas Augústi.

PRaxédes virgo Romána cum soróre sua Potentiánâ, vel Pudentiánâ à sanctíssimo patre Pudénte qui fuit edóctus in fide ab Apóstolo Paulo: in omni castitáte & lege divínâ erudíta; post tránsitum paréntis, vigíliis & oratiónibus atque jejúniis asſíduè vacans: omne patrimónium suum in sustentatióne páuperum & Christi Sanctórum erogávit. In título verò quem eárum pater Pudens, nómine beáti Pastóris dedicávit; unà cum consílio beáti Pij Sedis Apostólicæ Epíscopi: fontē Baptísmi constrúere soror & ipsa studens, ut família eórum die sancto Paschæ baptizarétur. Quos ad nonagínta sex número manu beátus Pius aquis salutáribus ábluit. Inde post innúmera pietátis ópera; post multórum Mártyrum sepultúras; inter quos beátum Symmétrium Presbyterum cum áliis vigintiduóbus apud títulum supradíctum mánibus suis sepelívit: qui per martyrij palmam ad regna cœlórum transíerant; éadem sanctíssima Virgo migrávit ad Dóminum: corónam justítiæ receptúra. Sepúlta in cœmetério

tério Priscíllæ via Saláriâ juxta sorórem suam atque sanctum patrem Pudéntem pósita. Obiit Marco Aurélio imperánte.

DIE XXII. JULII.

Sancta Maria Magdalena.

Duplex minus.

Ad Vesperas Antiphonæ de Laudibus, María stans ad monuméntum. 143.

Psalmi de B. Maria, ut in Offic. parvo. clxxxiij.

Capitulum. Cant. 3.

SUrgam & circuíbo civitátem; per vicos & platéas ⁒ quæram quem díligit ánima mea.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde prósperè, procéde & regna.

Ad Magnificat, Aña. In diébus illis: múlier quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quòd Jesus accúbuit in domo Simónis leprósi áttulit alabástrum unguénti; & stans retrò secùs pedes Dómini Jesu, láchrymis cœpit rigáre pedes ejus, & capíllis cápitis sui tergébat, & osculabátur pedes ejus & unguénto ungébat. *Duplicat.*

Orémus. *Oratio.*

LArgíre nobis clementíssime Pater; quòd sicut beáta María Magdaléne Dóminum nostrum super ómnia diligéndo suórum obtínuit véniam peccáminum ⁒ ita nobis apud tuam misericórdiam sempitérnam ímpetret beatitúdinem. Per Dóminum.

Processio ad Capellam S. Mariæ Magdalenæ.

℟. Cùm transísset Sábbatum. 538.

Ad ij. Magnificat, Aña. María ergo unxit pedes Jesu & extérsit capíllis suis, & domus impléta est ex odóre unguénti.

Orémus. *Oratio.*

BEátæ Maríæ Magdalénæ quæsumus Dómine suffrágiis adjuvémur; cujus précibus exorátus ⁒ quatriduánum fratrem Lázarum vivum ab ínferis resuscitásti. Qui vivis & regnas, &c.

Ad Complet. Hymn. Fortem viríli péctore. cxxxvij.

Ad Matutinum. Invitat. Regem regum Dóminum venite adorémus, quia ipse est coróna Maríæ Magdalénæ. *Psal.* Veníte exultémus.

In primo Nocturno.

Antiphona. In diébus illis, *ut suprà.* *Psalm.* Dómine

Dóminus noster. cxv.

Aña. Quid moléfti eftis huic mulíeri? opus enim bonum operáta eft in me. *Psalm.* Consérva me Dómine. cxvj.

Aña. Quàm pulchri sunt gressus tui calciaménti filia Príncipis. *Psal.* Dómini est terra. cxvij.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde prósperè, procéde & regna.

De Cánticis Canticórum.

Lectio j. Cap. 3.

IN léctulo meo per noctes quæsívi quem díligit ánima mea; quæsívi illum: & non invéni. Surgam, & circuíbo civitátem; per vicos & platéas quæram quem díligit ánima mea: quæsívi illum, & non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem; num quem díligit ánima mea vidístis? Páululum cùm pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam; donec introdúcam illum in domum matris meæ: & in cubículum genitrícis meæ.

℟. Cùm transísset Sábbatum María Magdaléne & María Jacóbi & Salóme emérunt arómata: * Ut veniéntes úngerent Jesum, allelúia, allelúia.

℣. Et valdè manè unà Sabbatórum véniunt ad Monuméntum orto jam sole. Ut veniéntes.

Lectio ij. Cap. 8.

QUis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ; ut invéniam te foris & deósculer te, & jam me nemo despíciat? Apprehéndam te, & ducam in domum matris meæ; ibi me docébis, & dabo tibi póculum ex vino condíto: & mustum malórum granatórum meórum. Læva ejus sub cápite meo: & déxtera illíus amplexábitur. Adjúro vos filiæ Jerúsalem: ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam donec ipsa velit.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam ascendéntem désuper rivos aquárum cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus: * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum & lília convállium.

℣. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit & recéssit. Et sicut dies.

Lectio iij.

QUæ est ista quæ ascéndit de desérto delíciis áffluens; inníxa super diléctum suum? sub árbore malo suscitávi te, ibi corrúpta est mater tua: ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchiũ tuum; quia fortis est ut mors dilé ctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis atque flammârum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem: nec flúmina óbruent illam.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, & sicut cypréssus in montem Sion, quasi myrrha eléćta: *Dedi suavitátem odóris. ℣. Sicut cinnamómum & aspártum aromatízans. Dedi suavitátem. Glória Patri. Dedi suavitátem.

In secundo Nocturno.

Aña. Spécie tua & pulchritúdine tua, inténde pró sperè procéde & regna. *Psal.* Eructávit cor. cxix. *Aña.* Adjuvábit eam Deus vultu suo Deus in médio ejus non commovébitur. *Psal.* Deus nostrum refúgium. cxx. *Aña.* Mittens hæc múlier in corpus meum hoc unguéntum ad sepeliéndum me fecit. *Psal.* Magnus Dóminus & laudábilis. cxx.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non cõmovébitur.

Sermo S. Gregórij Papæ.

Homilia 25. in Evang. post init. *Lectio iv.*

PEnsándum est hujus mulíeris mentem quanta vis amóris accénderat; quæ à monuménto Dómini, étiam discípulis recedéntibus: non recedébat. Exquirébat quem non invénerat; flebat inquiréndo, & amóris sui igne succénsa, ejus quem sublátum crédidit: ardébat desidério. Unde cóntigit, ut eum sola tunc vidéret, quæ remánserat ut quæreret; quia nimírum virtus boni óperis perseverántia est, & voce veritátis dícitur: Qui persever verit usque in finem, hic salvus erit.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem & mansuetúdinem & justítiam, & dedúcet te

mirabíliter déxtera tua. Proptérea.

Lectio v.

MAría cùm fleret inclinávit se: & prospéxit in Monuméntum. Certè jam monuméntum vácuum víderat; jam sublátum Dóminum nuntiáverat: Quid est quod se íterum inclínat, íterum vidére desíderat? sed amánti semel aspexísse non súfficit: quia vis amóris intentiónem multíplicat inquisitiónis. Quæsívit ergo priùs & mínimè invénit; perseverávit ut quæreret unde & cóntigit ut inveníret; actúmque est ut desidéria diláta créscerent: & crescéntia cáperent quod invenissent. Hinc est enim quod de eódem sponso, Ecclésia in Cánticis Canticórum dicit. In léctulo meo per noctes quæsívi quem díligit ánima mea: quæsívi illum & non invéni; surgam & circuíbo civitátem: per vicos & platéas quæram quem díligit ánima mea. Diléctũ namque in léctulo quærimus, quando in præséntis vitæ aliquántulâ réquie, Redemptóris nostri desidério suspirámus; per noctem quærimus, quia & si jam in illo mens vígilat: tamen adhuc óculus calígat. ℞. Induit me Dóminus vestiménto salútis & induménto lætítiæ circúmdedit me: * Et tamquam sponsam decorávit me coróna. ℣. Gaudens gaudébo in Dómino, & exultábit ánima mea in Deo meo. Et tamquam.

Lectio vj.

SEd qui diléctum suum non invénit, restat ut surgat, & civitátem circúmeat; id est, sanctam electórum Ecclésiam mente & inquisitióne percúrrat: per vicos eum & platéas quærat, id est, per angústa & lata gradiéntes aspíciat; ut si quà inveníre in eis váleat ejus vestígia, exquírat: quia sunt nonnúlli étiam vitæ sæculáris, qui imitándum áliquid hábeant de actióne virtútis. Quæréntes autem nos vígiles invéniunt, qui custódiunt civitátem; quia sancti Patres qui Ecclésiæ statum custódiunt bonis nostris stúdiis occúrrunt: ut suo vel verbo, vel scripto nos dóceant. Quos cùm

páululùm pertransímus, invenímus quem diligimus; quia Redémptor noster, etsi humilitáte homo inter hómines, divinitáte tamen super hómines fuit: cùm ergo transeúntur vígiles, diléctus invenítur.

℟. Angelus Dómini descéndit de cœlo & accédens revólvit lápidem & super eum sedit & dixit muliéribus. Nolíte timére scio enim quia crucifíxum quæritis: * Jam surréxit veníte & vidéte locum ubi pósitus erat Dóminus, allel. ℣. Et exiérunt citò de monuménto cum timóre & gáudio magno curréntes nuntiáre discípulis. Jam surréxit. Glória Patri. Jam surréxit.

In tertio Nocturno.

Aña. Surge áquilo & veni auster persla ortum meum & fluent arómata illíus. *Psalm.* Fundaménta ejus in móntibus. cxxiij.

Aña. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit exíte óbviam ei. *Psal.* Dóminus regnávit. cxxiv.

Aña. María ergo unxit pedes Jesu & extérsit capíllis suis & domus impléta est ex odóre unguénti. *Psalm.* Cantáte Dómino. cxxiv.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo témpore: Rogábat Jesum quidam de Pharisæis ut manducáret cum illo: & ingréssus domum Pharisæi discúbuit. Et ecce múlier quæ erat in civitáte peccátrix; ut cognóvit quòd accubuísset in domo Pharisæi: áttulit alabástrum unguénti. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Homil. 23. inter quinquaginta Homil.

EVangélium cùm legerétur; attentíssimè audístis: & res gesta narráta atque versáta est ante óculos cordis vestri. Vidístis enim non carne, sed mente; Dóminum Jesum Christum in domo Pharisæi recumbéntem: & ab illo invitátum non fastidiéntem. Vidístis étiam in civitáte mulíerem famósam, mala útique fama; quæ erat

peccátrix:

peccátrix: non invitátam irruísse convívio, ubi suus médicus recumbébat; & quæsísse pia impudéntia sanitátem: írruens quasi importúna convívio, opportúna benefício. Nóverat enim quanto morbo laboráret; & illum ad sanándum esse idóneum: ad quem vénerat, sciébat.

℟. María Magdaléne & áltera María ibant dilúculo ad monuméntum: Jesus quem quæritis non est hic surréxit sicut locútus est: * Præcédit vos in Galilæam ibi eum vidébitis, allelúia, allelúia. ℣. Citò eúntes dícite discípulis ejus quia surréxit Dóminus. Præcédit.

Lectio viij.

ACcéssit ergo non ad caput Dómini, sed ad pedes; & quæ diu malè ambuláverat: vestígia recta quærébat. Priùs fudit lácrymas cordis; & lavit Dómini pedes obséquio confessiónis; capíllis suis tersit; osculáta est, unxit: tácita loquebátur: non sermónem promébat, sed devotiónem ostendébat. Quia ergo tétigit Dóminum rigándo; osculándo; tergéndo; ungéndo pedes ejus: Pharisæus, qui inviváverat Dóminum Jesum Christum; quia ex illo génere erat hóminum superbórum de quibus Isáia Prophéta dicit: qui dicunt: Recéde longè à me, noli me tángere; quóniam mundus sum: putávit Dóminum nescísse mulíerem.

℟. Angelus Dómini locútus est mulíeribus dicens: Quem quæritis? an Jesum quæritis? jam surréxit: * Veníte & vidéte, allelúia, allelúia. ℣. Ecce præcédit vos in Galilæam ibi eum vidébitis sicut dixit vobis. Veníte.

Lectio ix.

O Pharisæe invitátor, & irrísor Dómini; Dóminum pascis, & à quo pascéndus sis non intélligis? unde scis Dóminum nescísse quæ fúerit illa múlier, nisi quia permíssa est accédere? nisi quia illo patiénte osculáta est pedes ejus; nisi quia tersit, nisi quia unxit? Hæc enim non débuit permítti fácere in pédibus mundis múlier immúnda? ad illíus ergo Pharisæi pedes, si talis múlier accessísset dictúrus erat, quod Isaias de tálibus

bus dicit: Recéde à me, noli me tángere, quóniam mundus sum. Accéssit autem ad Dóminum immúnda, ut redíret munda; accéssit ægra, ut redíret sana: accéssit conféssa, ut redíret proféssa.

℟. Tulérunt Dñm meũ: & néscio ubi posuérunt eum: dicunt ei Angeli: * Múlier quid ploras? surréxit sicut dixit: præcedit vos in Galilæam, ibi eum vidébitis, allel. all. ℣. Et vidit duos Angelos in albis sedéntes, unum ad caput & unum ad pedes, ubi pósitũ fúerat corpus Jesu, & dicũt ei. Múlier. Te Deum laudámus.

Ad Laudes, *Aña*. María stans ad monuméntum plorans vidit Angelos in albis sedéntes ubi pósitum fúerat corpus Jesu, allelúia. *Psal.* Dñs regnávit. *cum reliq. de Dominica.* 20.

Aña. Tulérunt Dóminum meum & néscio ubi posuérunt eum: si tu sustulísti eum, dícito mihi, allelúia, & ego eum tollam, allel.

Aña. Venit María núntians discípulis quia vidi Dóminum, allelúia.

Aña. Ite nuntiáte frátribus meis, allelúia, ut eant in Galilæam ibi me vidébunt allelúia, allelúia, allelúia.

Aña. Citò eúntes dícite discípulis; Quia surréxit Dóminus, allelúia.

Capitulum. Cant. 3.

SUrgam & circuíbo civitátem per vicos & platéas: quæram quem díligit ánima mea.

℣. Dimíssa sunt ei peccáta multa.

℟. Quóniã diléxit multũ.

Ad j. Benedictus, *Aña*. Surgens Jesus manè prima Sábbati appáruit primò Maríæ Magdalénæ de qua ejécerat septẽ dæmónia, all.

Orémus. *Oratio.*

LArgíre nobis clementíssime Pater; quòd sicut beáta María Magdaléne Dóminum nostrum super ómnia diligéndo suórum obtínuit véniam peccáminum: ita nobis apud tuam misericórdiam sempitérnam ímpetret beatitúdinem. Per eúmdem.

Processio in Capella beatæ Mariæ Magdalenæ.

℟. j. María Magdal. 542.

Ad ij. Benedictus, *Aña*. Mittens hæc múlier. 539.

Orémus. *Oratio.*

BEátæ Maríæ Magdalénæ quæsumus Dómine

ne suffrágiis adjuvémur: cujus précibus exorátus quatriduánum fratrem Lázarum vivum ab ínferis resuscitásti. Qui vivis & regnas.

Ad Tertiam, Capitulum. Surgam & circuíbo 543.

℟. Spécie tua & pulchritúdine. cxxviij.

Oratio. Largíre nobis clementíssime. 537.

Ad Sextam. Capit. Cant. 3.

INvenérunt me vígiles qui custódiunt civitátem; num quem díligit ánima mea vidístis? Páululùm cùm pertransíssem eos: invéni quem díligit ánima mea.

℟. Adjuvábit eam Deus. cxxviij.

Orémus, *Oratio.*

BEátæ Maríæ Magdalénæ, quæsumus Dómine, suffrágiis adjuvémur: cujus précibus exorátus quatriduánum fratrem Lázarum vivum ab ínferis resuscitásti. Qui vivis & regnas.

Ad Nonam, Capit. Cant. 3.

ADjúro vos fíliæ Jerúsalem; si invenéritis diléctũ meum: ut núntiétis ei, quia amóre lángueo.

℣. Diffúsa est. cxxviij.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos ánnua beátæ Maríæ Magdalénæ solemnitáte lætíficas; da, ut quam venerámur officio: étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Ad Vesperas, Antiphona. De Laudibus. María stans. *Psal. de B. Maria.* clxxxiij.

Capitulum. Surgam & circuíbo. 543.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prospérè, procéde & regna.

Ad Magnificat, Ana. Tulérunt Dñm meũ. 543.

Oratio, Largíre nobis clementíssime Pater. 537.

Processio de sequenti.

Responsorium secundum feriam occurrentem.

DIE XXIII. JULII.

S. Apollinaris Episcopi & Mart. iij. Lectionum.

Omnia de Communi unius Martyris Pont.

Orémus. *Oratio.*

DEus fidélium, remunerátor animárum qui hunc diem beáti Apollináris Martyrio consecrásti: tríbue nobis quæsumus fámulis tuis; ut cujus venerándam celebrámus festivitátem: précibus ejus indulgén

indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Lectio prima de Scriptura occurrente.

Ex S. Adon Episc. Viennēsi.

Lectio ij.

APollináris Epíscopus Romæ ordinátus ab Apóstolo Petro, Ravénnā missus est: qui étiā in Æmília prædicávit, & in pártibus Corinthiórum & in Mœsia, & in ripa Danúbij, & in pártibus Thráciæ; in quib⁹ locis exílio relegátus est: & ubicúmq; pervénit, innúmeras virtútes fecit, & passiónes sustínuit. Nam nímiâ cæde penè mactátus, & diútiùs fústibus cæsus; ac nudis pédibus super prunas impósitus, rursum cæsus; & equúleo appēsus tortus est, & saxo os ejus contúsum est: & gravíssimo ferri póndere inclúsus in cárcere horrífico; atque in ligno exténsus est: ubi ab homínibus quidē negléctus, sed ab Angelo publicè pastus est. Deínde catenátus & in exílium diréctus est: in quo rursum diútiùs fústibus cæsus; & rursus in Ravennâ ligátus; à pagánis cæsus, vulnerátus; & rursum in cárcerem missus & cæsus: sic martyriū consummávit sub Vespasiáno Cæsare.

Sermo S. Petri Chrysólogi.

Serm. 128. de S. Apollinari.

Lectio iij.

SAnctus Apollináris primo sacerdótio solus hanc Ecclésiam Ravennátem vernáculo, atque ínclyto martyrij honóre decorávit. Méritò Apollináris; quia juxta mandátum Dei sui hîc pérdidit ánimā suam: ut eam inveníret in vitam sempitérnam. Beátus qui ita cursum consummávit; fidem servávit: ut verè primus à credéntibus suo reperirétur in loco. Nec eū quisquam Confessóris vocábulo minórē credat esse quàm mártyrē: quem Dei nutu quotidiánum & multíplicem revérsum cónspicit ad Agónem. Audi Paulū dicéntem: Quotídie mórior. Semel mori parum est eum qui potest Regi suo gloriósam sæpe de hóstibus reférre victóriam. Non tam mors quàm fides & devótio Mártyrem facit; & sicut virtútis est in ácie, in conflíctu pro regis amóre succúmbere: ita perféctæ virtútis est diu ágere, & consummáre certámina.

DIE

DIE XXIV. JULII.

Vigiliæ S. Iacobi Apostoli.

Officium fit de Feria.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Secunda Lectio, Homilia in Evangelium ut in Vigilia Apostol. in Communi. j.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut B. Jacóbi Apóstoli tui, quam prævenímus, veneránda solémnitas: & devotiónem nobis áugeat & salútem. Per.

Ex Martyrol. S. Adonis Episc. Viennensis.

Lectio iij.

CHristína virgo apud Itáliam in Tyro in Christum credens, Deos áureos Urbáni patris sui Præfécti contrívit: & paupéribus distríbuit. Ob hoc, jubénte patre álapis afflícta; verbéribus dilaniáta: ferro onústâ in cárcerē conjecta est. Cùmque alligáta rotæ, igni suppósito; & fuso désuper óleo torrerétur: erūpens flamma mille gentíliū interfécit. Iterùm cárceri trádita; Angelo visitãte sanáta est: & refécta. Deindè cum magni saxi póndere in lacum Volsínium jactáta: Angélico præsídio liberáta est. Quam succéssor patris ejus Dion multis iterùm supplíciis afflíxit; sed oránte illà, simuláchrum Apóllinis quod adoráre jubebátur, in favíllam súbitò redáctum est: quo miráculo tria míllia hóminum ad fidem Christi convérsa sunt. Novíssimè succéssor Diónis Juliánus, post fornácē candéntem ubi quinque dies illæsa permánsit; post serpētes à venéfico immíssos: sed Christi fide superátos; post abscissiónem linguæ sagíttis eam cōfigi præcépit: sicque martyrij cursum consūmávit. Fertur passa sæculo tértio. Corpus ejus Panórmi in Sicília sūmâ veneratióne asservátur.

Ad Laudes & Horas magna Preces.

DIE XXV. JULII.

Sancti Iacobi Apostoli

Duplex minus.

Omnia de Comm. Apostol.

In majori Eccl. post Vesp. fit Processio ad Ecclesiam S. Crucis de S. Christophoro in cujus honorem illius Ecclesiæ altare est consecratū.

℟. Qui vicerit xxxiij. *Ad ij. Magnif. Aña.* Iste est. xxxiij *Ora.* Præsta quęsum⁹. xxxiv *ut in Comm. unius Mart.*

Oremus.

Orémus. *Oratio.*

ESto Dómine plebi tuæ sanctificátor & custos : ut Apóstoli tui Jacóbi munita præsídiis ; & conversatióne tibi pláceat : & secúra mente desérviat. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Epistola prima beati Pauli Apostoli ad Corinthios. vij.

Vt in primo Nocturno de Communi Apostolorũ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JAcóbus, Zebedæi filius; Joánnis Apóstoli germánus frater, Galilæus; inter primos Apóstolos vocátus cum fratre : relíctis patre & rétibus secútus est Dóminum ; qui impósuit eis nomen Boanérges : quod est filij tonitrui. Is unus fuit ex tribus Apóstolis quos Salvátor máximè diléxit ; & testes esse vóluit suæ Transfiguratiónis ac interésse miráculo, cùm Jaíri filiam à mórtuis excitávit : & adésse cùm secéssit in montem Olivéti, Patrem oratúrus, ántequam à Judæis comprehenderétur.

℟. Ego vos elégi. xj.

Lectio v.

EX occasióne ambitiósæ petitiónis ambórum fratrum quâ Dóminum rogábant, ut ipsórum alter ad déxteram ejus, alter ad sinístram in glória sedéret; suam Christus Dóminus; eorúmque passiónem prædíxit his verbis : Cálicem quem ego bibo bibétis, & baptísmo quo ego baptízor baptizabímini. Et quidem cùm post ejus in cœlum ascénsum in Judæa & Samaría ejus divinitátem prædicáret ; ante dispersiónem Apostolórum per univérsum orbem Cláudio Imperatóre, Heródes Agríppa ad regnum elátus : ut à Judæis grátiam iníret, Jacóbum líbere Jesum Christum Deum confiténtem cápitis condemnávit ; quem cùm is qui eum dúxerat ad tribúnal fórtiter martyrium subeúntem vidísset : statim Christiánum se esse proféssus est.

℟. Constítues. xj. *Lect. vj.*

AD supplícium cùm raperétur ; pétiit ille à Jacóbo véniam : quem Jacóbus osculátus, Pax, inquit, tibi sit. Itaque utérque secúri percússus est : cùm

cùm paulò ante Jacóbus paralyticum Sanásset. Reliquiæ ejus póstea Compostéllam translátæ sunt: ubi summâ celebritáte coluntur, conveniéntibus eò religiónis & voti causâ ex toto terrárum orbe peregrínis. De horum sacrórum pígnorum non ignóbilis partis possessióne gloriátur cívitas Tolosána. Cæterum memória ipsíus natális hodiérno die, qui translatiónis dies est, ab Ecclésia celebrátur: cùm ipse circa festum Paschæ primus Apostolórum Jerosólymis profúso sánguine testimónium Jesu Christo déderit.

℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. xij.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum filiis suis adórans & petens áliquid ab eo; qui dixit ei: Quid vis? Ait illi. Dic ut sédeant hi duo filij mei; unus ad déxteram tuam: & alter ad sinístram in regno tuo. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 66. in cap. 20. Matthæi.

NOn turbétur quisquã si ádeò imperféctos dícimus Apóstolos fuísse; Nondum enim mystérium crucis erat consummátum: nondum grátia Spíritûs in corda ipsórum infúsa. Quare si stúdia virtútis ipsórum díscere cupis, quales post datam grátiam Spíritûs fúerint consídera: & vidébis omnem ab illis turbatiónem ánimi fuísse imperátam. Hac enim de causâ eórum modò imperféctio revelátur; ut apértè percípere possis: quales súbitò per grátiam efféct i fuérunt. Quod ígitur nisi temporále quærébant nec de cœlésti regno quidquam cogitábant perspícuum est. Sed verba quoque petitiónis ipsórum audiámus. Vólumus, inquiũt, ut quodcúmque petiérimus fácias nobis. Ad quod Christus; Quid vultis? Respóndit. Non ignórans certe, sed ut respondére compúlsi: ulcus subapériant, quod sanáre Christus intendébat.

℟. O quàm pulchri. xiv.

Lectio viij.

PErpéndis quómodò statim ab hac cupiditáte ipsos remóvit: contrária eis dísserens. Nam vos, inquit, de honóribus & corónis cogitátis; Ego verò de luctámine atque sudóre dísſero. Non præmiórum hoc tempus est, nec illa glória mea modò apparébit: sed bella; perícula; & necem: præsens cóntinet vita. Pérspice autem quáliter ipso interrogatiónis modo & hortátur: & állicit. Non enim dixit; Potestísne vestrum effúndere sánguinem? Sed quonam pacto potéstis bíbere cálicem, Deínde allíciens inquit, quem ego bibitúrus sum? Ut communicatióne labórum cum ipso: promptióres redderéntur. Baptísmum deínde idípsum appellávit: ut magnam orbi futúram expiatiónem hinc significáret

℟. Qui sunt isti. xv.

Pro sanctis Christophoro & Cucufate Martyribus.

Lectio ix.

CHristóphorus orígine Cananæus; à Christo divínitùs illuminátus; in Lyciam venit ut fidem ejus confiterétur: & prædicáret. In idque contínuas ad Deum fundébat preces & multa patrábat mirácula. Quod áudiens Décius Imperátor qui tum in his regiónibus áderat; eum ad se addúci jubet: & à fide avértere nítitur. Ideóque in cárcerem cónjicit; & ad eum mittit duas fœminas impudícas Nicétã & Agurbínam nómine: castitátem ejus periculóse aggressúras. Quæ ad nefánda provocárent. Sed ô prodígiũ! Statim à Deo illæ divínitùs extérritæ ac illuminátæ, & fácinus suum agnóscentes & Idolórum cultum detestántes: se Christiánas esse proféſſæ sunt. Unde sine morâ post vária supplícia cápitis damnatióne: sacras peccatórum pœnas mártyres luérunt. His ita gestis fortíſſimus Christi miles virgis férreis attrítus; incéndio virtúte Christi liberátus; rursus Christum pópulo prædicans & teste Ambrósio, quadráginta míllia ad Christi agnitiónem addúcens: ad últimum sagittárum íctibus confóssus, martyrium cápitis obtruncatióne

-tióne complévit. Cúcufas, Sillitánus in persecutióne Diocletiáni Barcinóne sub Daciáno præside primo gravíssimè tortus, & cæsus; Deínde in craticula exténsus acéto & Sinápi perfúsus; iterúmque crudelíssime cæsus; tandem percússus gládio extra civitátem: martyrium consummávit. Ejus corpus à Christiánis cum reveréntiâ ibi sepúltum & póstmodum in Gállias translátum: in Basílicâ sanctórum Mártyrum Dionysij, Rústici, & Eleuthérij, propè Parísios cum honóre tumulátum est.

℟. Via munda. xv.

Post Vesperas Processio de sequenti.

℟. j. Diffúsa est. cxxxviij.

Ad ij. Magnificat, Aña. Matrem fœcúndæ Vírginis Matris Dei & hóminis Annam laudet hæc cóncio puræ mentis præcónio, hæc virgam Jesse prótulit quæ florem vitæ cóntulit. Allelúia, allelúia.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui beátæ Annæ tantam grátiam contulísti, ut beatíssimam Maríam portáre mereréstur: da nobis per intercessiónem Matris & fíliæ tuæ propitiatiónis abundántiam; ut quarum, hódie, commemoratiónem pio amóre ampléctimur: eárum précibus ad cœléstem Jerúsalem perveníre valeámus. Per Dóminum.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij.

DIE XXVI. JULII.

S. Annæ Matris B. Virginis. Duplex minus.

Omnia de Communi Mulierum Sanctarum.

Oratio. Deus qui beátæ Annæ grátiam. *ut suprà.*

In primo Nocturno.

Tres Lectiones.

De parabólis Salomónis. *Cap 31.*

Vt in Communi Mulierum Sanctarum. cxxxviij.

Mulíerem fortem quis invéniet, &c.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Dámascéni.

Oratione ij. de Nativitate B. Mariæ circa finem.

Lectio iv.

ANnæ Epithalámium modulémur; nunc quidem fíliam divínitùs datam útero gestánti: nunc autem in lucem emitténti. Operæprétium enim est, ut quæ

quæ talem súrculum édidit : láudibus efferátur. Propónitur itaque tamquam thálamus quidam, Annæ cubículum, conjugális vitæ simul & virginális formam réferens : illam matris, hanc fíliæ; quarum áltera recens sterilitáte liberáta est, áltera autem aliquántò post Christi partum ad nostræ natúræ conditiónem divíno opifício formátum : supra natúram est editúra.

℟. Dilexísti justítiam. cxl.

Lectio v.

MErito ígitur Anna divíno spíritu plena, læto Hilaríque ánimo pérsonat; Congaudéte mecum quæ promissiónis germen ex stérili ventre pépeti : ac benedictiónis fructũ ubéribus meis, ut optáveram, nútrio. Sterilitátis mœstítiam éxui : ac lætam fœcunditátis vestem índui. Congáudeat mecum hódie Anna illa Phenénnæ adversária; & novum hoc átque inopinátum miráculum quod in me gestum est : suo exémplo concélebret. Exúltet Sara Seníli gáudio géstiens : meúmque ab sterilitáte concéptum præfigúrans. Cóncinant simul stériles & infœcúndæ visitatiónem meam admirábili modò cœlitus factã. Dicant item matres omnes hac fœcunditáte præditæ; Benedíctus qui orántibus id quod optábant largítus est, & fœcunditátem stérili dedit; ac felicíssimum illud germen Vírginis concéssit : quæ mater Dei secúndùm carnem fuit, cujus venter cœlum est, in quâ habitâvit is qui nullo loco capi potest.

℟. Deus in te sperávi. cxlj.

Lectio vj.

COnsonam his nos quoque ipsi quæ vocabátur stérilis, nunc autem virgínei thálami mater éxtitit laudem offerámus. Dicámus ad eam cum scriptúra; Quam beáta domus David, ex quâ prodiísti, & venter in quo Deus sanctificatiónis arcam : Hoc est, eam à quo ipse sine sémine concéptus est, fabricávit! Verè beáta es, ac ter beáta; quæ beatitúdine donátam à Deo infántem, Hoc est Mariam : nómine quoque ipso magnóperè venerándam perperísti; ex quâ Christus vitæ flos éxtitit :

tit: cujus vírginis & gloriósus fuit ortus & partus mundo sublímior.

℟. Parátum cor meū. cxlj.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1.

LIber generatiónis Jesu Christi filij David: filij Abraham. Abraham génuit Isaac: Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam & fratres ejus. Et réliqua.

Homília sancti Irenæi Lugdunénsis Epíscopi, & Mártyris.

Lib. 3. advers. Hæres. c. 330.

EVangélista genealógiā, quæ est à generatióne Dómini nostri usque ad Adam septuagínta duas generatiónes habére osténdit; finem conjúngens inítio, & signíficans quóniam ipse qui omnes gentes exínde ab Adam dispérsas & univérsas linguas & generatiónem hóminum cum ipso adam in semetipso recapitulátus est: unde typus futúri dictus est ipse Adam quóniam futúram circa fílium Dei humáni generis dispositiónem, in semetípsum fabricátor ómnium Verbum præformáverat: prædestinánte Deo primùm animálem hóminem vidélicet ut à spirituáli salvarétur. Cùm enim præexísteret salvans; oportébat & quod salvarétur fíeri: uti vácuum non sit salvans. Consequénter autem & María Virgo obáudiens invenítur dicens: Ecce ancílla Dómini fiat mihi secúndùm verbum tuum.

℟. Quæ est ista. cxlij.

Lectio viij.

PRophéta dicit: Pro pátribus tuis nati sunt tibi filij. Primogénitus enim mortuórum natus Dóminus: in sinum suum recípiens prístinos patres regenerávit eos in vitam Dei. Ipse inítium vivéntium factus, quóniam Adam inítium moriéntium factus est. Propter hoc & Evangelísta inítiū generatiónis inchoans in Adam rétulit; signíficans quóniam non illi hunc: sed hic illos in Evangélium vitæ regenerávit. Sic autem & Evæ inobediéntiæ nodus solutiónem accépit per obediéntiam Maríæ; quod enim alligávit virgo Eva per incredulitátem: hoc

Vir go

virgo María solvit per fidem.

℟. Misericórdiam & judícium. cxliij.

Lectio ix.

NEcésse ergo fuit Dóminum ad pérditam ovem veniéntem, & tantæ dispositiónis recapitulatiónem faciéntem; & suum plasma requiréntem, illum ipsum hóminem salváre, qui factus fúerat secúndùm imáginem aut similitúdinem ejus' id est, Adam impléntem témpora ejus condemnatiónis quæ facta fúerat propter inobediéntiam, quæ pater pósuit in sua potestáte; quóniam & omnis dispositio salútis quæ circa hóminem fuit, secúndùm plácitum fiébat patris: uti non vinceréturr Deus neque infirmarétur ars ejus. Si enim qui factus fúerat à Deo homo, ut víveret: hic amíttens vitam læsus à serpénte, qui depraváverat eum, jam non reverterétur ad vitam; sed in totum projéctus esset morti, victus esset Deus: & superásset serpéntis nequítia voluntátem Dei. Sed quóniam Deus invíctus & magnánimus est: magnánimum quidem se exhíbuit ad correctiónem hóminis, & probatiónem ómnium. Per secúndum autem hóminem alligávit fortem; dirípuit vasa ejus, & evacuávit mortem: vivíficans eum hóminem qui fúerat mortificátus.

℟. Expéctans expectávi. cxliij.

Te Deum laudámus.

Ad Benedictus, Antiph. Ave Mater Matris Dei per quem salvi fiunt rei: Ave prole fœcundáta Anna Deo dedicáta pro fideli plebe tota apud Deum sis devóta, allelúia. *Duplic.*

Oratio. Deus qui beátæ Annæ tãtam grátiam. 550.

Ad Tertiam, Capitulum. Mulíerem fortem. cxliv.

℟. Spécie tua, &c. cxliv.

℣. Inténde próspere. cxliv.

Oratio. Deus qui beátæ Annæ tantam grátiã. 550.

Ad sextam, Capitulum. Manum suam. cxliv.

℟. Adjuvábit eam, &c.

℣. Deus in médio. cxliv.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui beátæ Annæ grátiam conférre dignátus es ut Genitrícis Unigéniti Fílij tui Mater éffici mererétur: concéde

ne suffrágiis adjuvémur: cujus précibus exorátus quatriduánum fratrem Lázarum vivum ab ínferis resuscitásti. Qui vivis & regnas.

Ad Tertiam, Capitulum. Surgam & circuíbo 543.
℟. Spécie tua & pulchritúdine. cxxviij.

Oratio. Largíre nobis clementíssime. 537.

Ad Sextam. Capit. Cant. 3.
INvenérunt me vígiles qui custódiunt civitátem; num quem díligit ánima mea vidístis? Páululùm cùm pertransíssem eos: invéni quem díligit ánima mea.

℟. Adjuvábit eam Deus. cxxviij.

Orémus, *Oratio.*

BEátæ Maríæ Magdalénæ, quæsumus Dómine, suffrágiis adjuvémur: cujus précibus exorátus quatriduánum fratrem Lázarum vivum ab ínferis resuscitásti. Qui vivis & regnas.

Ad Nonam, Capit. Cant. 3.
ADjúro vos fíliæ Jerúsalem; si invenéritis diléctũ meum: ut núntiétis ei, quia amóre lángueo.
℣. Diffúsa est. cxxviij.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos ánnua beátæ Maríæ Magdalénæ solemnitáte lætíficas; da, ut quam venerámur officio: étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Ad Vesperas, Antiphona. De Laudibus. María stans. *Psal. de B. Maria.* clxxxiij.
Capitulum. Surgam & circuíbo. 543.
℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prospérè, procéde & regna.
Ad Magnificat, Ant. Tulérunt Dñm meũ. 543.
Oratio. Largíre nobis clementíssime Pater. 537.
Processio de sequenti.
Responsorium secundum feriam occurrentem.

DIE XXIII. JULII.
S. *Apollinaris Episcopi & Mart. iij. Lectionum.*
Omnia de Communi unius Martyris Pont.

Orémus. *Oratio.*

DEus fidélium, remunerátor animárum qui hanc diem beáti Apollináris Martyrio consecrásti: tríbue nobis quæsumus fámulis tuis; ut cujus venerándam celebrámus festivitátem: précibus ejus indulgén

indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Lectio prima de Scriptura occurrente.

Ex S. Adon Episc. Viennẽsi.

Lectio ij.

APollinaris Epíscopus Romæ ordinátus ab Apóstolo Petro, Ravénnã missus est: qui étiã in Æmília prædicávit, & in pártibus Corinthiórum & in Mœsia, & in ripa Danúbij, & in pártibus Thráciæ; in quib⁹ locis exílio relegátus est: & ubicúmq; pervénit, innúmeras virtútes fecit, & passiónes sustínuit. Nam nímiâ cæde penè mactátus, & diútiùs fústibus cæsus; ac nudis pédibus super prunas impósitus, rursum cæsus; & equúleo appẽsus tortus est, & saxo os ejus contúsum est: & gravíssimo ferri póndere inclúsus in cárcere horrífico; atque in ligno exténsus est: ubi ab homínibus quidẽ negléctus, sed ab Angelo publicè pastus est. Deínde catenátus & in exílium diréctus est: in quo rursum diútiùs fústibus cæsus; & rursus in Ravennâ ligátus; à pagánis cæsus, vulnerátus; & rursum in cárcerem missus & cæsus: sic martyriũ consummávit sub Vespasiáno Cæsare.

Sermo S. Petri Chrysólogi.

Serm. 128. de S. Apollinari.

Lectio iij.

SAnctus Apollináris primo sacerdótio solus hanc Ecclésiam Ravennátem vernáculo, atque ínclyto martyrij honóre decorávit. Méritò Apollináris; quia juxta mandátum Dei sui hic pérdidit ánimã suam: ut eam inveníret in vitam sempitérnam. Beátus qui ita cursum consummávit; fidem servávit: ut verè primus à credéntibus suo reperirétur in loco. Nec eũ quisquam Confessóris vocábulo minórẽ credat esse quàm mártyrẽ: quem Dei nutu quotidiánum & multíplicem revérsum cónspicit ad Agónem. Audi Paulũ dicéntem: Quotídie mórior. Semel mori parum est: eum qui potest Regi suo gloriósam sæpe de hóstibus reférre victóriam. Non tam mors quàm fides & devótio Mártyrem facit; & sicut virtútis est in ácie, in conflíctu pro regis amóre succúmbere: ita perféctæ virtútis est diu ágere, & consummáre certámina.

DIE

DIE XXIV. JULII.

Vigiliæ S. Jacobi Apostoli.

Officium fit de Feria.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Secunda Lectio, Homilia in Evangelium ut in Vigilia Apostol. in Communi. j.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut B. Jacóbi Apóstoli tui, quam prævenímus, veneránda solémnitas: & devotiónem nobis áugeat & salútem. Per.

Ex Martyrol. S. Adonis Episc. Viennensis.

Lectio iij.

CHristína virgo apud Itáliam in Tyro in Christum credens, Deos áureos Urbáni patris sui Præfécti contrívit: & paupéribus distribuit. Ob hoc, jubénte patre álapis afflícta; verbéribus dilaniáta: ferro onústâ in cárcerē conjecta est. Cùmque alligáta rotæ, igni suppósito; & fuso désuper óleo torrerétur: erūpens flamma mille gentíliū interfécit. Iterùm cárceri trádita; Angelo visitāte sanáta est: & reféćta. Deindè cum magni saxi póndere in lacum Volsínium jactáta: Angélico præsídio liberáta est. Quam succéssor patris ejus Dion multis íterùm supplíciis afflíxit; sed oránte illâ, simuláchrum Apóllinis quod adoráre jubebátur, in favíllam súbitò redáctum est: quo miráculo tria míllia hóminum ad fidem Christi convérsa sunt. Novíssimè succéssor Diónis Juliánus, post fornácē candéntem ubi quinque dies illæsa permánsit; post serpētes à venéfico immíssos: sed Christi fide superátos; post abscissiónem linguæ sagíttis eam cōfigi præcépit: sicque martyrij cursum consūmávit. Fertur passa sæculo tértio. Corpus ejus Panórmi in Sicília sūmâ veneratióne asservátur.

Ad Laudes & Horas magnæ Preces.

DIE XXV. JULII.

Sancti Jacobi Apostoli Duplex minus.

Omnia de Comm. Apostol.

In majori Eccl. post Vesp. fit Processio ad Ecclesiam S. Crucis de S. Christophoro in cujus honorem illius Ecclesiæ altare est consecratū ℟. Qui vicerit xxxiij. *Ad ij. Magnif. Aña.* Iste est. xxxiij *Ora.* Præsta quęsum⁹. xxxiv *ut in Comm. unius Mart.*

Oremus.

Orémus. *Oratio.*

ESto Dómine plebi tuæ sanctificátor & custos: ut Apóstoli tui Jacóbi munita præsídiis, & conversatióne tibi pláceat: & secúra mente desérviat. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Epistola prima beati Pauli Apostoli ad Corinthios. vij.

Vt in primo Nocturno de Communi Apostolorũ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JAcóbus, Zebedæi filius; Joánnis Apóstoli germánus frater, Galilæus; inter primos Apóstolos vocátus cum fratre: relíctis patre & rétibus secútus est Dóminum; qui impósuit eis nomen Boanérges: quod est filij tonitrui. Is unus fuit ex tribus Apóstolis quos Salvátor máximè diléxit; & testes esse vóluit suæ Transfiguratiónis ac interésse miráculo, cùm Jairi filiam à mórtuis excitávit: & adésse cùm secésssit in montem Olivéti, Patrem oratúrus, ántequam à Judæis comprehenderétur.

℟. Ego vos elégi. xj.

Lectio v.

EX occasióne ambitiósæ petitiónis ambórum fratrum quâ Dóminum rogábant, ut ipsórum alter ad déxteram ejus, alter ad sinístram in glória sedéret; suam Christus Dóminus eorúmque passiónem prædíxit his verbis: Cálicem quem ego bibo bibétis, & baptísmo quo ego baptízor baptizabímini. Et quidem cùm post ejus in cœlum ascénsum in Judæa & Samaría ejus divinitátem prædicáret; ante dispersiónem Apostolórum per univérsum orbem Cláudio Imperatóre, Heródes Agríppa ad regnum elátus: ut à Judæis grátiam iníret, Jacóbum líbere Jesum Christum Deum confiténtem cápitis condemnávit; quem cùm is qui eum dúxerat ad tribúnal fórtiter martyrium subeúntem vidíssset: statim Christiánum se esse proféssus est.

℟. Constítues. xj. *Lect. vj.*

AD supplícium cùm raperétur; pétiit ille à Jacóbo véniam: quem Jacóbus osculátus, Pax, inquit, tibi sit. Itaque utérque secúri percússus est: cùm

cùm paulò ante Jacóbus paralyticum Sanásset. Reliquiæ ejus póstea Compostéllam translátæ sunt: ubi summâ celebritáte colúntur, conveniéntibus eò religiónis & voti causâ ex toto terrárum orbe peregrínis. De horum sacrórum pígnorum non ignóbilis partis possessióne gloriátur cívitas Tolosána. Cæterum memória ipsíus natális hodiérno die, qui translatiónis dies est, ab Ecclésia celebrátur: cùm ipse circa festum Paschæ primus Apostolórum Jerosólymis profúso sánguine testimónium Jesu Christo déderit.

℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. xij

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum filiis suis adórans & petens aliquid ab eo; qui dixit ei: Quid vis? Ait illi. Dic ut sédeant hi duo filij mei; unus ad déxteram tuam: & alter ad siníſtram in regno tuo. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 66. in cap. 20. Matthæi.

NOn turbétur quisquã si ádeò imperféctos dícimus Apóstolos fuísse; Nondum enim mystérium crucis erat consummátum: nondum grátia Spíritûs in corda ipsórum infúsa. Quare si stúdia virtútis ipsórum díscere cupis, quales post datam grátiam Spíritûs fúerint consídera: & vidébis omnem ab illis turbatiónem ánimi fuísse imperátam. Hac enim de causâ eórum modò imperféctio revelátur; ut apértè percípere possis: quales súbitò per grátiam effécti fuérunt. Quod ígitur nisi temporále quærébant nec de cœlésti regno quidquam cogitábant perspícuum est. Sed verba quoque petitiónis ipsórum audiámus. Vólumus, inquiũt, ut quodcúmque petiérimus fácias nobis. Ad quod Christus; Quid vultis? Respóndit. Non ignórans certe, sed ut respondére compúlsi: ulcus subapériant, quod sanáre Christus intendébat.

℟. O quàm pulchri. xiv.

Lectio

Lectio viij.

PErpéndis quómodò statim ab hac cupiditáte ipſos remóvit: contrária eis dísſerens. Nam vos, inquit, de honóribus & corónis cogitátis; Ego verò de luctámine atque ſudóre díſſero. Non præmiórum hoc tempus eſt, nec illa glória mea modò apparébit: ſed bella; perícula; & necem: præſens cóntinet vita. Pérſpice autem quáliter ipſo interrogatiónis modo & hortátur: & állicit. Non enim dixit; Poteſtíſne veſtrum effúndere ſánguinem? Sed quonam pacto potéſtis bíbere cálicem, Deínde allíciens inquit, quem ego bibitúrus ſum? Ut communicatióne labórum cum ipſo: promptióres redderéntur. Baptíſmum deínde idípſum appellávit: ut magnam orbi futúram expiatiónem hinc ſignificáret

℞. Qui ſunt iſti. xv.

Pro ſanctis Chriſtophoro & Cucufate Martyribus.

Lectio ix.

CHriſtóphorus orígine Cananæus; à Chriſto divínitùs illuminátus; in Lyciam venit ut fidem ejus confiterétur: & prædicáret. In idque contínuas ad Deum fundébat preces & multa patrábat mirácula. Quod áudiens Décius Imperátor qui tum in his regiónibus áderat; eum ad ſe addúci jubet: & à fide avértere nítitur. Ideóque in cárcerem cónjicit; & ad eum mittit duas fœminas impudícas Nicétã & Agurbínam nómine: caſtitátem ejus periculóſe aggreſſúras. Quæ ad nefánda provocárent. Sed ô prodígiũ! Statim à Deo illæ divínitùs extérritæ ac illuminátæ, & fácinus ſuum agnóſcentes & Idolórum cultum deteſtántes: ſe Chriſtiánas eſſe profésſæ ſunt. Unde ſine morâ poſt vária ſupplícia cápitis damnatióne: ſacras peccatórum pœnas mártyres luérunt. His ita geſtis fortíſſimus Chriſti miles virgis férreis attrítus; incéndio virtúte Chriſti liberátus; rurſus Chriſtum pópulo prædicans & teſte Ambróſio, quadráginta míllia ad Chriſti agnitiónem adúcens: ad últimum ſagittárum íctibus confóſſus, martyrium cápitis obtruncatióne

tióne complévit. Cúcufas, Sillitánus in persecutióne Diocletiáni Barcinóne sub Daciáno præside primo gravíssimè tortus, & cæsus; Deínde in craticula exténsus accéto & Sinápi perfúsus; iterúmque crudelíssime cæsus; tandem percússus gládio extra civitátem: martyrium consummávit. Ejus corpus à Christiánis cum reveréntiâ ibi sepúltum & póstmodum in Gállias translátum: in Basílicâ sanctórum Mártyrum Dionysij, Rústici, & Eleuthérij, propè Parísios cum honóre tumulátum est.

℟. Via munda. xv.

Post Vesperas Processio de sequenti.

℟. j. Diffúsa est. cxxxviij.

Ad ij. Magnificat, Aña. Matrem fœcúndæ Vírginis Matris Dei & hóminis Annam laudet hæc cóncio puræ mentis præcónio, hæc virgam jesse prótulit quæ florem vitæ cóntulit. Allelúia, allelúia.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui beátæ Annæ tantam grátiam contulísti, ut beatíssimam Maríam portáre mereréntur: da nobis per intercessiónem Matris & filiæ tuæ propitiatiónis abundántiam; ut quarum, hódie, commemoratiónem pio amóre ampléctimur: eárum précibus ad cœléstem Jerúsalem perveníre valeámus. Per Dóminum.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi munera. iij.

DIE XXVI. JULII.

S. Annæ Matris B. Virginis. Duplex minus.

Omnia de Communi Mulierum Sanctarum.

Oratio. Deus qui beátæ Annæ grátiam. *ut suprà.*

In primo Nocturno.

Tres Lectiones.

De parabólis Salomónis. *Cap 31.*

Vt in Communi Mulierum Sanctarum. cxxxviij.

Mulíerem fortem quis invéniet, &c.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Dámascéni.

Oratione ij. de Nativitate B. Mariæ circa finem.

Lectio iv.

ANnæ Epithalámium modulémur; nunc quidem fíliam divínitùs datam útero gestánti: nunc autem in lucem emitténti. Operæprétium enim est, ut quæ

quæ talem súrculum édidit ꞉ láudibus efferátur. Propónitur itaque tamquam thálamus quidam, Annæ cubículum, conjugális vitæ simul & virginális formam réferens ꞉ illam matris, hanc fíliæ; quarum áltera recens sterilitáte liberáta est, áltera autem aliquántò post Christi partum ad nostræ natúræ conditiónem divíno opifício formátum ꞉ supra natúram est editúra.

℟. Dilexísti justítiam. cxl.

Lectio v.

MErito ígitur Anna divíno spíritu plena, læto Hilaríque ánimo pérsonat; Congaudéte mecum quæ promissiónis germen ex stérili ventre pépepri ꞉ ac benedictiónis fructũ ubéribus meis, ut optáveram, nútrio. Sterilitátis mœstítiam éxui ꞉ ac lætam fœcunditátis vestem índui. Congáudeat mecum hódie Anna illa Phenénnæ adversária; & novum hoc átque inopinátum miráculum quod in me gestum est ꞉ suo exémplo concélebret. Exúltet Sara Seníli gáudio géstiens꞉ meúmque ab sterilitáte concéptum præfigúrans. Cóncinant simul stériles & infœcúndæ visitatiónem meam admirábili modò cœlitus factã. Dicant item matres omnes hac fœcunditáte præditæ; Benedíctus qui orántibus id quod optábant largítus est, & fœcunditátem stérili dedit; ac felicíssimum illud germen Vírginis concéssit꞉ quæ mater Dei secúndùm carnem fuit, cujus venter cœlum est, in quâ habitávit is qui nullo loco capi potest.

℟. Deus in te sperávi. cxlj.

Lectio vj.

COnsonam his nos quoque ipsi quæ vocabátur stérilis, nunc autem virgínei thálami mater éxtitit laudem offerámus. Dicámus ad eam cum scriptúra; Quam beáta domus David, ex quâ prodiísti, & venter in quo Deus sanctificatiónis arcam ꞉ Hoc est, eam à quo ipse sine sémine concéptus est, fabricávit! Verè beáta es, ac ter beáta; quæ beatitúdine donátam à Deo infántem, Hoc est Mariam ꞉ nómine quoque ipso magnóperè venerándam perperísti; ex quâ Christus vitæ flos éxtitit꞉

virgo María solvit per fidem.

℟. Misericórdiam & judícium. cxliij.

Lectio ix.

NEcésse ergo fuit Dóminum ad pérditam ovem veniéntem, & tantæ dispositiónis recapitulatiónem faciéntem; & suum plasma requiréntem, illum ipsum hóminem salváre, qui factus fúerat secúndùm imáginem aut similitúdinem ejus: id est, Adam impléntem témpora ejus condemnatiónis quæ facta fúerat propter inobediéntiam, quæ pater pósuit in sua potestáte; quóniam & omnis dispositio salútis quæ circa hóminem fuit, secúndùm plácitum fiébat patris: uti non vincerétur Deus neque infirmarétur ars ejus. Si enim qui factus fúerat à Deo homo, ut víveret: hic amíttens vitam læsus à serpénte, qui depraváverat eum, jam non reverterétur ad vitam; sed in totum projéctus esset morti, victus esset Deus: & superásset serpéntis nequítia voluntátem Dei. Sed quóniam Deus invíctus & magnánimus est: magnánimum quidem se exhíbuit ad correctiónem hóminis, & probatiónem ómnium. Per secúndum autem hóminem alligávit fortem; dirípuit vasa ejus, & evacuávit mortem: vivíficans eum hóminem qui fúerat mortificátus.

℟. Expéctans expectávi. cxliij.

Te Deum laudámus.

Ad Benedictus, Antiph. Ave Mater Matris Dei per quem salvi fiunt rei: Ave prole fœcundáta Anna Deo dedicáta pro fideli plebe tota apud Deum sis devóta, allelúia. *Duplic.*

Oratio. Deus qui beátæ Annæ tãtam grátiam. 550.

Ad Tertiam, Capitulum. Mulíerem fortem. cxliv.

℟. Spécie tua, &c. cxliv.

℣. Inténde prósperè. cxliv.

Oratio. Deus qui beátæ Annæ tantam grátiã. 550.

Ad sextam, Capitulum. Manum suam. cxliv.

℟. Adjuvábit eam, &c.

℣. Deus in médio. cxliv.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui beátæ Annæ grátiam conférre dignátus es ut Genitrícis Unigéniti Fílij tui Mater éffici mererétur: concéde

propítius; ut cujus solémnia celebrámus: ejus apud te patrocíniis adjuvémur. Per eúmdem, &c.

Ad Nonam, Capitulum. Multæ filiæ. cxliv.

℟. Diffúsa est grátia. cxliv.

℣. Proptérea. cxliv.

Orémus *Oratio.*

DEus qui hodiérnam diem beátæ Annæ natalítio venerábilem nobis fecísti: concéde propítius; ut nos qui eam Genitrícē tuæ Matris cognóscimus & fatémur: ipsíus apud te orationúm præsídiis muniámur. Qui vivis.

Ad ij. Vesperas, Capitulum. Mulíerem fortem. cxxxvj.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua.

℟. Inténde prósperè, &c.

Ad Magnificat, Antiph. Benedícta Mater Matris, quæ est Mater sui Patris, quæ ab Angelo prædíctam peperísti benedíctam, cujus fructus benedíctus purgat crimen nostri luctûs: omnes sanctam Genitrícem sentiámus adjutrícem, allelúia, allelúia. *Duplicatur.*

Oratio. Deus qui beátæ Annæ tantam grátiā. 550.

Processio. ℟. *vij.* Quæ est ista quæ. cxlij.

Ad ij. Magnificat, Antiph. Fabricátur in hac Anna, quæ supérnum clausit mānna, arca novi testaménti, & res magni Sacraménti.

Oratio. Deus qui hodiérnam diem. *ut suprà.*

DIE XXVIII. JULII.

S. Pantaleonis Martyris:

In Ecclesia majori Semiduplex majus. Alibi iij. Lectionum,

Oratio. Præsta quæsumus. xxxiv.

Omnia de Communi unius Martyris. xxxiij.

In primo Nocturno.

Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Vbi fit. iij. Lectionum. Prima Lectio dicitur de Scriptura occurente.

Pro secunda tres Lectiones hujus secundi Nocturni ex tribus una, Tertia de sancto Peregrino.

Lectio iv.

PAntáleon, álias Pantaleémon, Pátria Nicomediénsis, Eustórgij Senatóris filius; professióne Médicus: in ætáte florénti ab Hermoláo sanctíssimo Presbytero, ac subínde étiam mártyre fidei Christiánæ mystériis imbútus est: Sacróque tinctus lavacro,

vácro, insígnia édidit miràcula, vários Christi virtute curans languóres; patrem ab ímpiâ superstitióne abdúctum Sacris Christiánæ pietatis initiári procurávit, & paulò post defúnctum tumulávit: patrimónium omne in páuperes erogávit, multósque ad fidem addúxit.

℟. Justus germinábit. xli.

Lectio v.

QUâ de causâ Maximiáni Imperatóris jussu Nicomedíæ comprehénsus; tortus equúlei pœnâ & lámpadum igne dirè cruciátus est: inter hæc à Dómino sibi apparénte magnópere roboratus est ac refrigerátus. Leónes étiam & Leopárdi in eum dimíssi fáciem ejus manúsque lingébant; quare multi credidérunt, & statim occísi sunt. Ad extrémum cápitis obtruncatióne gloriosíssimi agónis láuream recépit.

℟. Stola jocunditátis. xlj.

Lectio vj.

CAput sancti Athlétæ póstea Cartháginem delátum est: hinc sæculo nono ineúnte in Gálliam Lugdúnum Cárolo magno imperánte, advéctum unà cum óssibus sancti Cypriáni Carthaginénsis, & sancti Speráti ex Scyllitáno ágmine Mártyris; atque à Pio Leydrádo Epíscopo in Basílicâ majóri sanctórum Joánnis Baptístæ ac Stéphani protomártyris magnâ reveréntiâ collocátum fuit. Extat de eádem translatióne carmen beáti Agobárdi Lugdunénsis Epíscopi.

℟. Cibávit illum. xlij.

In tertio Nocturno.

Lectio vij. & viij. De Homilia S. Gregorij in Evang.

Si quis vult post me veníre. *ut in Communi*. xliv.

Lectio ix.

PEregrínus Présbyter flóruit Lugdúni aut venit, exeúnte sæculo secúndo: his tempóribus quibus frequénter hùc commeábant Asiáni & Græci. Vir erat miræ eruditiónis & sanctitátis; sed abditíssimæ virtútis quæ semper látebras quærébat. Deo soli cógnitus: hómines fúgere semper curávit. Hic declínans persecutiónis procellam sub Sevéro Imperatóre: aliquándiu latitávit in quadam solitú-

dine prope Lugdúnum eremíticam vitam ibi ducens. Hanc solitúdinem fuísse Insulam Bárbaram prope Lugdúnũ Deíparæ cultu nunc celebérrimam multi tradunt; & ibi Peregrínum commorátum cum sancto Barbaríno à quo Insula Bárbara dícitur: & régulas mónachis étiam ante Basílium tradidísse ásserunt. Ejus beatitátem mirácula crebra testántur. Antíquus syllabus sacrórum pígnorum, Basílicæ sancti Justi prodit sancti Peregríni Presbyteri & confessóris corpus ínibi jam olim cónditum fuísse.

℟. Coróna áurea. xlv.

DIE XXIX. JULII.

SS. Felicis Papæ, Simplicij, Faustini, & Beatricis Martyrum. Omnia de Cõmuni plurimorum Martyrum. iij. Lectionum.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

iv. Kalend. Augusti.

Lectio ij.

Constántius Augústus Concílium hæreticórum, ac Valéntis & Ursácij Arrianórum ápprobans; quia & ipse Arriánus erat, ab Eusébio Nicomediénsi rebaptizátus: ejécit sanctũ Felicẽ urbis Romæ Epíscopum de sede Episcopátûs sui. Et facta est persecútio magna in Clero; ita ut Presbyteri & Clérici plures necaréntur: & martyrio coronaréntur. Depósitus sanctus Papa Felix habitávit in prædíolo suo; & agéntibus póstmodum hæréticis, exínde levátus: ductus est ad civitátem & cápite truncáto martyrio coronátur. Simplícius, & Faustínus tempóribus Diocletiáni & Maximiáni post divérsa supplícia jussi sunt capitálem subíre senténtiam: & ligáto saxo in collo eórum jactári per pontem qui vocátur lapídeus in Tiberínis rehumátibus. Quorum córpora Dei nutu invénta sunt & sepúlta à beáta soróre eórum Beatríce, quæ & ipsa quoque tandem ducta ad sacrificándum dæmóniis; cùm in Dei nómine líberè ágeret, noctu præfocáta est: quam venerábilis Lucína juxta sanctos Mártyres germános ejus sepelívit.

Ex Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Serm. 26. de verbus Domini.

Pro

Pro S. Martha Virgine.

Lectio iij.

MArtha & María duæ soróres erant, ambæ non solùm carne, sed étiam religióne germánæ; ambæ Dómino cohæsérunt: ambæ Dómino in carne præsénti concórditer serviérunt. Suscépit eum Martha, sicut solent súscipi peregríni; sed tamen suscépit fámula Dóminum, ægra Salvatórē: Creatúra Creatórem. Suscépit autem spíritu pascénda in carne pascéndum, vóluit enim Dóminus formam servi accípere; & acceptâ formâ servi in illâ pasci à servis dignatióne non conditióne: nam & ista dignátio fuit se præbére pascéndum. Habébat carnem in quâ esuríret quidem & sitíret; sed nescítis quia in erémo esuriénti ministrábant Angeli? Ergo quòd pasci vóluit, pascénti præstitit.

DIE XXX. JULII.

S. Abdon & Sennen Martyrum. iij. Lectionum.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui sanctis tuis Abdon & Sennen ad hanc glóriam veniéndi copiósum munus grátiæ contulísti: da fámulis tuis suórum véniam peccatórum; ut Sanctórum tuórum intercedéntibus méritis: ab ómnibus mereámur adversitátibus liberári. Per Dóminum.

Hæc Oratio, dicitur ad Vesperas, Laudes, & Tertiã.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

ABdon & Sennen Subréguli Persæ in Córdula Civitáte Persárum Décio Imperatóri præsentáti; apud eum accusáti sunt quòd córpora Christianórum quæ inhumáta projiciebántur in suo prædio sepelíssent: diis sacrificáre jubéntur; quod cùm fácere renúerent, & Jesum Christum constantíssimè prædicárent: tráditi sunt in custódiam. Illos pósteà Romam Décius rédiens, vinctos duxit ad pompam triúmphi; qui cùm ad simuláchra pertrácti essent, in ea, detestántes conspuérunt: eam ob rem plumbátis cæsi; tum leónibus & ursis objécti sunt: qui rugiéntes venérunt ad pe-

des eórum & non recedéntes custodiébant eos. Demum gládiis truncáti, & ligátis pédibus ante solis simuláchrum jactáti; ubi tribus diébus córpora eórum jacuérunt, & inde clam asportáta in ædibus Quiríni Diáconi in arcâ plúmbea sepúlta sunt: ubi latuérunt usque ad tempus Constantíni quo reveláta sunt & transláta in cœmetérium Pontiáni.

DIE XXXI. JULII.

S. Germani Episcopi & Confessoris. iij. Lectionum.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Lectio ij.

GErmánus nóbili génere Antisiodóri natus; foro imprímis addíctus, causas egit: uxórem duxit ac Províncíæ suæ visitátor constitútus est. Cùm immódicæ venatióni déditus esset, ab Amatóre Epíscopo suo reprehénsus; ad melióren frugem Deo favénte se convértit: à quo succéssor designátus ómnium votis admíssus est. Tum súbitò in álterũ planè virum evásit; uxórem sorôris loco habens, sua paupéribus érogans: vitam ásperam ducens. Cùm Doctrínâ, sanctitáte & miráculis, præfúlgeret; ad Pelagiánam hæresim expugnándam in Británniam majórem Celestíni Papæ & Gallicanórum Britannorúmque Præsulum rogátu proféctus est: is ubi, verbo veritátis & signórum virtúte ímpium errórem profligávit; quo témpore Británnis salúti fuit: hostes eórum, voce, Allelúia, ter repetítâ terrens & fugans. Vix domum regréssus cùm pátriæ commiserátus jam senex pro Galliárum pace supplicatúrus, Ravénnam proféctus est: ubi à Valentiniáno ejúsque, matre Placídiâ summo ad honóre excéptus, paucis post diébus ad cœlos migrávit. Corpus ejus honorífico comitátu Antisiodórum delátum est: ibíque multis miráculis refúlsit.

Pro S. Ignatio Confessore.

Lectio iij.

IGnátius in Diœcési Pampelonénsi nobílibus paréntibus natus est. Adoléscens à milítiâ sæculári ex piórum librórum lectióne

ad

ad Deum convérsus, facta in monte Serráto ómnium delictórum exomológesi; apud Manrésam inter egénos quibus vília étiam obséquia exhibébat: vitam ásperam egit. Hinc Romam, dein Jerosólymam se cóntulit; perlustratísque Sacris locis, in Hispániam revérsus, trigésimum jam agens annum: grammáticis, Philosóphicis ac Theológicis óperam dedit. Parísios pósteà ádiens, stúdia illa repétiit; eleemósynis víctitans: nec intermíssis pœniténtiæ & charitátis opéribus. Ibi sócios sibi adjúnxit Parisiénsis Académiæ grádibus insígnes: qui in Ecclésia sanctórum Mártyrum ad Clivum montis sese omnes in próximi auxílium devovérunt. Et hæc fuére Societátis Jesu incunábula; quam deínde áddito ad tria religiónis vota, quarto de missiónibus instítuit: & à Paulo tértio confirmátam pari zelo, pietáte & prudéntiâ rexit. Præcípua illi cura érat, ut rudes & púeri doctrínam Christiánam addíscerent; incarceráti sublevaréntur: usus Sacramentórum & frequéntior & sánctior esset. A piis opéribus non contuméliæ non difficultátes deterrébant: ad Dei glóriam ómnia reserébat. Romæ óbiit méritis clarus: & à Gregório décimo quinto Sanctórum albo adscríptus est.

DIE I. AUGUSTI.

Sancti Petri ad Vincula.

Semidup. Majus.

Omnia de Communi Apostolorum.

Ad Vesperas, Aña & Psalmi de Feria occurrente.

Capitulum. Act. 12.

Misit Heródes rex manus ut afflígeret quosdam de Ecclésia; occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio: videns autem quia placéret Judæis appósuit ut apprehénderet & Petrum.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum.

℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat, Aña. Misit Dóminus Angelum suum & liberávit me de manu Heródis, allelúia.

Orémus. *Oratio.*

Deus qui beátum Petrum Apóstolum à

vínculis absolútum illæsum abíre fecisti; nostrórum quæsumus absólve víncula peccatórum : & ómnia mala à nobis propitiátus exclúde. Per Dóminum.

Processio ad sanctum Petrum.

℟. vij. Surge Petre & índue vestiménta tua: quia cecidérunt caténæ de mánibus tuis.

Ad ij. Magnificat, Aña. Dixit Angelus ad Petrum: Circúmda tibi vestiméntum tuum & séquere me.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui hodiérna die beátum Petrum per Angelum è cárcere & ab Heródis expectatióne mirabíliter liberásti: educ nos de tenebróso cupiditátis cárcere, & à crudéli circa nos sátanæ expectatióne poténter nos líbera. Per.

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 12.

MIsit Heródes Rex manus ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret Judæis: appósuit ut apprehénderet & Petrum. Erant autem dies azymórum. Quem cùm apprehendísset misit in cárcerem; tradens quátuor quaternióónibus mílitum custodiéndum : volens post Pascha prodúcere eum pópulo. Et Petrus quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

℟. Tóllite jugum. vij.

Lectio ij.

CUm autem productúrus eum esset Heródes; in ipsa nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites vinctus caténis duábus : & custódes ante óstium custodiébant cárcerem. Et ecce Angelus Dómini ástitit, & lumen refúlsit in habitáculo; percussóque látere Petri, excitávit eum dicens : Surge velóciter. Et cecidérunt caténæ de mánibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum; Præcíngere & cálcea te cáligas tuas: & fecit sic. Et dixit illi: Circúmda tibi vestiméntũ tuum & séquere me. Et éxiens sequebátur eum; & nesciébat quia verum est quod fiébat per Angelum: existimábat autẽ

se

se visum vidére. Transeúntes autem primam & secúndam custódiam ; venérunt ad portam férream quæ ducit ad civitátem : quæ ultrò apérta est eis. Et exeúntes processérunt vicum unum : & continuò discéssit Angelus ab eo.

℟. Ecce ego mitto. viij.

Lectio iij.

ET Petrus ad se revérsus dixit ; Nunc scio verè quia misit Dóminus Angelum suum : & erípuit me de manu Heródis & de omni expectatióne plebis Judæórum. Consideránsque venit ad domum Maríæ Matris Joánnis : ubi erant multi congregáti, & orántes. Pulsánte autem eo óstium jánuæ : procéssit puélla ad audiéndum nómine Rhode. Et ut cognóvit vocem Petri ; præ gáudio non apéruit jánuam : sed intrò currens nuntiávit stare Petrum ante jánuam. At illi dixérunt ad eam : Insánis. Illa autem affirmábat sic se habére. Illi autem dicébant ; Angelus ejus est : Petrus autem perseverábat pulsans. Cùm autem aperuíssent : vidérunt eum, & óbstupuérunt. Annuens autem manu, ut tacérent, narrávit quómodo Dóminus eduxísset eum de cárcere; dixítque : Nuntiáte Jacóbo & frátribus hæc : & egréssus ábiit in álium locum.

℟. Cùm stetéritis. viij.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

THeodósio junióre Imperánte cùm Eudóxia ejus uxor Jerosólymam solvéndi voti causâ venísset, ibi multis affécta munéribus ; præ cæteris insígne donum accépit férreæ caténæ auro gemmísque ornátæ : quam illam esse affirmábant, quâ Petrus Apóstolus ab Heróde vinctus fúerat. Eudóxia caténam piè veneráta, eam póstea Romam ad filiam Eudóxiam misit ; quæ illam summo Pontífici détulit : isque vicíssim illi osténdit álteram caténam, quâ, Neróne Imperatóre, idem Apóstolus constríctus fúerat.

℟. Ego vos elégi de mundo. xj.

Lectio v.

CUm ígitur caténam Románam cum eâ quæ Jerosólymis alláta

fúerat, contulíſſet; factum eſt ut illæ inter ſe ſic connecteréntur: ut non duæ, ſed una caténa ab eódem artífice conféćta eſſe viderétur. Quo miráculo ſanctus honos ſacris illis vínculis habéri cœpit; ut proptéreà hoc nómine ſancti Petri ad víncula Ecclésia título Eudóxiæ dedicáta ſit in exquíliis: ejúſque memóriæ dies feſtus inſtitútus Kaléndis Augúſti. Quo ex témpore honor qui eo die prophánis gentílium celebritátibus tríbui sólitus erat: Petri vínculis habéri cœpit.

℟. Conſtítues eos príncipes. xj.

Lectio vj.

QUanto verò in honóre ſacræ illæ caténæ haberéntur, vel ex eo liquet: quòd ſummi Pontífices de eárum limatúra crúcibus aut clávibus áureis inclúsâ ad Reges, viróſque primários de Ecclésiâ benè méritos tranſmítterent; quas collo appénſas geſtábant: ut Apóſtoli præsídio ab omni perículo tuti eſſent. Quo in génere anno ſalútis humánæ nongētéſimo ſexagéſimo nono áccidit; ut quidam comes Othónis Imperatóris familiáris, quem immúndus ſpíritus ſic inváſerat, ut ſeípſum déntibus dilaniáret: juſſu Imperatóris ad Joánnem décimum tértium Pontíficem Románum ductus; ubi Sacra caténa collum ejus áttigit: ſtatim à nefário ſpíritu liber eváſerit.

℟. Nimis honoráti. xij.

In tertio Nocturno.

Léctio ſancti Evangélij: ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore: Venit Jeſus in partes Cæſaréæ Philíppi, & interrogábat Diſcípulos ſuos dicens; Quem dicunt hómines eſſe fílium hóminis? At illi dixérunt; alij Joánnem Baptíſtam, álij autem Elíam, álij verò Jerémiam: aut unum ex Prophétis. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

Homil. 55. in Cap. 16. Matthæi.

VOs verò quem me eſſe dícitis? Quid Petrus ómnium Apoſtolórum os, vertex consórtij totíus? cùm omnes interrogáti eſſent

sent : ipse solus respóndet. Et quandóquidem de senténtiâ vulgi petébat, omnes respondérunt ; cùm verò de suâ eos rogáret : Petrus conféstim præsilívit, ac prævéniens ait. Tu es Christus Fílius Dei vivi. Quid ígitur Christus? Beátus es Simon Barjóna: quia caro & sanguis non revelávit tibi. Eâ igitur de re Petrus beatificátur ; quia Christum Patris próprié Fílium conféssus est : quâ étiam de causâ nihil tale de illis dictum est, quale de hoc dícitur, Quia Pater revelávit tibi. Nam, ne quóniam vehementer amóris vínculo Petrus Christo conjungebátur ; assentatiúnculâ gratíficans : hæc verba dixísse multis viderétur ; in médium prodúxit Patrem : qui ad confessiónem veritátis ánimum Petri commóvit.

℟. Quem dicunt hómines. 470.

Lectio viij.

EGo autem dabo tibi claves regni cœlórum. Quid verò est ? Quemádmodum Pater tibi dedit ut me cognósceres : sic & ego tibi dabo. Quid das quæso? Claves regni cœlórum ; & quæcúmque ligáveris super terram, erunt ligáta in cœlis : & quæcúmque sólveris super terram, erunt solúta in cœlis. Quómodo ígitur non est ejus qui dicit, Ego tibi dabo ; ut étiam in dextris & sinístris sedére concédat ? animadvértis quo pacto ipse étiam ad altiórem de se opiniónem Petrum addúcit : & seipsum his duábus pollicitatiónibus Filium Dei revélat & osténdit. Nam quæ Deus concédere solus potest ; peccatórum scílicet remissiónem : & ut Ecclésia tot tantísque flúctibus ímpetu irrumpéntibus immóbilis máneat : cujus pastor & caput piscátor homo atque ignóbilis, terrárum orbe reluctánte : adamántis natúram firmitáte súperet. Hæc ómnia, quæ solíus Dei sunt, pollicétur se datúrum. Ita & Pater ad Jeremíam dicébat. Sicut colúmnam férream & sicut murum æneum pósui te : sed ipsum quidem genti uni Pater, hunc autem univérso terrárum orbi Christus præpósuit.

℟. Tu es Petrus. 470.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio ix. Circa finem.

MAchabæi Mártyres Christi sunt : ideò non incóngruè neque importúnè, imò conveniéntíssimè dies eórum & solémnitas eórum à Christiánis pótius celebrátur. Quid tale Judæi celebráre novérunt? Sanctórum Machabæórum Basílica esse in Antiochíâ prædicátur : in illâ scílicet civitáte quæ regis ipsíus persecutóris nómine vocátur. Antíochum quippe Regem persecutórem ímpium pertulérunt : & memória Martyrij eórum in Antiochía celebrátur : ut simul sonet & nomen persecutóris & memória coronatóris. Hæc Basílica à Christiánis tenétur & ædificáta est. Eórum ergo memóriam celebrándam nos habémus, nos tenémus; apud nos passiónem eórum míllia per orbem terrárum Sanctórum Mártyrum invitáta sunt. Prorsus imitatiónis afféctus férveat in córdibus nostris. Discant viri pro veritáte móri, discant fœminæ de matris illíus tantâ patiéntiâ ineffábili virtúte, quæ nóverat serváre filios suos : habére nóverat quæ pérdere non timébat. Isti in se sínguli sentiéndo; illa vidéndo in ómnibus passa est. Facta mater Septem mártyrum sépties martyr; à filiis non separáta spectándo : & filiis áddita moriéndo.

℟. Surge Petre. 473.

Ad Laudes, Antiphona. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificábo Ecclésiam meam.

Psal. Dóminus regnávit. *cum reliq. de Dominica.* 20.

Aña. Petrus & Joánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonã.

Aña. Argéntum & aurum non est mihi quod autem hábeo hoc tibi do.

Aña. Misit Dóminus Angelum suum & liberávit me de manu Heródis, allel.

Aña. Dixit Angelus ad Petrum circúmda tibi vestiméntum tuum & séquere me.

Capitulum.

MIsit Heródes rex manus ut affligeret quosdam de Ecclésiâ; occídit autem Jacóbum fratrem

[...]trem Joánnis gládio ; videns autem quia placéret Judæis, appósuit ut apprehénderet & Petrum.
℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus.
℟. Nimis confortátus est principátus eórum.
Ad Benedictus, *Aña.* Quodcúmque ligáveris super terram erit ligátum & in cœlis, & quodcúmque sólveris super terram erit solútum & in cœlis ; dixit Dóminus Simóni Petro.
Oratio. Deus qui beátum Petrum. *ut suprà.* 559.
Ad Processionem. ℟. ix. Surge Petre & índue vestiménta tua : quia cecidérunt caténæ de mánibus tuis.
Ad ij. Benedictus, Aña. Dixit Angelus ad Petrum: Circúmda tibi vestiméntum tuum & séquere me.
Oratio. Deus qui hodiérna die. *ut suprà.* 560.
Ad Tertiam, Capitulum. Misit Heródes rex manus ut affligeret quosdam de Ecclésia. *ut suprà.*
℣. In omnem terram. *ut in Comm. Apost.* xvj.
Oratio. Deus qui beátum Petrum. *ut sup.* 559.
Ad Sextam, Capitulum.

PEtrus quidem servabátur in cárcere : orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.
℟. Constítues eos príncipes. *ut in Com Apost.* xvj.
Oratio. Deus qui hodiérna die. *ut suprà.* 560.
Ad Nonam, *Capitulum.*
ET Petrus ad se revérsus dixit ; Nunc scio verè quia misit Dóminus Angelum suum : & erípuit me de manu Heródis & de omni expectatióne plebis Judæórum.
℟. Nimis honoráti sunt. *ut in Comm. Apost.* xvij.
Orémus. *Oratio.*
DEus qui beáto Petro Apóstolo ligándi atque solvéndi Pontifícium misericórditer tradidísti : & eum hódie à vínculis totíus Ecclésiæ oratióne solvísti; quæsumus, ut salutáris illius potestátis efféctu carnis & peccáti vínculis dissolúti : líberis tibi méntibus serviámus. Qui vivis.
Ad Vesperas, Capitulum. Misit Heródes rex manus ut affligeret quosdam de Ecclésia, *ut suprà.* 564.
℣. In omnẽ terram éxivit sonus

sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat, Antiph. Dixit Angelus ad Petrum: Circúmda tibi vestiméntum tuum & séquere me.

Oratio. Deus qui hodiérna die. *ut suprà.* 560.

Processio de sequenti, Responsorium secundùm Feriam in quam inciderit.

DIE II. AUGUSTI.

Sancti Stephani Papæ & Mart. iij. Lectionum.

Omnia de Comm. unius Martyris.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos beáti Stéphani Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus: de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

Lectio ij.

STéphanus Románus post Lúcium gessit Pontificátum Valeriáno Imperatóre. Illum ádiit Basílides quidam Hispánus Epíscopus, qui unà cum Martiáli à Concílio Episcopórum Hispániæ propter idololatríam & ália crimina, sede suâ dejéctus: ad communiónem láicam redáctus fúerat; & ab eo tácitæ veritátis ignáro, obtínuit ut sedi suæ restitueréter: ad prióra peccáta falláciæ crimen adjúngens. Grassabátur his tempóribus Novatianórum hæresis: quæ pœniténtibus solátia lenitátis patérnæ claudébat sine spe pacis. His cùm Marciánus Arelaténsis se adjunxísset; Stéphanus primùm à Faustíno Lugdunénsi: subínde à sancto Cypriáno mónitus est.

Lectio iij.

SUmmâ ejus curâ Ecclésiæ discíssæ ad unitátem revérsæ sunt: & rédditam tam citò pacem, Stéphano per lítteras gratulátus est Dionysius Epíscopus Alexandrínus. Alia quoque gravis exórta est controvérsia de iteratióne Baptísmi ab Hæréticis colláti; circa quam invícto ánimo tutátus est majórum traditiónem scribens ad sanctum Cypriánum: Nihil innovétur nisi quod tráditum est. Tandem post administrátam sanctíssimè tribus annis Ecclésiam in perse

ersecutióne Valeriáni su-
perveniéntibus satellíti-
us : ante altáre impávi-
us cœpta mystéria persí-
iens in sede suâ decollá-
us est. Corpus ejus à Clé-
icis sepúltum est, in Cœ-
nétcrio Callísti.

DIE III. AUGUSTI.

*evelationis seu Inventio-
nis Corporis S. Stephani
Protomartyris.*

*In majori Ecclesia duplex
majus. In aliis Ecclesiis
midup. majus.*

*Omnia de Communi
nius Martyris, præter ea
uæ hîc sequuntur.*

*Ad Vesperas, in majori
cclesia, Aña de Laud.* 573
salmi de Dominica 145.
co ultimi. Laudáte Dó-
inum omnes gentes. 150.
*libi Aña & Psalmi de
ria occurrente.*

Capitulum.

STéphanus plenus grá-
tiâ & fortitúdine : fa-
ébat signa magna in pó-
lo.

. Posuísti Dómine super
put ejus. ℟. Corónam
lápide pretióso.

Ad Magnificat, Antiph.
éphanus vidit cœlos a-
rtos, & Jesum stantem
à dextris Dei. *Duplicatur
in majori Ecclesia.*

Orémus. *Oratio.*

DA nobis quæsumus Dómine imitári quod cólimus : ut discámus inimícos dilígere ; quia ejus solémnia celebrámus : qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit.

In majori Ecclesiâ nulla fit Processio, alibi fiunt duæ Processiones.

Ad primam Processionem.
℟. Stéphanus autem plenus grátiâ & fortitúdine : faciébat signa magna & prodígia in pópulo.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus qui primítias Mártyrum in beáti Levítæ Stéphani sánguine dedicásti : tríbue quæsumus ; ut pro nobis intercéssor exístat : qui pro suis étiam persecutóribus exorávit Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum.

Ad 2. Processionem.
℟. ij. Surrexérunt quidam de Synagóga disputántes
cum

cum Stéphano : Et non póterant resístere sapiéntiæ & spíritui quo loquebátur.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui ad grátiæ tuæ testimóniū & sanctæ religiónis fundaméntum beátum Stéphanum Filio tuo primum in morte sócium & martyribus tuis ducem præbuísti : da córdibus nostris pro ejus inventióne lætítiam; ut cujus relíquias hodiérnâ festivitáte venerámur : ejus in ómnibus constántiam & charitátem imitémur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij.

Ad Matutinum Inuitat. Regem Regum Dóminum Veníte adorémus, quia ipse est coróna beáti Stéphani. *In majori Ecclesia duplicatur.*

Antiphonæ & Psalmi de Communi unius Martyris. xxxv.

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap.6.

IN diébus illis crescénte número Discipulórum; factum est murmur Græcórum advérsùs Hebræos: eò quòd despiceréntur in ministério quotidiáno víduæ eórū. Cōvocántes autē duódecim multitúdinē discipulórū, dixérunt: Non est equū nos derelínquere verbum Dei & ministráre mensis. Consideráte ergo fratres, viros ex vobis boni testimónij septem plenos Spíritu sancto & sapiéntiâ; quos constituámus super hoc opus : nos verò oratióni & ministério verbi instántes érimus Et plácuit sermo coram omni multitúdine. Et elegérunt Stéphanum virum plenum fide & Spíritu sancto ; & Philíppum, & Próchorum, & Nicánorem, & Timónem, & Pármenam : & Nicoláum ádvenam Antiochénum. Et hos statuérunt ante cōspéctum Apostolórum : & orántes imposuérunt eis manus. Et verbum Dómini crescébat, & multiplicabátur númerus discipulórum in Jerúsalem valdè : multa étiam turba Sacerdótum obediébat fidei. Stéphanus autem plenus grátiâ & fortitúdine : faciébat prodígia & signa magna in pópulo.

℟. Stéphanus autem plenus grátiâ & fortitúdine: * Faciébat

Faciébat signa magna & prodígia in pópulo.
℣. Cùm autem esset plenus Spíritu sancto, & fide beátus Stéphanus. Faciébat.

Lectio ij.

SUrrexérunt quidam de Synagóga quæ appellátur Libertinórum ; & Cyrenénsium ; & Alexandrinórum ; & eórum qui erant à Cilícia & Ásia disputántes cum Stéphano : & non póterant resístere sapiéntiæ, & spirítui, qui loquebátur. Tunc submisérunt viros, qui dícerent se audivísse eum dicéntem verba blasphémiæ in Móysen : & in Deum. Commovérunt ítaque plebem, & Senióres, & Scribas ; & concurréntes rapuérunt eum : & adduxérunt in concílium. Et statuérunt falsos testes qui dícerent : Homo iste non cessat loqui verba advérsùs locum sanctum, & legem. Audívimus enim eum dicéntem ; Quóniam Jesus Nazarénus hic, déstruet locum istum, & mutábit traditiónes : quas trádidit nobis Móyses. Et intuéntes eum omnes, qui sedébant in concílio : vidérunt fáciem ejus tamquam fáciem Angeli.
℟. Surrexérunt quidam de Synagóga disputántes cum Stéphano ; * Et non póterant resístere sapiéntiæ & Spirítui quo loquebátur.
℣. Commovérunt ítaque plebem & concurréntes rapuérunt eum & adduxérunt in concílium. Et non póterant.

Lectio iij. Cap. 7. & 8.

CUm autem esset plenus Spíritu sancto inténdens in cœlum ; vidit glóriam Dei : & Jesum stantem à dextris Dei. Et ait ; Ecce vídeo cœlos apértos : & Fílium hóminis stantem à dextris Dei. Exclamántes autem voce magnâ continuérunt aures suas : & ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eùm extra civitátem lapidábant ; & testes deposuérunt vestiménta sua, secus pedes adolescéntis : qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem, & dicéntem : Dómine Jesu súscipe spíritum meum. Pósitis autem génibus ; clamávit voce magnâ, dicens : Dómine ne státuas illis hoc peccátum. Et cùm hoc dixisset :

xísset: obdormívit in Dómino. Saulus autem erat consséntiens neci ejus. Facta est autẽ in illa die persecútio magna in Ecclésia, quæ erat Jerosólymis; & omnes dispérsi sunt per regiónes Judææ & Samaríæ: præter Apóstolos. Curavérũt autẽ Stéphanum viri timoráti: & fecérunt planctum magnum super eum.

℟. Vidébant omnes Stéphanum qui erant in concílio: * Et intuebántur vultum ejus tamquam vultum Angeli. ℣. Et concurréntes rapuérunt eum & adduxérunt in concílium. Et intuebántur. Glória Patri. Et intuebántur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Corpora sanctórũ Stéphani Protomártyris, Gamaliélis, Nicodémi, Abibónis quæ diu in obscúro loco jacúerant; Luciáno Presbytero divínitùs admónito: invénta sunt prope Jerosólymam ab Antístite Joanne; convocátis finitimárum úrbium Epíscopis & Presbyteris: Theodósio junióre & Honório imperántibus. Cujus rei famâ magna hóminum multitúdo commóta, eò convénit: pluréſque váriis morbis affécti, sani & íntegri domum rediérunt. Sacræ Relíquiæ summâ celebritáte in sanctam Ecclésiam Sion illátæ sunt: ex quibus pósteà váriæ partículæ in Africam, Gálliam, aliásque orbis partes delátæ, multis claruérunt insígniis.

℟. Vídeo cœlos apértos & Jesum stantem à dextris virtútis Dei: * Dómine Jesu áccipe spíritum meum & ne státuas illis hoc peccátum. ℣. Et ejiciéntes eum extra civitátem lapidábant invocántem & dicéntem. Dómine Jesu.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 25. ex editis à Sirmundo.

Lectio v.

Audístis cùm passiónis Stéphani léctio legerétur de libro Canónico Actuum Apostolórum, quemádmodum lapidátus est à Judæis, quemádmodum commendáverit Dómino spíritũ suum: quemádmodum étiam in extrémo génibus flexis oráverit pro lapidatóribus suis. Hujus

jus corpus ex illo usque ad ista témpora látuit. Nuper autem appáruit sicut solent apparére sanctórum Mártyrum córpora; revelatióne Dei: quando plácuit Creatóri. Præcedentibus enim signis locus demonstrátus est: & quómodo fúerat revelátum, sic & invéntum est. Multi inde relíquias accepérunt; quia Deus vóluit: & hùc venérunt. Commendátur ergo charitáti vestræ & locus & dies. Utrúmque celebrándum in honórem Dei quem conféssus est Stéphanus. Nos enim in isto loco non aram fécimus Stéphano: sed de relíquiis Stéphani, aram Deo. Grata sunt Deo, hujúsmodi altária. Quæris quare? quia pretiósa in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus.

℟. Impetum fecérunt unánimes in eum: ejecérunt eum extra civitátem invocántem & dicéntem: * Dómine áccipe spíritum meũ. ℣. Et lapidábant Stéphanum invocántem & dicéntem. Dómine.

Ex libro ejusdem de Civit. Dei. 22. c. 8. circa med.

Lectio vj.

AD aquas Tibilitánas Epíscopo afferrénte Projécto relíquias mártyris gloriosíssimi Stéphani: ad ejus memóriam veniébat magnæ multitúdinis concúrsus & occúrsus. Ibi cæca múlier, ut ad Epíscopum portántem pígnora sacra ducerétur, orávit; flores quos ferébat, dedit; recépit; óculis admóvit: prótinus vidit. Stupéntibus qui áderant; præíbat exúltans, viam carpens: & viæ ducem ultérius non requírens. Memoráti memóriam mártyris, quæ pósita est in castéllo Synicénsi, quod Hypponénsi Colóniæ vicínum est, ejúsdem loci Lucíllus Epíscopus, pópulo præcedénte atque sequénte, portábat: fistula, cujus moléstiâ jam diu laboráverat, & familiaríssimi sui médici, qui eam secáret, operiebátur manus, illíus sárcinæ vectatióne; ubi sanctas attigísset relíquias, repénte sanáta est: nam deínceps eam in suo córpore non invénit.

℟. Lapidábant Stéphanum invocántem & dicéntem:

tem: * Dómine Jesu Christe áccipe spíritum meum, & ne státuas illis hoc peccátum. ℣. Pósitis autem génibus voce magnâ clamávit dicens. Dómine Jesu. Glória Patri. Dómine Jesu.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap.23.v.29.

IN illo témpore dicebat Jesus, turbis Pharisæórum & principíbus Judæórum. Væ vobis qui ædificátis monuménta Prophetárum patres autem vestri occidérunt illos. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm.12. de Diversis sub finem.

DOminus amárè & acérbè árguit Judæos sed amándo Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypócritæ. Quando dicébat ista; quis non díceret quia ódierat illos? Venit ad crucem, & ait Pater ignósce illis quia nésciunt quid fáciunt. Sic & Stéphanus in sermóne suo prius árguit. Durâ cervíce & non circumcísi corde & áuribus; vos semper Spirítui sancto resístitis, sicut & patres vestri quem Prophetárum non occidérunt patres vestri? ista dicéndo, quasi odit, quasi sævit. Lingua clamat cor amat.

℟. Intuens in cœlum beátus Stéphanus vidit glóriam Dei & ait: * Ecce vídeo cœlos apértos & filiũ hóminis stantem à dextris virtútis Dei. ℣. Cùm autem esset plenus Spíritu sancto inténdens in cœlum vidit glóriam Dei & ait. Ecce vídeo cœlos apértos.

Lectio viij.

AUdívimus linguam clamántem probémus ánimum diligéntem. Nam cùm ad lápides cucurríssent duri ad duros jactábant in illum pares suos. Petris lapidabátur qui pro petra moriebátur; dicénte Apóstolo Petra autem erat Christus. Et cùm tãta esset in docéndo constántia vidéte, qualis extíterit in morte patiéntia. Hi enim íctibus lápidum corpus ipsius quatiébant;& ille pro eis orábat

contunde

contundebátur homo extérior, & supplicábat intérior. Sed Dóminus qui cínxerat, qui probáverat; qui ei charactérem non in manu sed in fronte posúerat: spectábat désuper mílitem suum; juvatúrus certántem: coronatúrus vincéntem.

℟. Curavérunt Stéphanum viri timoráti & fecérunt planctum magnum super eum: facta est autem & persecútio magna advérsùs Ecclésiam: * Quæ erat Jerosólymis. ℣. Saulus autem erat conséntiens neci ejus & devastábat Ecclésiam. Quæ erat.

Lectio ix.

DEnique osténdit se illi. Ecce enim, inquit, vídeo cœlos apértos: & Fílium hóminis stantem à dextris Dei. Solus vidébat: quia illi soli apparébat. Et quid ait pro se? Dómine áccipe Spíritum meum. Pro se rogans stetit; pro illis genufléxit: pro se eréctus, pro illis curvus. Pro se celsus; pro illis húmilis genufléxit, & ait: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et hoc dicto, obdormívit. O somnus pacis! Qui inter lápides inimicórum dormívit; quómodo in suis cinéribus vigilábit? dormívit secúrus; quiétus in pace: quia spíritum suum Dómino commendávit.

℟. Coróna áurea super caput ejus expréssa signo sanctitátis glória honóris: * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et opus.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes, Antiphona. Lapidábant Stéphanum & ipse invocábat Dóminum dicens: Ne státuas illis hoc peccátum.

Psalmus. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.* 20.

Aña. Stéphanus vidit cœlos apértos & Jesum stantem à dextris Dei.

Aña. Ecce vídeo cœlos apértos & Jesum stantem à dextris Dei.

Aña. Si quis mihi ministráverit honorificábit eum Pater meus qui est in cœlis dixit Dóminus.

Aña. Ecce verè Israëlíta in quo dolus non est.

Capitu

Capitulum.

CUm esset Stéphanus plenus Spíritu sancto; inténdens in cœlum vidit glóriam Dei: & Jesum stantem à dextris Dei.

℣. Stola jocunditátis.

℟. Induit eum Dóminus.

Ad Benedictus, Ana. Stéphanus autem plenus grátia & fortitúdine faciébat signa magna in pópulo. *Duplic. in maj. Eccl.*

Oratio. Da nobis quæsumus Dómine imitári. 567.

Ad Tertiam, Capitulum. Stéphanus autem plenus. *ut suprà.* 567.

℟. Posuísti Dómine super. ℣. Corónam de lápide. xlvj.

Oratio. Da nobis quæsumus Dñe imitári. 567.

Ad Sextam, Capitulum. Act. 6.

SUrrexérunt autem quidam de Synagóga quæ appellátur libertinórum, & Cyrenénsium & Alexandrinórum; & eórum qui erant à Cilícia & Asia disputántes cum Stéphano: & non póterant resístere sapiéntiæ & Spíritui quo loquebátur.

℟. Glória & honóre.

℣. Et constituísti eum. xlvj.

Oratio. Omnípotens sempitérne Deus qui. 567.

Ad Nonam, Capitulum. Act. 7.

POsitis autem génibus clamávit voce magnâ dicens; Dómine ne státuas illis hoc peccátum & cum hoc dixísset: obdormívit in Dómino.

℟. Magna est glória ejus.

℣. Glóriam & magnũ. xlvij

Oratio. Deus qui ad grátiæ tuæ. 568.

Ad Vesperas Antiphonæ de Laudibus Psalmi de Dominica loco ultimi. Psalmus. Crédidi.

Capitulum. Stéphanus autẽ plenus grátiâ. 567.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus.

℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Magnificat, Aña. Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti & fecérunt planctum magnum super eum. *Duplic. in majori Ecclesia.*

Oratio. Da nobis quæsumus Dómine imitári. 567.

Processio de sequenti.

DIE IV. AUGUSTI.

Adventus seu Translationis S. Iusti Lugdunensis Episcopi & Confessoris de Eremo. iij. Lectionum.

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui ánimæ fámuli tui Justi ætérnæ beatitúdinis præmia contulísti: concéde propítius; ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur: ejus apud te précibus sublevémur. Per Dóminum.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

TAntus cívium Lugdunénsium erga sanctíssimum Antístitem suum nómine & méritis Justum amor, tantúmque stúdium fuit; ut postquam in Ægypto migrávit ad Dóminum virtútibus consummátus, repósitam sibi corónam justítiæ perceptúrus: non dubitáverint in eam regiónem proficísci; & penè inaccéssas præ ardóribus scrutári solitúdines: ut sacrum ejus corpus inde in civitátem suam asportárent. Reverénda ígitur sancti senis ossa, cum summâ alacritáte reduxérunt; dederúntque óperam, ut qui spíritu cum ipsis erat: esset & córpore. Relátum eórum ígitur curâ Lugdúnum corpus addúctum: primò in Ecclesia sancti Stéphani super aram sancto Eustáchio sacram fuit repósitũ, deinde totíus Lugdunénsis Cleri pública supplicatióne revéctum. Egrégij Præsulis corpus cum beáti Viatóris minístri ejus óssibus; in Basílicâ sanctórum Machabæórum Mártyrum, cui pósteà ab eódem sancto Justo nomen fuit, condígno cultu repósitum est: ubi ad hæc úsque témpora Sacrum ejus caput Calvinianórum impietáte ereptum decénter asservátur, & piè cólitur. De summâ veneratióne, quâ suo jam témpore Lugdúni erat sancti Justi sepúlchrum: egrégiè scripsit Sidónius Apollináris Lugdunénsis orígine & Arvernórum Epíscopus.

DIE V. AUGUSTI.

Sancta Maria ad Nives.

In Majori Ecclesia Duplex majus. In aliis vero Duplex minus.

Ad Vesperas, Aña de Laudibus. Ave María. *Psal.* Dixit Dóminus. *cum reliquis ut in primis Vesp. Officij parvi Beatæ Mariæ Virginis.* clxxxiij.

Capitulum.

Capitulum.

AB inítio, & ante sæcula creáta sum: & usque ad futúrum sæculum non désinam; & in habitatióne sancta: coram ipso ministrávi.

℣. Beátam me dicent, omnes generatiónes.

℟. Quia fecit mihi Dóminus magna quia potens est.

Ad Magnificat, Aña. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis salúte gaudére; & gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia: & ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum nostrum.

Processio. ℟. Fœlix valde es, sacra virgo María & omni laude digníssima, quia ex te ortus est sol justítiæ Christus Deus noster.

Ad ij. Magnificat, Aña. Speciósa facta es, & suávis in delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórum Dómine delíctis ignósce; & qui tibi placére de áctibus nostris non valémus: Genitrícis Fílij tui Dómini nostri intercessióne salvémur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Complet. Hymnus. Ave maris stella. clxxvj.

Ad Matutinum, Invit. Ave María grátia plena Dóminus tecum. *Duplic. Psal.* Veníte exultémus. 2.

Novem Antiphonæ & novem Psalmi ut in Officio parvo B. Mariæ Virginis. clxxxviij.

In primo Nocturno.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua.

℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 8. & 9.

EGo hábito in consílio: & erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum;

lum ; arrogántiam. & supérbiam, & viam pravam: & os bilíngue detéstor. Meum est consílium, & æquitas ; mea est prudéntia : mea est fortitúdo. Per me reges regnant : & legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant : & poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo ; & qui mane vígilant ad me, invénient me.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus : * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, & lílium convállium. ℣. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit & recéssit. Et sicut.

Lectio ij.

MEcum sunt divítiæ, & glória : opes supérbæ, & justítia. Mélior est enim fructus meus auro ; & lápide pretióso : & genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícij ; ut ditem diligéntes me : & thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret à princípio. Ab ætérno ordináta sum : & ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, & ego jam concépta eram : necdum fontes aquárum erúperant ; necdum montes gravi mole constíterant : ante colles ego parturiébar.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano & sicut cypréssus in montem Sion : quasi myrrha elécta : * dedi suavitátem odóris. ℣. Sicut cinnamómum & aspártum aromatízans. Dedi suavitátem.

Lectio iij.

BEátus homo qui audit me, & qui vígilat ad fores meas quotídie : & obsérvat ad postes óstij mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, & háuriet salútem à Dómino ; qui autem in me peccáverit : lædet ánimam suam. Omnes qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum. excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas ; míscuit vinum : & propó-

ſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas ut vocárent ad arcem ; & ad mænia civitátis : ſi quis eſt párvulus véniat ad me. Et inſipiéntibus locúta eſt : Veníte , comédite panem meum , & bíbite vinum, quod míſcui vobis.

℟. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis : * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem & manſuetúdinem & justítiam & dedúcet te mirabiliter déxtera tua. Proptérea benedíxit. Glória Patri. Proptérea.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu ſuo.

℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iv.

LIbério ſummo Pontífice , Joánnes Patrítius Románus & uxor pari nobilitáte , cum líberos non ſuſcepíſſent, quos bonórum hærédes relínquerent ; ſuam hæreditátem Sanctíſſimæ Vírgini Dei Matri vovérunt , ab ea ſummis précibus aſsidue petentes : ut in quod pium opus eam pecúniam potíſſimum erogári vellet , áliquo modo ſignificáret. Quorum preces & vota ex ánimo facta : beáta Virgo María benígnè áudiens, miráculo comprobávit.

℟. Ego ſicut vitis fructificávi ſuavitátem odóris, allelúia : * Transíte ad me omnes qui concupíſcitis me , & à generatiónibus meis adimplémini , allelúia , allelúia. ℣. Ego diligentes me díligo , & qui manè vigiláverint ad me : invénient me. Transíte.

Lectio v.

NOnis ígitur Augúſti ; quo témpore in urbe máximi calores eſſe ſolent : noctu nix partem collis Exquilíni contéxit. Qua nocte Dei Mater ſeparátim Joánnem & cónjugem in ſomnis admónuit : ut quem locum nive conſpérſum vidérent , in eo Eccléſiam ædificárent ; quæ Maríæ Vírginis nómine dedicarétur : ſe enim ita velle ab ipſis hærédem inſtítui. Quod Joánnes ad Libérium Pontíficem détulit : qui idem per ſómnium ſibi contigíſſe affirmávit.

℟. Una eſt colúmba mea, perfécta mea : una eſt matris

tris suæ, eléćta genitrícis suæ: * Vidérunt illam fíliæ: & beatíssimam prædicavérunt regínæ, & concubínæ & laudavérunt eam. ℣. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens: pulchra ut luna: eléćta ut sol. Vidérunt illam filiæ.

Lectio vj.

QUare solémni sacerdótum & pópuli supplicatióne, ad collem venit nive coopértum, & in eo locū Ecclésiæ designávit quæ Joánnis, & uxóris pecúniâ exstrúćta est: póstea à Xysto tértio restitúta. Váriis nomínibus primùm est appelláta; Basílica Libérij: Sanćta María ad præsépe. Sed cùm multæ jam essent in urbe Ecclésiæ sub nómine sanćtæ Maríæ Vírginis: ut quæ Basílica novitáte miráculi ac dignitáte cæteris ejúsdem nóminis Basílicis præstáret; vocábuli étiam excelléntia significarétur: Ecclésia Sanćtæ Maríæ majóris dićta est. Cujus dedicatiónis memória ex nive, quæ hac die mirabíliter cécidit: anniversáriâ celebritáte cólitur.

℟. Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum, sicut vírgula fumi ex aromátibus: * Myrrhæ & thuris & univérsi púlveris pigmentárij. ℣. Emissiónes tuæ paradísus malórum punicórum cum pomórum frúćtibus. Myrrhæ & thuris. Glória Patri. Myrrhæ & thuris.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In tertio Nocturno.

Léćtio sanćti Evangélij: secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore: loquénte Jesu ad turbas; extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homília sanćti Bernárdi Abbátis.

In Nativitate. B. Mariæ Virginis.

IN ómnibus María, & per ómnia próvidens míseris: trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat; spem róborat, diffidéntiam ábigit: érigit pusillanimitátem. Ad patrem verebáris accédere; solo

audítu térritus ad fólia fugiébas? Jesum tibi dedit mediatórem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtíneat? Exaudiétur útique pro reveréntia suâ: Pater enim díligit Fílium. An verò trépidas, & ad ipsum? frater tuus est, & caro tua; tentátus per ómnia absque peccáto: ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem María dedit. Sed fórsitan & in ipso majestátem vereáre divínam; quod licet factus sit homo: mánserit tamen Deus. Advocátum habére vis, & ad ipsum? ad Maríam recúrre. Pura síquidem humánitas in Maríâ, nónmodò pura ab omni contaminatióne, sed & pura singularitáte natúræ. Nec dúbius díxerim, exaudiétur & ipsa pro reveréntia sua.

℟. Ave María grátia plena Dóminus tecum, Spíritus sanctus supervéniet in te & virtus Altíssimi obumbrábit tibi: * Quod enim ex te nascétur, sanctum vocábitur Fílius Dei. ℣. Benedícta tu in muliéribus & benedíctus fructus ventris tui. Quod enim ex te nascétur.

Lectio viij.

EXáudiet útique Matrem Fílius, & exáudiet Fílium Pater. Filíoli hæc peccatórum scala hæc mea máxima fidúcia est: hæc tota rátio spei meæ. Quid enim? Potest ne Fílius, aut repéllere aut sustinére repúlsam? Non audíre, aut non audíri Fílius potest: néutrum planè. Invenísti, ait Angelus, grátiam apud Deum. Felíciter semper hæc invéniet grátiam, & sola est grátia quâ egémus. Prudens virgo, non sapiéntiam, sicut Sálomon non divítias; non honóres, non poténtiam: sed grátiam requirébat. Nimírum est sola grátia, quâ salvámur. Quid nos ália concupíscimus fratres? quærámus grátiam; & per Maríam quærámus: quia quod quærit, ínvenit, & frustrári non potest. Quærámus grátiam; sed grátiam apud Deum: nam apud hómines grátia fallax. Quærant álij méritum: nos inveníre grátiam studeámus.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna

gna quia potens est, & sanctum nomen ejus.

℣. Et misericórdia ejus in progénie & progénies timéntibus eum. Quia fecit.

Lectio ix.

DOmínicus Calarógæ in Hispánia ex nóbili Gusmanórum famíliâ natus, Paléntiæ liberálibus disciplínis & Theológiæ óperam dedit; tum Ecclésiæ Oxoménsis Canónicus reguláris: deindè Fratrum Prædicatórum Ordinis auctor fuit. Hujus ingénium ac virtus enituérunt, in everténdis Hæréticis: qui perniciósis erróribus Tolosátes pervértere conabántur. Póstea Romam venit ad Concílium Oecuménicum Lateranénse quartū, ut Ordo suus confirmarétur ab Innocéntio tértio. Quæ res dum in deliberatióne versátur; hortátu Pontíficis ad suos revértitur: sibi régulam delectúrus. Romam rédiens, confirmatiónem Ordinis ab Honó rio tértio ímpetrat. Tres mórtuos ad vitam révocat; aliáque edit mirácula: quibus Ordo Prædicatórum mirificè propagári cœpit. Tandem Bonóniæ in febrem Lethálem íncidit; & cùm alúmnos suos ad innocéntiam & integritátem cohortátus esset, frátribus his verbis orántibus; Subveníte sáncti Dei, occúrrite Angeli, obdormívit in Dómino: quem anno décimo tértio ab óbitu suo Gregórius nonus in sanctórum númerum rétulit.

℟. Felix valdè es Sacra Virgo María & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ Christus Deus noster.

℣. Ora Dei Génitrix pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto fœmineo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant, tuam sanctam festivitátem. Quia ex te ortus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Antiphona.

AVe María grátia plena Dóminus tecum, benedícta tu, in muliéribus. *Psalmus.* Dóminus regnávit. *cum reliquis.* 20. *Aña.* Pulchra es & decóra, Fília Jerúsalem terríbilis ut castrórum ácies ordináta. *Aña.* Benedícta

tu in mulieribus, & benedíctus fructus ventris tui. *Aña.* In odórem unguentórum tuórum currémus adolescéntulæ dilexérunt te nimis. *Aña.* Quàm pulchri sunt gressus tui calciaménti, filia príncipis.

Capitulum. Eccl. 24.

AB inítio & ante sæcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non désinam: & in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

℣. Audívit & lætáta est Sion. ℟. Et exultavérunt fíliæ Judæ.

Ad Benedictus, Aña. Beáta es quæ credidísti; perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi à Dómino allelúia. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

COncéde nos fámulos tuos quæsumus Dómine Deus perpétuâ mentis & córporis salúte gaudére: & gloriósâ beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne à præsénti liberári tristítia: & ætérnâ pérfrui lætítiâ. Per Dóminum.

Processio ad sanctam Mariam.

Fœlix valdè. 581.

Ad ij. Benedictus, Aña. Sicut myrrha elécta odórem dedísti suavitátis, sancta Dei Génitrix.

Oratio. Famulórum tuórum *ut in primis Vesp.* 576.

Ad Tertiam, Capitulum.

Eccli. 24. i

AB inítio & ante sæcula creáta sum, & usque ad futúrum sæculum non désinam: & in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

℟. Spécie tua & pulchritúdine tua.

℣. Inténde prósperè, procéde & regna. Glória Patri.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Oratio. Concéde nos fámulos. 582.

Ad Sextam, Capitulum.

Eccli. 24. i

ET sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi: & in Jerúsalem potéstas mea; Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei hæréditas illíus: & in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

℟. Adjuvábit eam Deus vultu suo.

℣. Deus in médio ejus

non commovébitur. Glória Patri. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Próptérea benedíxit te Deus in ætérnum. *Oratio.* Famulórum tuórum. 576.

Ad Nonam, Capitulum.

IN platéis sicut cinnamómum & bálsamum aromatízans odórem dedi; quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Glória Patri. ℣. Elégit eam Deus & præelégit eam. ℟. In tabernáculis suis habitáre eam facit.

Orémus. *Oratio.*

COncéde misericors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctę Dei Genitrícis festivitátem celebrámus intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem.

Vespera de sequenti.

DIE VI. AUGUSTI.

Transfigurationis Domini.

Dupl. majus.

Ad Vesperas, Antiph. Sunt de hic stántibus qui non gustábunt mortem: donec vídeant Fílium hóminis veniéntem in regno suo. *Psalm.* Laudáte púeri Dñm. 147. *Aña.* Petrus & qui cum illo erant præséntes, Christo lætificáti, vidérunt glóriam Dei. *Psalmus.* Laudáte Dóminum omnes gentes. 150. *Aña.* Accedéntes discípuli ad Dóminum Jesum, Patris vocem timéntes, cecidérunt in fácies suas. *Psalm.* Lauda ánima mea Dóminum. 167, *Aña.* Ut testimónium habéret à Lege & Prophétis, in médio Móysi & Eliæ transfigurátus appáruit. *Psalm.* Laudáte Dóminum quóniam bonus est psalmus. 167. *Aña.* Lex per Móysen signáta est, & prophetíæ per Elíam: in majestáte visi sunt cum Dómino in monte. *Psalmus.* Lauda Jerúsalem 168.

Capitulum.

SAlvatórem expectámus, Dóminum nostrum Jesum Christum; qui reformábit corpus humilitátis nostræ configurátum córpori claritátis suæ. ℣. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini.

℟. Proptérea decórem índuit te Dóminus, Allelúia, allelúia, allelúia.

Ad Magnificat, Antiphona. Christus Jesus spléndor Patris, & figúra substántiæ ejus, portans ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, in monte excélso gloriósus apparére hódie dignátus est. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DEus qui fidei Sacraménta, Unigéniti tui gloriósa Transfiguratióne, Patrum testimónio roborásti; & adoptiónem filiórum perféctam, voce delápsa in nube lúcida, mirabíliter præsignásti: concéde propítius; ut ipsíus Regis glóriæ nos cohærédes efficias: & ejúsdem glóriæ tríbuas esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Processio.

℟. Dum oráret, facta est spécies vultûs ejus áltera: & vestítus ejus albus refúlgens: & duo viri loquebántur cum illo: * Móyses & Elias visi in majestáte. * Allelúia. ℣. Dicébant autem excéssum ejus, quem completúrus erat in Jerúsalem. Móyses. Glória Patri & Fílio. Allelúia.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta quæsumus omnípotens Deus: ut sacrosáncta Transfiguratiónis Dómini nostri Jesu Christi mystéria; quæ solémni celebrámus officio: mentis & cordis perfectissimâ Transfiguratióne consequámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Ad Completorium.

Hymnus.

GAude Mater pietátis
In valle geméntium,
Pro ducatu dignitátis
Christi Regis ómnium,
Quo dilécta prædotáris
In cúlmine móntium.

Ubi patres præcelléntes
In mortáli córpore,
Admirántur, assisténtes
De tam grandi múnere,
Divínum lumen cernéntes
In creáto lúmine.

Quod vértices Prophetárum.
Præcolunt devótiùs:
Móyses lumen præclárum
Legis datæ cœlitùs,
Et Elias jubar magnum
Zelo Dei férvidus.

Præséntia Deitátis
Declarátur próvidè,
In audíta voce Patris
De suprémo gérmine:
Et spíritu veritátis

Forma

Forma nubis lúcidæ.
Genitóri Genitóque
Laus & jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit & benedíctio,
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio.
Amen.

In die Invitatorium.

Summum Regem glóriæ Christum adorémus : & pro dono grátiæ ejus, jubilémus. *Duplicatur. Psalmus* Veníte.

In primo Nocturno.

Aña. Paulò minùs ab Angelis minorátus glória & honóre coronátus est, & constitútus super ópera mánuum Dei. *Psalm.* Dómine Dóminus noster. 5.

Aña. Revelávit Dóminus condénsa : & in templo ejus omnes dicent glóriam. *Psalm.* Afférte Dómino. 54. *Aña.* Speciósus forma præ filiis hóminum : diffúsa est grátia in lábiis tuis. *Psalm.* Eructávit cor meum. 75.

℣. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini. ℟. Proptérea decórem índuit te Dóminus, allelúia, allelúia, alleluia.

De Epístola secúnda beáti Petri Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

FRatres magis satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis: hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquándo. Sic enim abundánter ministrábitur vobis intróitus in ætérnum regnum Dómini nostri : & Salvatóris Jesu Christi. Propter quod incípiam vos semper cōmonére de his : & quidem sciéntes & confirmátos vos in præsénti veritáte. Justum autem árbitror, quámdiu sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne; certus quòd velox est depositio tabernáculi mei : secúndum quod & Dóminus noster Jesus Christus significávit mihi.

℟. Surge illumináre Jerúsalem : quia venit lumen tuum : * Et glória Dómini super te orta est. ℣. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, & reges in splendóre ortûs tui. Et glória.

Lectio ij.

DAbo autem óperam & frequénter habére vos post óbitum meum : ut horum memóriam faciátis. Non enim doctas

fábulas secúti ; notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem & præséntiam : sed speculatóres facti illíus magnitúdinis. Accípiens enim à Deo Patre, honórem & glóriam ; voce delápsa ad eum hujuscémodi à magnífica glóriâ : Hic est Fílius meus diléctus in quo mihi complácui, ipsum audíte.

℟. In splendénti nube, Spíritus sanctus visus est : patérna vox audíta est. Hic est Fílius meus, in quo mihi benè complácui : ipsum audíte. ℣. Appáruit nubes obúmbrans & vox Patris intónuit. Hic est Fílius.

Lectio iij.

ET hanc vocem nos audívimus de cœlo allátam : cùm essémus cum ipso in monte sancto. Et habémus firmiórem prophéticum sermónem, cui bene fácitis attendéntes, quasi lucérnæ lucénti in calígin óso loco ; donec dies elucéscat, & lúcifer oriátur in córdibus vestris: hoc primum intelligéntes, quòd omnis prophetía Scriptúræ própria interpretatióne non fit. Non enim voluntáte humánâ alláta est aliquándo prophetía ; sed Spíritu sancto inspiráti : locúti sunt sancti Dei hómines.

℟. Vidéte qualem charitátem dedit nobis Deus Pater:* Ut Fílij Dei nominémur & simus ! ℣. Scimus quóniam cùm appa rúerit, símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum sícuti est. Ut Fílij. Glória Patri. Ut Fílij.

In secundo Nocturno.

Aña. Illúminans tu mirabíliter, à móntibus ætérnis, turbáti sunt omnes insipiéntes corde. *Psal.* Notus in Judæa Deus. 103. *Aña.* Mélior est dies una in átriis tuis super míllia. *Psal.* Quàm dilécta. 115. *Aña.* Gloriósa dicta sunt de te cívitas Dei. *Psal.* Fundaménta ejus. 117.

℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Allelúia, allelúia, allel.

Sermo sancti Ephrem Syri Diáconi.

Sermone unico in Transfigurationem Domini post initium.

Lectio

Lectio iv.

DUos Soles in monte videbant discípuli. Unum ex consuetúdine in cœlo resplendéntem : & álterum præter consuetúdinem. Unum qui eis lucébat & univérsum mundum illuminábat in firmaménto : & unum qui ipsis solis tunc resplendébat, fáciem nimírum Jesu inter ipsos. Vestiménta autem sua osténdit eis alba instar lucis ; quia ex toto córpore ejus glória Divinitátis suæ scaturiébat : & ex ómnibus membris suis lux ejus refulgébat. Non enim ut Móysi respléndu it fácies ejus extrínsecus ; verùm ex ipso scaturiébat divinitátis ejus glória : & in ipso manébat. Ex ipso oriebátur lux ejus & in ipso cogebátur ; neque enim in aliénam ábiit partem, & ipsum dimísit : quia non venit ex oblíquo, & eum ornávit. Neque étiam eam pro témpore uténdam accépit ; sed neque totã glóriæ suæ abyssum eis osténdit : at quantum pupíllæ oculórum suórum cápere póterant.

℟. Inebriáti sunt ab ubertáte domûs tuæ :* Et torrẽte voluptátis tuæ potábis eos. ℣. Quóniam apud te est fons vitæ : & in lúmine tuo vidébimus lumen. Et torrénte.

Lectio v.

ET apparuérunt ipsis Móyses & Elias simul cum eo loquéntes ; sermónes autem ipsórum quos cum eo loquebántur, tales erant : Grátias ei agébant, quòd impléti sui essent sermónes & verba ómnium cum ipsis Prophetárum. Adoratiónem ei offerébant pro salúte, quam in mundo fécerat géneri humáno : quodque mystérium ab ipsis descríptum ipse reípsa impléssef. Perfúsi ergo sunt gáudio Prophétæ & Apóstoli in ipso ascénsu montis. Lætáti sunt Prophétæ cùm jam vidíssent humanitátẽ ejus, quam non nóverant. Lætáti sunt autem, & Apostóli, ubi vidíssent glóriam divinitátis ipsíus quam nõ cognóverant ; cùmque audíssent vocem Patris Fílio testimónium feréntis per ipsam cognovérunt fuisse assúmptam ab eo humanitátem, quæ quidem adhuc

obscúra erat apud eos: ipsísque fidem fecit cum voce Patris glória córporis ejus, quæ resplendébat ex eâ quæ in ipso unita fuit divinitáte immutabíliter atque inconfúsè.

℟. Præcéptor, bonum est nos hic esse: faciámus hic tria tabernácula. * Tibi unum: Móysi unum: & Eliæ unum. ℣. Non enim sciébat, quid díceret, Tibi unum.

Lectio vj.

ET sigillátum fuit trium testimónium in voce patérna, in Móyse, & Elia: qui quidem ei assistébant velut servi: Cernébant se ínvicem ibi príncipes véteris, príncipes novi. Vidit Móyses sanctus, Simónem sanctificátum: Vidit œcónomus Patris procuratórem Fílij. Ille quidem scidit mare, ut pópulus in médiis ambuláret flúctibus: hic vero tabernáculum excitávit ut ædificáret Ecclésiam. Adspéxit virgo véteris testaménti vírginem novi, Elias nimírum Joánnem; qui ascéndit super currum ignis: vidit illum qui recúbuit super pectus flammæ. Factus est mons in figúram Ecclésiæ; & unívit in éo Jesus duo Testaménta, quæ suscépit Ecclésia: nobísque indicávit ipsum esse datórem duórum. Unum accépit ejus mystéria: álterum verò glóriam suórum factórum maniféstam réddidit.

℟. Si ministrátio mortis litteris deformáta in lapídibus fuit in glória: ita ut non possent inténdere filij Israël in fáciem Móysi, propter glóriam vultûs ejus, quæ evacuátur: multò magis: * Ministrátio Spíritûs, quæ manet, erit in glória. ℣. Amplióris enim glóriæ Christus præ Móyse dignus est hábitus, quantò amplíórem honórem habet domus, qui fabricávit eam. Ministrátio. Glória Patri. Ministrátio.

In tertio Nocturno.

Antiph. Tabor & Hermon in nómine tuo exultábunt tuum bráchium cum potentia. *Psalm.* Misericórdias Dómini. 118. *Aña.* Lux orta est justo, & rectis corde lætítia. *Psal.* Dóminus regnávit exúltet. 123. *Aña.* Confessiónem & decórem índuit amíctus lúmine

mine sicut vestiménto.

Psal. Bénedic ánima mea. veheménter 131.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo.

℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum, allelúia, allelúia, allelúia.

Léctio sancti Evangélij secúndùm *M*atthæum.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum & Jacóbum, & Joánnem fratrem ejus; & duxit eos in mõtem excélsum seórsum, & transfigurátus est ante eos: & resplénduit fácies ejus sicut sol. Et réliqua.

Homília sancti Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Homilia in Sabbato post primam Dominicam Quadragesimæ.

TRansfigurátus Dóminus talis in monte tribus suis discípulis appáruit: qualis post hanc vitam in regno suo cunctis fidélibus suis apparébit. Sed quare Salvátor noster in illam suæ claritátis spéciem transfiguráre se vóluit; nisi ut illíus glóriæ quam prædicábat, nos rédderet certióres? unde & tres suos discípulos, qui Ecclésiæ colúmnæ álibi vocántur, adésse vóluit: qui hujus tantæ visiónis testes exísterent. Sufficiunt enim isti tres ad hoc testificándum. Quia (sicut scriptum est) in ore duórum vel trium téstium: stabit omne verbum. Quis enim non credat, quòd Petrus & Jacóbus & Joánnes testántur; rectè autem in excélso monte ista fiébant: quæ póstmodum in cœlis fieri debébant. Fiunt verò post dies sex, Quia (ut Apóstolus ait) hujus vitæ labóre finíto; qui in sex diébus ágitur: relínquitur sabbathísmus & réquies pópulo Dei. Multum ígitur desideráre debémus; ut hi sex dies tránseant: quátenus Regem nostrum in suo decóre, suæque majestátis glória videámus.

℟. Vocávit nos Deus vocatióne sua sancta secúndùm grátiam suam quæ manifestáta est nunc: * Per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi. ℣. Qui destrúxit mortem, illuminávit autem vitam in incorruptiónem. Per illuminatiónem.

Lectio viij.

REspóndensautemPetrus dixit ad Jesum: Dómine bonum est nos hic esse; si vis, faciámus hic tria tabernácula: tibi unum, Móysi unum, & Eliæ unum. Cognóvit ígitur Petrus, & Móysen, & Eliam quos numquam ámplius víderat; quamvis, ut álij Evangelístæ dicunt, quid díceret: ignoráret. Ignorábat quidem quia loquebátur in eo; plura tabernácula fácere non est necésse: tria sufficiunt. Primum ígitur tabernáculum, est Synagóga; secúndùm Ecclésia: tértium cœlum. Et primum quidem fuit Móysi, qui illíus pópuli princeps fuit: secúndum autem est Eliæ, de quo Dóminus ait; Elias quidem ventúrus est, & restítuet ómnia, tértium verò Christi, de quo Apóstolus ait: Non enim manufácta sancta introívit Jesus sed in ipsum cœlum, ut appáreat vúltui Dei pro nobis. Primum in umbra fuit & figúra; secúndum in figúra est & veritáte: tértium in veritáte sola. In primo osténditur vita; in secúndo datur: in tértio possidétur. Non enim Sacraménta Ecclésiæ, sicut Sacraménta Synagógæ; medicínam docent & osténdunt: sed ipsa pótius sunt medicína & remíssio peccatórum.

℟. Deus qui dixit de ténebris lumen splendéscere, illúxit in córdibus nostris: * Ad illuminatiónē sciéntiæ claritátis Dei in fáciem Jesu Christi. ℣. Exórtum est in ténebris lumen rectis, miséricors, & miserátor & justus. Ad illuminatiónem.

Lectio ix.

XYstus secúndus Stéphano succéssit in Sede Románа. Ad eum Dionysius Alexandrínus scripsit epístolam de baptísmate; qua étiam eum commonefécit de exórta apud Ptolemáidem Pentapóleos urbem Sabellianórum hæresi. Sed & in ália epístola senténtiam ejus expétiit de ímpio quodam Hæreticórum Baptísmo: quem se dudum suscepísse quidam fidélis asserébat. Cùm autem acrióri advérsus Christiános persecutióne decréta, Valeriánus inter ália, rescrípto ad Senátum

tum dato, edixísset, ut Epíscopi Presbyteri & Diáconi incontinénti ánimadverteréntur; Xystus, simul cum Quadráto, octávo idus Augústi, in cœmetério animadvérsus est. Quem cùm sanctus Lauréntius, ad martyrium duci cérneret, in has voces flens erúpit: Quo progréderis sine filio, Pater, quo, Sacérdos sancte, sine minístro próperas? cui Xystus; Non ego te désero, fili: majóra te manent certámina, post tríduum me sequéris. Eódem die interfécti sunt, Felicíssimus & Agapétus, Diáconi: Januárius, Magnus, Vincéntius & Stéphanus, Subdiáconi. Gloriósam Xysti mortem sanctus Cypriánus Epíscopis Africæ per succéssum illórum collégam significári vóluit; quos suos quisque corroboráret: ut gaudérent magis quàm timérent in hac confessióne, in qua scirent Christi mílites non périmi, sed coronári.

℟. Dum oráret, facta est spécies vultûs ejus áltera: & vestítus ejus albus refúlgens: & duo viri loquebántur cum illo, * Móyses & Elías visi in majestáte, allelúia. ℣. Dicébant autem excéssum ejus, quem completúrus erat in Jerúsalem. Móyses.

Te Deum laudámus.

In Laud. Aña. Assúmpsit Jesus Petrum & Jacóbum Joánnem fratrē ejus, & duxit eos in montē excélsum seórsum & Transfigurátus est ante eos. *Psalm.* Dóminus regnávit decórē. 2. *Aña.* Resplénduit fácies ejus sicut sol; vestiménta autem ejus facta sunt alba, sicut nix, allelúia. *Psalmus.* Jubiláte. *Aña.* Ecce apparuérunt eis Móyses & Elias, loquéntes cum Jesu. *Psalmus.* Deus Deus. *Aña.* Respóndens autem Petrus dixit ad Jesum: Dómine, bonum est nos hîc esse. *Psalm.* Benedícite. *Aña.* Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos.

Psalmus. Laudáte.

Capitulum.

SAlvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum; qui reformábit corpus humilitátis nostræ: configurátum córpori claritátis suæ.

℣. Coróna áurea, impréssa

sa super caput ejus.

℟. Expréssa signo sanctitátis & glória honóris, allelúia, allelúia, allel.

Ad Benedictus, Aña. Et ecce vox de cœlo, dicens: Hic est Filius meus diléctus, in quo mihi complácui: ipsum audíte. Allelúia. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DEus qui fidei Sacraménta, Unigéniti tui gloriósâ Transfiguratióne Patrum testimónio roborásti; & adoptiónem filiórum perféctam, voce delápsa in nube lúcida, mirabíliter præsignásti: concéde propítius; ut ipsíus Regis glóriæ nos cohærédes efficias: & ejúsdem glóriæ tríbuas esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Ad Tertiam, Capitulum. Salvatórem. *ut suprà.*

℟. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini, allelúia, allelúia, ℣. Proptéreà decórem índuit te Dóminus, allelúia, allelúia. Glória Patri. ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, allelúia, allelúia, allelúia.

Oratio. Deus qui fidei Sacraménta. *ut suprà.*

Ad Sextam, Capitulum.

NOs autem reveláta fácie glóriam Dómini speculántes; in eámdem imáginem transformámur, à claritáte in claritátem: tamquam à Dómini spíritu.

℟. Glória & honóre coronásti eum Dómine, allel. allel. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, allelúia, allel. Glória Patri. ℣. Magna est glória ejus, in salutári tuo. ℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. Allelúia, allelúia, allelúia.

Oratio. Præsta quæsumus. *ut suprà.* 584.

Ad Nonam, Capitulum.

SUstulit me in spíritu in montem magnum & altum; & osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendéntem de cœlo, à Deo habéntem claritátem Dei: & lucérna ejus, est agnus.

℟. Magna est glória ejus in salutári tuo. Allelúia, allelúia. ℣. Glóriam & magnum decórem impónes super eum, allelúia, allel.

Glória

Glória Patri. ℣. Coróna áurea impréssa super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis & glória honóris, allelúia, allel. allel.

Orémus. *Oratio.*

DOmine Jesu, qui hódie in monte coram eléctis téstibus, gloriósa Transfiguratióne glóriæ cœléstis pignus misericors nobis dedísti: fac quæsumus; ut ejúsdem glóriæ tuæ amóre & cogitatióne Transfiguráti: te solum ducem & remuneratórem videámus. Qui vivis & regnas, &c.

Ad Vesperas, Antiphona. Assúmpsit Jesus Petrum. *cum aliis Antiphonis de Laudibus. Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica.* 145. *& loco ultimi, Psalm.* Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Capitulum, Versus, & Oratio, ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Aña. Et audiéntes discípuli, cecidérunt in fáciem suam & timuérunt valde, & accéssit Jesus, & tétigit eos: dixítque; Nolíte timére, allelúia. *Duplicatur.*

Processio.

℟. Hódie universórum fides fundátur: spes erígitur: Cháritas dilatátur * Cùm in Christo utrámque veram cognóvimus natúram: * Et quò per virtútū ópera téndere debeámus, aperítur. ℣. Thabor enim exultávit, suscípiens bráchium Dei cum poténtia. Cùm in Christo, Glória Patri. Et quò.

Oratio. Præsta quæsumus omnípotens. 584.

Ad Complet. Hymnus. Gaude Mater pietátis. *ut suprà.* 184.

DIE VII. AUGUSTI.

Donati Episcopi & Martyris.

iij. Lectionum.

Omnia de Communi Martyris Pontificis.

Orémus. *Oratio.*

DEus tuórum glória Sacerdótum: præsta quæsumus; ut sancti Mártyris tui & Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus: sentiámus auxílium. Per Dóminum nostrum.

Hæc Oratio dicitur, ad Vesp. Laudes & Tertiam.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Ex Martyrológio S. Adónis Epíscopi Viennénsis.

Lectio

Lectio ij.

DOnátus nutrítus à sancto Pigménio Presbytero; in título beáti Pastóris erudítus est non solùm in divínis: verùm in humánis lítteris sufficientíssimè. Cum quo & Juliánus crevit, & Subdiáconus ordinátus; rejécto póstmodum gradu inútilis factus: ad impérium adspirávit. Quo témpore beátum Pigménium Romæ in custódia mancipávit: & sanctos patrem & matrem Donáti gládio occídit. Donátus verò Lector fuga pétiit civitátem Arétium: & habitávit cũ Hilaríno gloriosíssimo Mónacho sérviens Deo contínuis oratiónibus & jejúniis. Verùm recépto beáto Satyro, Aretíno Epíscopo cum pátribus suis: ejus loco Sacerdótium beátus Donátus suscépit.

Lectio iij.

CUmque eádem die missas celebrásset pópulo; & de Córpore Christi & sánguine ipsíus, pópulus venerabíliter recrearétur: Diáconus quidam nómine Antimus tradébat sacrum sánguinem Christi; & súbito Paganórum impúlsu cécidit: & sanctum Cálicem commínuit. Unde valdè tristis tam ipse quàm pópulus Christi efficitur. Cujus tristítiam Dóminus per beátum íllico Donátum relevávit. Nam collécta sunt fragménta Domínici Cálicis, & beáto viro alláta; quæ flens ille suscípiens: oratióne facta, vas in prístinam formam restaurávit. Quo signo percúlsi Pagáni, simul cum Christiánis Deitátem Christi conféssi sunt: ac círciter septuagínta novem ánimæ in Christum credéntes per Baptísmum salvátæ sunt. Multis ergo signis Dóminus gloríficans sanctum suum, ad corónam Martyrij provéxit. Dénique tentus témpore Juliáni Imperatóris à Quadratiáno Augustáli, simul & cum eo Hilarínus vir Dei: jubétur idólis sacrificáre. Cui fidéliter relučtánti, jussit Quadratiánus os lapídibus contúndi. Hilarínum vero Mónachum in conspéctu ejus támdiu fústibus cædi; donec spíritum emítteret: deinde beátum

beátum Donátum in custódia reclúdi. Ubi cùm innúmera mirácula Dóminus per servum suum operarétur, misit Quadratiánus: & gládio percússit séptimo Idus Augústi. Cujus corpus Christiáni juxta civitátem cum veneratióne sepeliérunt. Mártyris verò Hilaríni ossa in Ostia civitáte tumuláta servántur.

DIE VIII. AUGUSTI

Cyriaci & sociorum Martyrum. iij. Lectionum.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos ánnuâ beáti Cyríaci Mártyris tui solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus: virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

In majori Ecclesia post Vesperas fit Processio ad Ecclesiam sanctæ Crucis. De sancto Severo.

℟. Euge serve bone. cj.

Ad Magnificat, Aña. Justum dedúxit Dñs. c.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos beáti Sevéri Confessóris tui ánnuâ solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus: per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Lectio ij.

CYríacus Diáconus cum Sisínnio Largo, & Smarágdo, Romæ diútius inclúsus in cárcere; multa édidit mirácula: in quibus plúrimos, suis précibus à nefário spíritu vexátos, erípuit. Tum Maximiáni Imperatóris jussu, caténis vinctus, ante rhedam suam tráhitur, iterúmque custódiæ tráditur; & post dies quátuor è cárcere edúctus, pice liquátâ perfúsus, & in catásta exténsus: demum cum Largo & Smarágdo, aliísque vigínti secúri percússus est, viâ saláriâ ad hortos Sallustiános. Quorum córpora in eádem viâ, décimo séptimo Kaléndas Aprílis, sepúlta à Joánne Presbytero, pósteà sextò Idus Augústi à sancto Marcéllo Pontífice & Lucína nóbili, & Piâ fœminâ líneis velis involúta, & prætiósis unguéntis condíta; in ipsíus Lucínæ prædium viâ Ostiénsi, séptimo ab urbe lápide

lápide transláta sunt ; & póstea in urbem deláta, in Diacónia sanctæ Maríæ in viâ lata recóndita fuérunt,

Lectio iij.

Ex Chronico S. Adonis.

SEvérus Présbyter, natióne Indus, vir mirâculis claríssimus; destrúcto Idolórum Templo, ubi error Gentílis centū deos cultúrâ insaníssimâ adorábat ; Ecclésiam beatíssimi Stéphani Protomártyris ut consecrarétur pro fóribus Viénnæ parábat. Sed cùm diu réditum beatíssimi Germáni sustinéret; quia idem pergens ad dedicatiónem domûs se díxerat ventúrum ; cóntigit ut die ejus dedicatiónis ántequam officia inchoaréntur; beatíssimum corpus Epíscopi Germáni per Viēnam deportátum in eámdem Ecclésiam ipsam novam repausándi grátiâ proveherétur ; sicque viri Dei promíssū implétur. Isícius tunc témporis Viennénsem regébat Ecclésiam sextus à beáto Paschásio ; cujus diébus præfátus Sevérus gloriósus Présbyter ab India Viénnam venit.

DIE IX. AUGUSTI.

Vigilia S. Laurentij Levitæ & Martyris.

Totum Officium fit de Feria præter tertiam Lectionem & Orationem ad Laudes.

Orémus. *Oratio.*

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris; & intercessióne beáti Lauréntij Mártyris tui cujus prævenímus festivitátem ; perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. Per Dóminum.

Hæc Oratio dicitur tantùm ad Laudes.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Léctio sancti Evangélij ; secúndùm Matthæum.

Lectio iij.

IN illo témpore ; dixit Jesus discípulis suis. Si quis vult post me veníre; ábneget semetípsum, & tollat crucem suam ; & sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

In Vigil. S. And.

NOnmodo vigília præparátio est ad próximam

mam celebritátem & obsервátio præmíssa jejúnij: sed & admonítio quædam, eruditióque non parva. Díscimus ex hoc ipso quænam vera sit via festivitátis ætérnæ. Quid est enim quòd jejúniis solémnia prævenímus; nisi quod per multas tribulatiónes, opórtet nos introíre in regnum Dei? Indígnus quippe solémni lætítia est: qui statútam vigíliæ abstinētiam non obsérvat. Planè, inquam, si rénuis afflígere ánimam tuam in vigília: indígnus jure censéris réquie & exultatióne festívâ. Est autem univérsum præséntis pœniténtiæ tempus: vigília quædam solemnitátis magni & ætérni Sábbati quod præstolámur. Nec causáberis vigíliam longiórem: si æternitátem festivitátis atténdas. Vobis hoc dico, Fratres mei, qui non surdâ aure audístis illam Evangélicam tubam; Qui non bájulat crucem suam & séquitur me: non potest meus esse discípulus.

Ad Laudes & horas dicũtur magnæ preces flexis genib⁹, sicut in omnib⁹ Vigil.

DIE X. AUGUSTI.

Sancti Laurentij Martyris.

Duplex minus.

Ad Vesperas Antiphonæ de Laudibus. Lauréntius bonũ opus. 604. *Psalmi de Dñica.* 145. *& loco ultimi dicitur Psal.* Laudáte Dóminum omnes géntes. 150

Capitulum. 2. Cor. 9.

QUi parcè séminat parcè & metet; & qui séminat in benedictiónibus: de benedictiónib⁹ & metet.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Magnificat, Antiph. Beátus Lauréntius orávit dicens: Dómine Jesu Christe Deus de Deo miserére mihi servo tuo. *Duplicatur.* ℣. Quia accusátus non negávi nomen sanctum tuum, interrogátus te Christe conféssus sum.

Orémus. *Oratio.*

DA nobis quæsumus omnípotens Deus vitiórum nostrórum flammas extínguere: qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Dóminum.

In majori Ecclesia. Processio ad sanctum Stephanũ. Alibi duæ Processiones.

Ad

Ad 1. *Processionem.*
℟. j. Beátus Lauréntius bonum. 599.

In majori Ecclesia. Ad secundum Magnificat, Antiphona. Beátus Lauréntius dixit: Mea nox obscúrum non habet sed ómnia in luce claréscunt.

Orémus. *Oratio.*

EXcita Dómine in Ecclésia tua Spíritum cui beátus Lauréntius Levíta servívit, ut eódem nos Spíritu repléntе, studeámus amáre quod amávit: & ópere exercére quod dócuit. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Ad ij. *Processionem.*
℟. ij. Quò progréderis sine Fílio Pater? 599

Orémus. *Oratio.*

DEus cujus charitátis ardóre beátus Lauréntius edáces incéndij flammas contémpto persecutóre devícit: concéde, ut omnes qui Martyrij ejus mérita venerámur: protectiónis tuæ auxílio muniámur. Per Dóminum.

Ad Complet or. Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij.

Ad Matutinum, Invitat. Regem Mártyrum. *Psalm.* Veníte Exultémus. 2.

In primo Nocturno.

Aña. Quò progréderis sine fílio Pater quò Sacérdos sancte sine minístro próperas. *Psalm. de Communi unius Martyris.* Beátus vir qui non. xxxv.

℣. Beátus Lauréntius dixit, Quo progréderis.

Aña. Non me derelínquas Pater sancte quia thesáuros tuos jam expéndi quos tradidísti mihi. *Psal.* Quare fremuérunt. xxxv. ℣. Experíre certè utrum idóneum minístrum elégeris. Non me derelínquas,

Aña. Non ego te désero fili neque derelínquo, sed majóra tibi debéntur pro fide Christi certámina. *Psal.* Dñe quid multiplicáti. xxxvj. ℣. Beátus Xystus dixit. Non ego te désero.

℣. Glória & honóre. &c.
℟. Et constituísti. &c.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 51.

COnfitébor tibi Dómine rex & collaudábo te Deum Salvatórē meum; confitébor nómini tuo quóniam adjútor & protéctor factus es mihi & liberásti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iniquæ

iníquæ & à lábiis operántium mendácium : & in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui à rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam ; & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me : à pressúra flammæ quæ circúmdedit me.

℟. Beátus Lauréntius bonum opus operátus est qui per signum Crucis cæcos illuminávit : * Et thesáuros Ecclésiæ dedit paupéribus. ℣. Beátus qui post aurum non ábiit nec sperávit in pecúnia. Et thesáuros.

Lectio ij.

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum ; & vita mea appropínquans erat in inférno deórsum circumdedérunt me úndique : & non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum & non erat ; memorátus sum misericórdiæ tuæ Dómine & operatiónis tuæ quæ à sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te Dómine & líberas eos de mánibus géntium. Exaltásti super terram habitatiónem meam : & pro morte defluénte deprecátus sum.

℟. Quò progréderis sine fílio Pater quò Sacérdos sancte sine Diácono próperas : * Tu numquam sine miníſtro sacrifícium offérre consuéveras. ℣. Quid in me ergo displícuit tibi Pater ? Numquid degénerē probásti ? experíre certè utrum idóneū miníſtrum elégeris. Tu numquam.

Lectio iij.

INvocávi Dóminum Patrem Dómini mei ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ : & in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assíduè & collaudábo illud in confessióne ; & exaudíta est orátio mea : & liberásti me de perditióne, & eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor ; & laudem dicam tibi : & benedícam nómini Dómini.

℟. Non me derelínquas Pater sancte quia thesáuros tuos jam expéndi: Non ego te désero Fili neque derelínquo :

derelínquo: * Sed majóra tibi debētur pro fide Christi certámina. ℣. Nos quasi senes levióris pugnæ cursum recípimus te quasi júvenem gloriósior de tyránno triúmphus expéctat. Sed majora. Glória Patri. Sed majóra.

In secundo Nocturno.

Aña. Beátus Lauréntius orávit dicens: Dómine Jesu Christe Deus de Deo miserére mihi servo tuo. *Ps.* Cùm invocárē. xxxviij. ℣. Quia accusátus non negávi nomen sanctum tuum, interrogátus te Christe conféssus sum. Beátus Lauréntius. *Aña.* Dixit Románus ad beátum Lauréntiū: Vídeo in te hóminem pulchérrimum festína me baptizáre. *Psal.* Verba mea. xxxix. ℣. Afferens autem úrceum cum aqua misit se ad pedes ejus. Dixit Románus. *Aña.* Beátus Lauréntius dixit: Mea nox obscúrum non habet sed ómnia in luce claréscunt. *Psalm.* Dómine Dóminus noster. xl. ℣. Quia ipse Dóminus novit quòd accusátus non negávi. Beátus Lauréntius.

℣. Voce mea ad Dñm clamávi. ℟. Et exaudívit me de templo sancto suo.

Sermo S. Augustíni Epíscopi. *Serm.* 5. *Lectio iv.*

Vidéte beatíssimū Lauréntium Mártyrem cujus natálem hódie in Ecclésiâ celebrámus; qui talem confessiónis causam elégit: quòd corónā martyrij à Christo percípere méruit. Quàm magna constántia Mártyrum; Quàm bona fides Sanctórum qui pro nómine Christi multa torménta libénter suscipiébant: & tamen éadem torménta contemnéndo in suis persecutóribus diábolum superábant. De ipsis énim Sálomon dicit; Etsi coram homínibus torménta passi sunt: spes illórum immortalitáte plena est. Magnā ígitur spem habuérunt ut créderent accípere se posse in resurrectióne: quod sperábant tolerántes temporálem passiónem.

℟. Beátus Lauréntius clamávit & dixit: Deum meū colo & illi soli sérvio: * Et ídeò non tímeo torménta tua. ℣. Disce miser quia carbónes tui mihi refrigérium præstant tibi verò ætérnum

ætérnum supplícium. Et ídeò.

Lectio v.

O Sancte Lauréntì cándidus in mente, cándidús es & corpóreâ veste non váleo condígnè laudáre méritum tuum: quia magnum advérto consílium tuum. Magnum consílium cogitásti; cœléste negótium egísti, thesáuros Ecclésiæ suscípiens Christiánis paupéribus erogásti: & thesáuros cœléstes accípere meruísti. Sic enim monet Dóminus in Evangélio dicens; Vende ómnia quæ habes, & da paupéribus: & habébis thesáurum in cœlo. Impléſti præcéptum Dómini: & dedit tibi præmium regni sui. Quáliter te honórem; quo te laudem præcónio qui in ipso prælio confessiónis pósitus cùm adhuc sub custódiâ Hyppólyti ágeres, virtútem Dómini semper osténdens: crucem Christi super cæcórum óculos faciébas; cæcos illuminábas: & Hippólytum ad fidem Christi mirabíliter convertébas.

℟. In cráticula te Deum non negávi: * Et ad ignem applicátus te Dóminum Jesum Christum conféssus sum. ℣. Grátias ago tibi Dómine Jesu Christe, quia hóstia tua éffici mérui. Et ad ignem.

Lectio vj.

QUem tibi símilem comparábo; quem honóri tuo coæquábo? Invéniam tibi símilem, & quodámmodò priórem & in honóre & in confessióne; In honóre? primum Christi Diáconum, in confessióne beátum Stéphanum; qui post Christi Ascensiónem primus in septem Diáconis ab Apóstolis ordinátus: martyrio præcedénte ante Apóstolos est coronátus. Atténdite fratres, istórum duórum Príncipum victóris exércitûs Mártyrum: parem operatiónem & confessiónem. Lapidabátur Stéphanus & orábat: assabátur Lauréntius, & Hilari fácie congaudébat. Orábat Stéphanus pro Saulo lapidatóre suo: & Lauréntius Christiánum fecit Hippólytum custódem suum. Magna mirabília fecérunt Archidiáconi isti, à quibus patiebántur supplícia: ipsis præro-

gábant divína beneficia. Hoc enim fecérunt quod & Christum Dóminum in passióne faciéntem audiérunt; qui pro inimícis in cruce orábat dicens: Pater ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt. Hoc ipsum & eos Dóminus dócuit: ubi ait. Si quis mihi minístrat, me sequátur; & ubi ego sum: illic & miníster meus erit. Meruérunt quippe esse cum Christo; qui magnâ constántiâ confiténtes Christum: vicérunt Antichrístum. Ergo & nos fratres totà mentis nostræ intentióne Dóminum Jesum Christum confiteámur: ipsum omni virtúte timeámus & diligámus.

℟. Probávit me Dóminus quasi aurum quod per ignem transit, vestígia ejus secútus est pes meus: * Viam ejus custodívi & non declinávi ex ea. ℣. A mandátis labiórum ejus non recéssi & in sinu meo abscóndi verba oris ejus. Viam ejus. Glória Patri. Viam ejus custodívi.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Strinxérunt corporis membra pósitus super cratículam ministrántis sibi prunis exúltat Levíta Christi. *Psalm.* Dómine quis habitábit. ℣. Carnífices verò urgéntes ministrábant carbónes subter cratem férream. Strinxérunt.

Aña. Igne me examinásti & non est in me invénta iníquitas, *Psalm.* Exáudi Dómine justítiam. ℣. Probásti Dómine cor meum & visitásti nocte. Igne me.

Aña. Interrogátus te Dóminum conféssus sum assátus grátias ago. *Psal.* Dómine in virtúte. ℣. Grátias tibi ago Dómine Jesu Christe quia hóstia tua éffici mérui. Interrogatus.

℣. Justus Dóminus justítias diléxit. ℟. Æquitátem vidit vultus ejus.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Joánnem.

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis. Amen amen dico vobis; nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit: ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit: multum fructum affert. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósij Epíscopi.

De

De sancti Laurentio.

SAnctam Mártyrē Lauréntium grano sinápis póssumus comparáre ; qui divérsis attrítus passiónibus per totum orbem grátiam méruit : sui fragráre Martyrij. Qui ántea constitútus in córpore erat húmilis, ignótus & vilis ; posteáquam vexátus, lacerátus, exústus est : univérsis per totum mundum Ecclésiis odórem suæ nobilitátis infúdit. Rectè ígitur huic cōparátio copulátur. Síquidem granum sinápis cùm téritur ; accénditur Lauréntius : cùm pátitur, inflammátur. Illud fervórem attritiónis suæ évomit : hic ignem plúrimâ vexatióne suspírat ; sinápis inquam, in vásculo cálido vápore decóquitur : Lauréntius in craticulâ flammárum igne torrétur. Ardébat ítaque extrínsecus beátus Martyr tyránni sæviéntis incéndiis : sed major illū intrínsecus Christi amóris flammâ torquébat.

℟. Puer meus noli timére quia ego sum tecum dixit Dóminus : * Si transíeris per ignem flamma non nocébit te & odor ignis non erit in te. ℣. Quia ego Dóminus Deus tuus apprehéndens manum tuam dicénsque tibi. Ne tímeas. Si transíeris.

Lectio viij.

ILluminávit mundū planè Lauréntius eo lúmine quo ipse succénsus est : & flammis quas ipse pértulit ómnium Christianórum corda calefécit. Quis enim hoc exémplo nolit pro Christo ardére cum Lauréntio ; ut possit à Christo cum Lauréntio coronári? Quis nolit ad horam sustinére Lauréntij ignem ; ut ætérnum gehénnæ non patiátur incéndium? Beáti ígitur Lauréntij provocámur exémplo ad Martyrium ; accéndimur ad fidem : incaléscimus ad devotiónem. Et si nobis persecutóris flamma deest fidei : tamen flamma non deest. Non ardémus quidem córpore pro Christo : sed ardémus affectu. Non súbjicit mihi persecútor ignem : sed súggerit mihi ignem desidérium Salvatóris.

℟. O Hippólyte si credis in Dóminum Jesum Christum. * Et thesáuros tibi

ostendo & vitam ætérnam promítto. ℣. Beátus Lauréntius Hippólyto dixit: Si credis in Dóminum Jesum Christum. Et thesáuros.

Pro sancto Arrigio Lugdunensi Episcopo & Confessore.

Lectio ix.

ARrígius primùm dignitáte patriciáli sub Theodoríco Burgundiórum Rege fulsit. Dein sæculi pertæsus Ecclesiásticos órdines conscéndit; tantáque in iis pietátis & doctrínæ glóriâ mícuit; ut Ecclésiâ Lugdunénsi patróno viduátâ, Primatiális hujus Sedis Præsul: non sine supérno spirámine creátus fúerit ómnium votis sæculo séptimo ineúnte. In quâ almâ sede memóriam decessórum suórum dignâ successiónis vice condecorávit: síquidem pópulum sibi créditum præstánti virtúte & integritáte gubernávit. Magníficus in sacris locis instaurándis & exornándis fuit. Basílicam sancti Justi in monte collocátam priùs Sanctórum fratrum Machabæórum vocábulo insignitam; jam Apollináris Sydónij témpore, viri illíus illustríssimi, quem Lugdúnum pátria édidit, ob usum altérnis vícibus cantándi, ab eodem commendátam: & tùm vetustáte collabéntem restítuit. Ecclésiam sanctæ Crucis in urbe & valle interióri constrúxit Basílicæ sancti Stéphani contíguam sub eódẽ tecto; ut Deo uni & trino in tribus Ecclésiis idẽ officium sub iísdem signis simul persolverétur. Quæ quidẽ Ecclésia sanctæ Crucis nunc Parrochiális Lugdunénsis primæ decóre dotátur. Insígnia in Dei honóre procurándo & óvium salúte operátus est. Deinum méritis clarus óbiit. Corpus ejus in æde Deo Sacrâ sub invocatióne divi Justi cónditum fuit.

℟. Beátus vir qui post aurum non ábiit nec sperávit in pecúnia & thesáuris: * Fecit enim mirabília in vitâ suâ. ℣. Ideò stabilíta sunt bona illíus in Dómino & eleemósynas illíus enárrat omnis Ecclésia sanctórum. Fecit enim.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes, Antiphona. Lauréntius bonum opus operátus

operátus est, qui per signum Crucis cæcos illumináviт. *Psalm.* Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.*

Aña. Si quis mihi ministráverit honorificábit eum Pater meus qui est in cœlis dixit Dóminus.

Aña. Beátus Lauréntius dixit: Grátias tibi ago Dómine quia hóstia tua éffici mérui.

Aña. Misit Dóminus Angelum suum, & liberávit me de médio ignis & non sum æstuátus.

Aña. Volo Pater ut ubi ego sum, ibi sit & miníster meus.

Capitulum. Qui parce séminat. 597.

℣. Stolâ jocunditátis.

℟. Induit eum Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Confitébor tibi Dómine Rex & collaudábo te, quóniam liberásti me à pressúra flammæ quæ circúmdedit me, & in médio ignis non sum æstuátus. *Duplic.*

Oratio. Da nobis quæsumus omnipotens. 597.

Ad Tertiam, Capitulum. Qui parce séminat. *ut suprà.* 597.

℟. Posuísti Dómine. &c.

℣. Corónam de lápide. &c.

Oratio. Da nobis quæsumus omnípotens. 597.

Ad Sextam, Capitulum. 2. Cor. 9.

UNusquísque prout destinávit in corde suo; non ex tristítia aut ex necessitáte: hílarem enim datórem díligit Deus.

℟. Glória & honóre. &c.

℣. Et constituísti. &c.

Oratio. Excita Dómine in Ecclésiâ tuâ. 598.

Ad Nonam, Capitulum. 2. Cor. 9.

POtens est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis; ut in ómnibus semper omnem sufficiéntiã habéntes abundétis in omne opus bonum sicut scriptũ est: Dispérsit dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℟. Magna est glória. &c.

℣. Glóriã & magnum. &c.

Oratio. Deus cujus charitátis ardóre. 598.

Ad Vesperas, Aña de Ladibus Psalmi ut in j. Vesperis. loco ultimi. Ps. Crédidi.

Capitulum. Qui parce séminat. 597.

℣. Posuísti Dñe, super. &c.

℟. Corónam de lápide. &c.

Ad Magnificat, Aña. In

craticula te Deum non negávi & ad ignem applicâtus Christum conféssus sum, probásti cor meum & visitásti nocte;igne me examinásti & non est invénta in me iníquitas. *Duplicatur.*

Oratio. Da nobis quæsumus omnípotens. 597.

Processio de sequenti, Responsorium secundùm feriam occurrentem.

DIE XI. AUGUSTI.

Sancti Tiburtij Martyris. iij. Lectionum.

Omnia de Communi unius Martyris.

Orémus. *Oratio.*

BEáti Tibúrtij nos Dómine fóveant continuáta præsídia ; quia non désinis propítius intuéri ; quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

Hæc Oratio dicitur ad Laudes, Tertiam, & Vesperas.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

TIbúrtius Chromátij urbis Præfécti filius à sancto Sebastiáno in fide erudítus & à beáto Presbytero Polycárpo Baptizátus est unà cum patre & numerósâ familia ; cùm propter immanitátem persecutiónis Diocletiáni & Maximiáni ingens Christianórum multitúdo in Campániam ex consílio Cáij Pontíficis fugísset ; ipse amóre martyrij flagrans Romæ resédit. Ubi cùm jejúniis & oratiónibus esset inténtus ; à Pagánis comprehénsus, & ad Fabiánum júdicē ductus est. Multa apud illum de fide Christi prædicántem excandéscens judex minis abdúcere nítitur ; & per candéntes carbónes ; nudis pédibus incédere jubet. At ille signo Crucis se múniens fidentérque ámbulans in prunis ; eas sibi flores vidéri clamábat. Quod cùm mágicis ártibus tribúeret ; judex irátus eum extra urbem viâ Lavicánâ gládio animadvérti jussit ; in eodem loco à quodam paránte Christiáno sepúltus est.

DIE XII. AUGUSTI.

Translationis S. Andeoli Martyris.

iij. Lectionum.

Omnia de Communi unius Martyris.

Oratio.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui beáti Andéoli Mártyris tui solémnia cólimus: intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Lectio ij.

ANdéolus Subdiáconus à gloriosíssimo Polycárpo ab Oriénte in Gállias missus: unà cum beátis Benígno & Andóchio Presbyteris Thyrsóque Diácono ad pópulum suâ prędicatióne generándum; sicut divínus ille magíster, dum eos delegáret prædíxerat, Massíliam appúlsus primùm Carpentoráctem ad facem divínæ agnitiónis inferéndam summíssus in hunc tractum & póstea in vicínum concéssit. Ubi proscrípto fœdo dæmonum cultu, cùm multos ad Christi fidem adduxísset: Sevérus Imperátor ejus prædicatióne compértâ spinósis fústibus crudelíssimè eum flagellári præcépit. Et álterâ die cùm superári non posset: jussit ad majórem pœnam de ligno duríssimo ensem fíeri & in crucis modum caput ejus scindi: sicque cápite quadrifáciam conscísso & elíso in terram cérebro dignã Polycárpi alúmno, fidei per oras dissemination&em glorióso martyrio obsignávit. Passus est in territorio Vivariénsi eo loco ad Rhódanum qui nunc à sancto Mártyre nomen habet; & sancti Andéoli forum nominátur: ubi & ejus relíquiæ ipsómet reveláante sæculo nono ut testátur sanctus Ado coætáneus repértæ digno honóre asservántur.

Pro sancta Clara Virgine.

Lectio iij.

CLara virgo Asísij in Umbriâ nóbili génere nata; facultátibus in páuperes erogátis: sæculo renuntiávit, sancti Francísci concívis sui adhortatiónibus permóta, plures sócias ac præ cæteris matrem & sorórem sibi adjúnxit: cum quibus in Ecclesia sancti Damiáni vixit admirábili sanctitáte. Cùm per vigínti & octo annos prę grávi infirmitáte è léctulo súrgere non posset; ótium fúgiens, corporália línea ad usum

Sacrificij conficiébat ꞉ quæ váriis largiebátur Ecclésiis. Paupertátis adeò fuit amans ꞉ ut piè obstiterit Gregório nono possessiónes quasdam monastério assignáre cupiénti. Saracénis, jussu Federíci secúndi Imperatóris Assísium obsidéntibus & Monastérium cui à tot annis præerat sanctíssimè jamjam invasúris infirma ad portam duci vóluit ꞉ & afférri vas in quo sacratíssima Eucharístia, servabátur; cùmque Christum oráret ut famulas suas tutarétur, Audíta vox quasi púeri dicéntis ꞉ Ego vos semper custódiam. Tuncque Saracéni divínitùs térriti ꞉ in fugam se dedérunt. Páulopost jejúniis, vigiliísque conféćta, anno quadragésimo secúndo sui regíminis sacro viático ritè suscépto; ab Innocéntio quarto visitáta ꞉ multis miráculis éditis ánimam Deo réddidit. Eam Alexánder quartus inter sanctas Vírgines rétulit.

DIE XIII. AUGUSTI.

Sanctorum Hippolyti & sociorum Martyrum.

iij. Lectionum.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum præter ultimum responsorium.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Hippólyti & sociórum, ejus natalítia cólere ꞉ Da nobis in ætérna beatitúdine, de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Lectio iij.

HIppólytus cùm beátum Lauréntium à quo baptizátus fúerat sepelísset ꞉ Sacrificij quod Justínus Présbyter super gloriósi Mártyris corpus obtúlerat párticeps factus; Eucharístiam domum secum détulit ꞉ quam toti famíliæ suæ distribúeret. Quod ubi perfécit mox à milítibus comprehénsus; & ad Valeriánum Augústum addúctus summâ libertáte coram eo se Christiánum esse proféssus est. Quamóbrem fústibus cæsus; cùm nihilóminus in fide constans permanéret; Præfécto urbis tráditur puniéndus. Is cùm domum Hippólyti adiísset bona ejus publicatúrus; cognóvit totam ipsíus famíliam esse Christiánam ꞉ quam

státim

ſtatim extra Portam Tiburtínam duci & decollári juſſit cōfortánte eam Hippólyto: cujus nutrix Concórdia plumbátis cæſa fuit, eò quòd cæteros ſuis adhortatiónibus in fide corroborábat; occíſi ſunt promíſcui ſexûs número novémdecim. Beátus verò Hippólytus, indómitis equis raptátus; per loca tríbulis cárduis cónſita: lacceráto córpore, ſpíritum Deo réddidit. Sepúltus eſt noctu, cum réliquis à Justíno Presbytero in agro Veráno. Poſt quingéntos annos Fuldrádus Abbas S. Dionyſij, corpus ejus in Monaſtériū ſuum trāſtulit. ℟. iij. O Hippólyte ſi credis in Dóminum Jeſum Chriſtum: * Et theſáuros tibi oſténdo & vitam ætérnam promítto. ℣. Beátus Lauréntius Hippólyto dixit: Si credis in Dóminum Jeſum Chriſtum. Et theſaúros. Glória Patri. Et theſaúros.

DIE XIV. AUGUSTI.

Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Officium fit de Feria cum magnis Precib. exceptis Lectionibus infra hic poſitis.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

Léctio ſancti Evangélij ſecúndùm Lucam.

IN illo témpore: loquénte Jeſu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi: Beátus venter qui te portávit: & úbera quæ ſuxíſti. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Damaſcéni.

Sermone de Aſſumpt. 2.

Lectio ij.

AD Dei Matris Aſſumptiónem accingámur eam matrem Vírginem agnoſcámus; ejúſque dormitiónem jam in procínctu celebrémus, hanc nos, qui has divítias conſecúti ſumus; ut Chriſti pópulus & ſimus & dicímur: Sacris Cánticis jam ad diē hāc præparémur. Hanc pernóctibus ſtatiónibus in vigília honorémus; hanc ánimi & córporis puritáte oblectémus: hāc, inquā, verè purā, ac univérſis ſecūdùm Deum puritáte præſtántē Maríam mirémur. Sic enim natúra comparátum eſt ut ſimília ſimílibus gáudeant & exultent. Hanc per miſericórdiam & dolórem ex

eórum qui in egestáte versántur calamitáte contráctum: colámus & obsersévemus. Nam si nullâ re perìndè ac misericórdiâ Deus cólitur ac delinítur; quin iísdem quoque rebus ipsíus Mater oblectétur, & exhilarétur; quis tandem inficias eat? Hæc inenarrábilem Divínæ in nos dilectiónis abyssum in públicum prodúxit. Per hanc diutúrnum illud bellum, quod nobis cum Creatóre erat, sublátum & extínctum est. Per hanc nobis cum eo reconciliátio sancíta, paxque & grátia donáta est, atque Angeli unà cum hóminibus choros ágitant; & qui prius ignomíniâ laborabámus: filij Dei effécti sumus.

Ex Martyrológio sancti Adónis Epíscopi.

Lectio iij.

EUsébius Présbyter & Conféssor, cùm præsénte Cõstántio fidem Cathólicam constantíssimè defénderet; & Libérium Papam doléret Arriánæ perfídiæ concessísse: ab iráto Const. ntio Imperatóre inclúditur in quodam cubículo domûs suæ, habénte in latitúdine pedes quátuor, ubi multis diebus in oratióne constánter perseverávit. Et nonodécimo Kaléndas Septémbris post menses septem adhuc tamen inclúsus dormitiónem accépit. Cujus corpus collegérunt Gregórius & Orósius Presbyteri: & sepeliérunt in cryptâ juxta corpus beáti Sixti Mártyris & Epíscopi viâ Appiâ in Cœmetério Calíxti; ubi & títulum ipsíus scribéntes ita posuérunt: Eusébio hómini Dei. Audiens autem Constántius quòd Gregórius & Orósius sepelíssent corpus beáti Eusébij in eádem criptâ ubi illum condíderant: præcépit vivum inclúdi Gregórium. Hunc semivívum noctu Orósius excépit; inde & post páululum defúnctum: juxta corpus sancti Eusébij Presbyteri sepelívit.

Ad Laudes. Oratio.

DEus, qui virginálem aulam beátæ Maríæ in qua habitáres elígere dignátus es: da quæsumus; ut sua nos defensióne munítos: jocúndos fácias suæ interésse festivitáti. Per.

DIE

DIE XV. AVGVSTI.

ASSUMPTIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

DUPLEX PRIMÆ CLASSIS.

AD VESPERAS *Antiphonæ de Laudibus.* Ave María. *Psalmi, ut in Officio Parvo ejusdem beatæ Mariæ Virginis ad Vesperas.* clxxxiij.

Capitulum. Cant. 12.

SIgnum magnum appáruit in cælo; múlier amícta Sole, & Luna sub pédibus ejus: & in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix.

℟. Super choros Angelórum ad cœléstia regna.

Ad Magnificat, Antiph. Quæ est ista quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut Luna, elécta ut Sol terríbilis ut castrórum ácies ordináta? *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórũ Dómine delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus: Genitrícis Filij tui Dómini Dei nostri intercessióne salvémur. Per eúmdem Dóminum.

Processio ad Sanctam Mariam.

Felix valdè es sacra Virgo María, & omni laude digníssima. Quia ex te ortus est sol justitiæ Christus Deus noster.

Ad ij. Magnificat, Aña. Speciósa facta es & suávis in delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Orémus. *Oratio.*

VEneránda nobis Dómine hujus diéi festívitás opem cónferat salutárem; in qua sancta Dei Génitrix mortem súbiit temporálem, nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit: quæ Fílium

tuum Dóminum nostrum Jesum Christum de se génuit incarnátum, Qui tecum vivit.

Ad Completor. Hymnus. Ave maris stella, clxxvj. *& per totam octavam.*

Ad Matutinum, Invitatorium. Ave María grátiâ plena Dóminus tecum. *Duplicatur.*

Psalmus. Veníte. 2.

Novem Antiphonæ, novẽ Psalmi & Vers. ut in Officio Parvo B. Mariæ. clxxxviij.

In primo Nocturno.

Incípiunt cántica canticórum.

Lectio j. Cap. 1.

OSculétur me ósculo oris sui; quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effúsum nomen tuum: ideò adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me post te: currémus in odórem unguentórũ tuórum. Introdúxit me rex in cellária sua; exultábimus & lætábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum: recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem; sicut tabernácula Cedar: sicut pelles Salomónis. Nolíte me consideráre quòd fusca sim: quia decolorávit me sol.

Responsoria Duplicantur.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol & formósa tamquam Jerúsalem: * Vidérunt eam fíliæ Sion, & beátam dixérunt: & regínæ laudavérunt eam.

℣. Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus. Vidérunt.

Lectio ij.

EQuitátui meo in cúrribus Pharaónis assimilávi te amíca mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut túrturis: collum tuum sicut monília. Murénulas áureas faciémus tibi, vermiculátas argénto. Dum esset Rex in accúbitu suo: nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhæ: diléctus meus mihi: inter úbera mea commorábitur. Botrus Cypri, Diléctus meus mihi, in víneis Engáddi. Ecce tu pulchra es, amíca mea óculi tui colũbárum. Ecce tu pulcher es diléćte mi, & decórus. Léctulus noster flóridus; tigna domórum nostrárum cédrina: laqueária nostra cypréssina.

℟. Vidi

℟. Vidi speciósam, sicut colúmbam ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus: * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum & lílium convállium. ℣. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, & recéssit. Et sicut dies.

Lectio iij.

EGo flos campi, & lílium convállium. Sicut lílium inter spinas: sic amíca mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios; sub umbra illíus quem desideráveram, sedi: & fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam: ordinávit in me charitátem. Fulcíte me flóribus; stipáte me malis: quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo; & déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum; ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam: quoadúsque ipsa velit. Vox dilécti mei: ecce iste venit sáliens in móntibus; transíliens colles: símilis est diléctus meus cápreæ hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum; respíciens per fenéstras: prospíciens per cancéllos. En diléctus lóquitur mihi: Surge, própera amíca mea, colúmba mea & veni; jam enim hiems tránsiit, imber ábiit & recéssit: flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit. Vox túrturis audíta est in terra nostra; ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum.

℟. Gyrum cœli circuívi sola & in flúctibus maris ambulávi, in omni gente & in omni pópulo primátum ténui: * Superbórum & sublímium colla própriâ virtúte calcávi.
℣. Ego in altíssimis habitávi, & thronus meus in colúmna nubis. Superbórum.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Hildephónsi Epíscopi.

Sermo 2. de Assumptione.

Lectio iv.

INter præcípuas Sanctórum festivitátes Charíssimi, hodiérna nobis resúlsit

sit insígnis & gloriósa Genitrícis Dei Mariæ solémnitas; in qua ipsa beáta, & venerábilis Virgo assúmpta est gloriosíssimè ad æthéreum thálamum: in quo ut cánimus, Rex regum Fílius beátæ Maríæ Vírginis stelláto, imò ineffábili sedet sólio; ubi míllia míllium minístrant Angelórum juxta Daniélis vaticínium, & décies centéna assístunt míllia; quorum cum láudibus & exéquiis gloriósa Dei Génitrix hódiè de terris exaltáta: & de carne evécta cum triúmpho & exultatióne suscépta est in cœlo & collocáta in Paradíso. Hæc est namque sacra & venerábilis solémnitas, fratres; ante mundi constitutiónem præscíta & præordináta: sed hodiérna die exultánter est impléta. Nobis quidem, dilectíssimi hodiérna est & ánnua: Sed Angelis in cælo & supérnis cívibus est contínua & perpétua.

℟. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus: * Myrrhæ & thuris & univérsi púlveris pigmentárij.

℣. Emissiónes tuæ paradísus malórum punicórum cum pomórum frúctibus. Myrrhæ.

Lectio v.

Unde líquidò constat, dilectíssimi, quia thronus beatíssimæ Vírginis parátus, ante mundi constitutiónem, hódie célsior glorificátur & invenítur étiam ab Angelis; nec immérito ígitur, quóniam & ipsa facta est thronus Dei & thálamus, in cujus útero véniens sapiéntia Dei Patris: Verbum caro factum est & habitávit in nobis. Quod si ánima justi cujúslibet sedes est sapiéntiæ, teste Scriptúrâ; multò magis, hujus ánima, fratres dilectíssimi, quam Spíritus sanctus sic implévit: étiam ante conceptiónis horam ut salutarétur ab Angelo. Ait enim: Ave María grátiâ plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Ad quam ita mox ingréssus Fílius Dei, qui est virtus & sapiéntia Patris, sic replévit, sicque possédit; ut in ea Verbum caro fieret: & habitávit totus Deus in hómine.

℟. Surge

℟. Surge própera amíca mea, & veni: jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, & recéssit: * Flores apparuérunt in terra. ℣. Vox túrturis audíta est in terra nostra, ficus prótulit grossos suos. Flores apparuérunt.

Lectio vj.

HUjus Vírginis ánimam Dóminum magnificántem glorificémus, quam hódie paradísus excépit gaudens; quam Angeli cùm láudibus prosequúntur, quam Apostolórum chorus venerátur; quam Mártyres candidáti beatíficant, quam Sanctórum Confessórum stolátus concélebrat númerus: cui hódie Sanctárum Vírginum cum suis palmis victrícibus exultánter occúrrit exércitus. Quóniam hæc est ánima illa beáta, per quam Auctor vitæ ingréssus est mundum; per quam omnis maledíctio solúta est priórum paréntum: & cœléstis benedíctio in toto venit mundo. Hæc est Virgo in cujus útero omnis Ecclésia subharrátur: conjúncta Deo fœdere sempitérno créditur. Pro tálibus & hujuscémodi Sacraméntis, veneránda est fratres, hodiérna festívitas sic ánnua; ut semper nobis contínua máneat, & venerábilis in mente: quóniam post Christum, qui caput est & Deus totius Ecclésiæ, hæc Virgo gloriósa refúlget.

℟. Una est colúmba mea: perfécta mea: una est matris suæ, elécta genitrícis suæ: * Vidérunt illam fíliæ: & beatíssimam prædicavérunt reginæ, & concubínæ, & laudavérunt eam. ℣. Quæ est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens pulchra ut luna: elécta ut sol? Vidérunt. Glória Patri. Vidérunt.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij.

IN illo témpore: Intrávit Jesus in quoddam Castéllum, & múlier quædam Martha nómine excépit illum in domum suam; & huic erat soror nómine María: quæ étiam sedens secus pedes Dómini audiébat verbum illíus. Et réliqua.

Homília

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

In idem Evang.

RESonat méritò hódiè in excélsis gratiárum áctio, & vox laudis: sed plangéndum nobis, quàm plaudéndum magis esse vidétur. Quantùm enim de ejus præséntia cœlum exúltat, numquid non cónsequens est, ut tantum lúgeat hic noster inférior mundus ejus abséntiam? Cesset tamen quæréla nostra; quia nec nobis hic est manens cívitas: sed eam inquírimus, ad quam hódie María benedícta pervénit. In quam si conscrípti cives sumus, dignum profécto étiam est in exílio, étiam super flúmina Babylónis ejus nos recordári: ejus communicáre gáudiis, ejus participáre lætítiam; máximèque eam quæ tam copióso ímpetu lætíficat hódie civitátem Dei: ut sentiámus & ipsi stillicídia stillántia super terram. Præcéssit nos Regína nostra; præcéssit & tam glorióse suscépta est, ut fiduciáliter sequántur Dóminum sérvuli clamántes: Trahe nos post te: in odórem unguentórum tuórum currémus.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano & sicut cypréssus in montem Sion. Quasi myrrha elécta: * Dedi suavitátem odóris. ℣. Sicut Cinnamómum & Aspártum aromatízans. Dedi suavitátem.

Lectio viij.

CUm quanto putas honóre, cùm quantâ putas exultatióne, cum quantâ glóriâ? nec in terris locus dígnior úteri virginális templo; in quo Fílium Dei María suscépit: nec in cœlis regáli sólio in quo Maríam hódie Maríæ Fílius sublimávit. Felix nimírum útraque suscéptio: ineffábilis útraque, quia útraque inexcogitábilis est. Ut quid enim ea hódie in Ecclésiis Christi Evangélica léctio recitátur; in qua Múlier benedícta in muliéribus excepísse intellígitur Salvatórem? Credo ut hæc quam celebrámus, ex illa susceptióne aliquátenus æstimétur: imò ut juxta illíus inæstimábilem glóriam inæstimábilis cognoscátur & ista. Quis enim, etiámsi linguis hóminum

minum Angelorúmque loquar, explicáre queat quemádmodum superveniénte Spíritu, obumbránte virtúte Altíſſimi caro factum ſit Verbum Dei, per quod ſacta ſunt omnia; & Dóminus majeſtátis, quem non capit univérſitas creatúræ? intra virgínea ſeſe cláuſerit víſcera factus homo.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes. * Quia fecit mihi Dñs magna, quia potens eſt, & ſanctum nomen ejus. ℣. & miſericórdia ejus in progénie & progénies timéntibus eum. Quia fecit.

Lectio ix.

SEd & illud quis cogitáre ſufficiat, quàm glorióſa hódiè mundi Regína procéſſerit, & quanto devotiónis affectu tota in ejus occúrſum cœléſtium legiónum prodíerit multitúdo; quibus ad Thronum glóriæ cánticis ſit dedúcta, quàm plácido vultu, quàm ſeréna fácie, quàm divínis ampléxibus ſuſcépta à Fílio & ſuper omnem exaltáta creatúram; cum eo honóre quo tanta Mater digna fuit, cum ea glória quæ tantum décuit Fílium? Felícia prorſus óſcula lábiis impréſſa lacténtis? cui virgíneo mater applaudébat in grémio. Verùm numquid non feliciéra censébimus quæ ab ore Sedéntis in déxtera Patris hódie in beáta ſalutatióne ſuſcépit, cùm aſcénderet ad thronum glóriæ, epithalámium canens, & dicens: Oſculétur me óſculo oris ſui. Chriſti generatiónem & Maríæ Aſſumptiónem quis enarrábit?

℟. Felix valde es, ſacra Virgo María & omni laude digníſſima quia ex te ortus eſt ſol juſtítiæ Chriſtus Deus noſter. ℣. Ora pro pópulo intérveni pro Clero, intercéde pro devóto fœmíneo ſexu, ſéntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrant tuam Aſſumptiónem. Quia ex te.

Te Deum laudámus.

A D L A U D E S.

Antiphona. Ave María grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus.

Pſal. Dóminus regnávit. *cum reliq. de Dominica.* 20.

Antiph. Pulchra es & decóra

c'ra filia Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. *Aña.* Benedícta tu in muliéribus, & Benedíctus fructus ventris tui. *Aña.* In odórem unguentórum tuórum currémus, adolescéntulæ dilexérunt te nimis. *Aña.* Quàm pulchri sunt gressus tui calciaménti, Fília Príncipis.

Capitulum. Apoc. 12.

SIgnum magnum appáruit in cœlo; Múlier amícta sole, & luna sub pédibus ejus: & in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℣. Speciósa facta es.
℟. Et suávis in delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Ad Benedictus. Aña. Ego in altíssimis hábito, & thronus meus in colúmna nubis. *Duplicatur.*

Oratio. Famulórum. 611.
Process. Felix valde. 611.

Ad ij. Benedictus, Aña. Bened. Sicut myrrha elécta odórem dedi suavitátis sancta Dei Genitrix.

Oratio. Veneránda nobis. 611.

Prima ut in Festis,

Ad Tertiam, Capitulum. Signum magnum, *ut supr.* ℟. Spécie tua, &c.

Oratio Famulórum. 611.

Ad Sextam.

Capitulum. Cant. 6.

QUæ est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens; pulchra ut luna, elécta ut sol: terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

℟. Adjuvábit eam, &c.

Oratio. Veneránda. 611.

Ad Nonam.

Capitulum. Cant. 8.

QUæ est ista quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens: innixa super diléctum suum.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℣. Proptérea benedíxit te Deus, &c. Glória Patri. Diffúsa est.

℣. Elégit eã Deus, & præelégit eã. ℟. In tabernáculis suis habitáre eam facit.

Orémus. *Oratio.*

SUbvéniat quæsumus Dómine nobis salutáris Dei Genitrícis orátio: quã si hódie pro conditióne carnis è terra migrásse cognóscimus; in cœlis gloriósa Assumptióne exaltátam cólimus: & apud te pro nobis continuò intercédere supplicámus. Per Dñm.

Ad Vesperas, Antiphonæ, Psalmi, Capitulum & Versiculus,

Versiculus, ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat, Antiph. Quia respéxit Deus humilitátem meam, beátam me dicent omnes generatiónes. *Duplicatur. Oratio.* Famulórum, 611. *Ad Processionem.* ℟. Felix valde. 617. *Ad ij. Magn.* Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles: ora pro pópulo; intérveni pro Clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu, séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam Assumptiónem.

Oratio. Veneránda nobis. 611.

Ad Completorium Hymnus. Ave maris stella *ut in Officio de Sab.* clxxvj.

DIE XVI. AUGUSTI.

Sancti Rochi Confessoris.

Semiduplex majus.

Omnia de Communi Confessoris. c.

Ad Matutinum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ROchus Narbonénsis óppido montis Pessuláni oriúndus, patre Joánne, matre verò Líbera óppidi illíus Dóminis; rubrâ cruce insígnitus in lucem prodiísse fertur. Paréntibus suis orbátus incredíbili rigóre bellum suo córpori indíxit, pátriâ amicísque relíctis ac facultátibus amplíssimis in páuperes erogátis; óppidis verò patérnis pátruo commíssis, abjéctâ & brevi veste indútus cum píleo & perâ instar peregríni; in Itáliam commigrávit. Itaque Aquampendéntem civitátem ingréssus Vincéntio nosocómij Magístro se sócium adhíbuit; ubi multos pestiléntí contagióne ad mortem inféctos; íntegrâ sanitáte donávit. Inde álias Itáliæ civitátes & Castélla óbiens; plúrimos crudéli peste corréptos símili virtúte sanávit. Demùm & ipsam quoque Romam ádiit; in quâ inter álios quemdam Cardinálem ab hac lue sic curávit; ut crux fronti ipsíus ab eo impréssa perpétuò remánserit. Quibus gestis ardentíssimâ febre corrípitur; coxáque ejus sinístra sagíttâ transfígitur.

℟. Audiam Dómine. cij.

Lectio

Lectio v.

EX iis dolóribus mortísque perículis ut incólumis evásit: Gálliã longis itinéribus repétiit. In viâ autem corréptus novâ infirmitáte in quadam solitúdine sub árbore jácuit; homínibus quidem ignótus sed cani nóbilis cujúsdã viri Deo id agénte ádeò cógnitus: ut is panem de Dómini sui mensa quotídie ei adférret. Ad extrémum post vários labóres & córporis afflictiónes in Gálliam delátus, cùm illa tunc bellórum incéndio vexarétur; créditus explorátor, in víncula conjéctus fuit in patérno castro: ubi annis quinque pátruo aliísque incógnitus & magnis affféctus injúriis, cárceris squallórem invíctâ ánimi patiéntiâ sustínuit. Quo témpore exácto, cùm se peste exanimári; mortémque adésse sentíret: Ecclésiæ Sacraméntis munítus è vita excéssit annos natus trigínta duos.

℟. Dómine quinque taléntа. ciij.

Lectio vj.

EO vitâ functo ad latus ejus tabélla his lítteris inscrípta repértâ est. Qui pestilléntiâ labórant Rochum deprecatórem sibi apud Deum implórent: & à Deo salútem obtinébunt. Quæ cùm ad pátruum ejus virum primárium deláta esset (is ágnito nepóte) profúsa ingénti lacrymárum vi, corpus ejus sanctíssimum cum summa pompæ celebritáte ad templum deférri; & sepultúræ mandári solémniter curávit: ubi vir sanctus per multos annos signis & virtútibus inaudítis coruscávit. Fama miraculórum ejus in várias deindè regiónes perláta apprímè innótuit Pátribus Concílij generális Constantiénsis; quorum Decréto ad propulsándam luem ingruéntem eídem honóres Sãctis débiti, sunt impénsi; nam solémni pompâ ejus imáginem omni comitánte pópulo, per urbem detulérunt: quo facto, illa pestis mox evánuit. Indè verò exémplum sumptum est, ut ubíque locórum, altária, sacélla, ac dénique templa Deo in ejus nómine & honóre erécta fúerint. Translátum ejus corpus Venétias

nétias perhibétur.

℟. Super salútem. ciij.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap.

IN illo témpore Circuíbat Dóminus Jesus civitátes & castélla docens in Synagógis eórum; & prædicans Evangélium regni & curans omnem languórem & omnem infirmitátem. Et réliqua.

Homília sancti Basílij Seleúciæ Epíscopi.

In Publicanum & Pharisæum. Orat. 35.

MEdicus absque Phármaco Christus Dóminus ad ægrum hóminum genus diversátus est: non famuláribus artis instruméntis usus, non herbas, quæ potestátem in poros insínuent, ádvocans; non cum igne & ferro partítus indústriæ laudem, nō usus curatióne, cujus inítia supplícia sint, non spe mercédis contra morbos armátus: contrà verò, curátis cœlum pollícitus in mercédem. Quorum enim fúerat cónditor, eórum & médicus appáruit; verbo quidem natúram prodúcens: verbo autem iteráto natúræ tradúcens ægritúdines. Et vidére erat omnígenos morbos extermināri; vox emittebátur: ac morbus pellebátur. Ibi, qui malum integuménto denudábat: pœnæ liberatiónem inveniébat. Ibi qui manum habébat áridam, cùm réliquo víveret córpore; in uno membro manus apértam mali notam gestábat: sed ut Christum vidit, membrum recépit.

℟. Notas mihi fecísti. civ.

Lectio viij.

CÆcus ab útero genitívum malum circúmferens, & óculis privátus, ántequam creátus; (nec enim eo, quod habébat, spoliátus est, sed de matríce cum ea erúpit ægritúdine:) cæcus, inquam, ignarúsque & ab áliis doctus, quæ opus erant, postuláre; etsi id díscere non váluit: ad lúminis appellatiónem géstiens, cujus cùm natúram ignoráret, possessiónem quærébat. Sed lúminis fons cæco præsens lucem dedit; fingens & nunc óculos, ut quondam hóminem: & fictióne partis,

ctis, artem ostentans natúræ. Múlier item próprio sánguine inúndans intestíno nuctu mergebátur: at solo fimbriæ tactu stitit ímprudens naturæ tempéries. Ecquid me necéssum est commemoráre; quot è corpóribus ægritúdines sint elimínatæ? Nec enim periclitánti córpori Christus opem ferébat: ánimam verò negligebat naufrágium patiéntem; sed contra pótius: nam quò violentióres sint ánimæ passiónes, tantò majórem, ad curatiónem sollicitúdinem afferébat.

℟. Justum dedúxit. cv.

Sermo S. Germáni Constantinopolitáni.

De Assumpt. *Lectio ix.*

SI cœlum, charíssimi, Maríam hanc gloriósam Dóminam venerátur & laudat, si in eâ exúltat beáta Angelórum societas; multò magis pértinet ad vos exultáre in ea: & omni honóre, omni laude, nomen ejus exaltáre. De nobis enim éxiit; nostri géneris gemma pretiósa est: honor noster per illam consummátus est. Viles in conspéctu Angelórum per virum & fœminam facti sumus à princípio; sed ecce super illos uterque sexus elevátus est virílis in Christo: fœmíneus in Maríâ. Jam & virum & fœminam velut sócios & concíves honórant: vidéntes utriúsque géneris príncipem super se. Contuéntur jam supra se duo magna lumi-nária ex homínibus assumpta; luminare majus: & luminare minus, Jesum & Mariam: quibus Solem & Lunam æquiparári omnínò indigníssimū est. Exultémus ígitur & lætémur in hac sacra solemnitáte, quia ómnium nostrûm fidélis advocáta in cœlis María est. Mediátor Dei & hóminum Fílius ejus est: mediátrix Fílij sui & hóminum ipsa sicut decet Matrem misericórdiæ. Misericordíssima est & novit cómpati infirmitátibus humánis: quia notum est ei figméntum nostrum. Propter quod & interpelláre pro nobis apud Fílium suum non cessat: si tamen nos ipsos iniquitátes nostras deploráre víderit ac detestári.

℟. Beátus vir. cv.

Ad

Ad Laudes, Tertiam, & Vesperas.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui es gloriósus in glória Sanctórum, qui cunctis ad eórum patrocínia confidéntibus, suæ petitiónis salutárem præstas efféctum: concéde plebi tuæ; ut intercedénte beáto Rocho Confessóre tuo, quæ in ejus celebritáte se devótam éxhibet, à languóre & peste quam in suo córpore pro tui nóminis glória passus est, sit liberáta: & tuo nómini sit devóta. Per Dóminum.

DIE XVII. AUGUSTI.

Tertia die infra Octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis,

Infra Octavam Assumptionis, Officium fit modo præscripto in Rubricis de Octavis; ad Matutinum Invitatorium. Ave María grátia plena Dóminus tecum. *Non Duplicatur.*

Novem Antiphonæ & novem Psalmi ut in die, & in parvo Officio ejusdem Beatæ Mariæ Virginis.

℣. Spécie tua, &c.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

℟. Quæ est ista. 612.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. de Assumptione 10.

Lectio ij.

ADvocátam Maríam præmísit peregrinátio nostra: quæ tanquam júdicis Mater, & Mater misericórdiæ, supplíciter & efficáciter salútis nostræ negótia pertractábit. Pretiósum hódie munus terra nostra diréxit in cœlum ut dando & accipiéndo felíci amicitiárum fœdere; copuléntur humána divínis, terréna cœléstibus: ima summis. Illuc enim ascéndit fructus terræ sublímis: unde data óptima & perfécta dona descéndunt. Ascéndens ergo in altum Virgo beáta dabit ipsa quoque dona homínibus. Quidni daret? síquidem nec facúltas ei deésse póterit: nec volúntas. Regína cœlórum est: miséricors est. Dénique Mater est Unigéniti Fílii Dei. Nihil enim sic potest potestátis ejus, seu pietátis magnitúdinem commendáre; nisi fortè aut non créditur Dei Fílius honoráre Matrem; aut dubitáre quis potest omníno in afféctum charitátis transísse

Maríæ

Maríæ víscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est cháritas; novem ménsibus corporáliter requiévit?

℟. Vidi speciósam. 612.

Sermo S. Basílij Magni.

Hom. de Martyre Mamante seu Mammete.

Lectio iij.

Hic Martyr non accépit aliúnde quem habet splendórem: sed ipse per vitæ conversatiónem glóriæ fáculam accéndit. A Mamánte réliqui: non ab áliis Mamas glóriam habet. Hi púeri qui pietátem ab illo sunt edócti, per illum sunt in honóre. Nam ipse ex seípso virtútem quasi scaturígine quadam prodúcit. Non habet ut torrens, qui ex aliéno conflúxu gloriósus appáret: sed fons est decórem suum ex própriis venis effúndens. Celebrémus virum non aliéno, sed próprio ornaménto decórum. Vidétis eos qui equéstri certámine vicérunt; vidétis spléndida illórum monuménta: quómodo lápides sint neglécti. Ad Mártyris verò memóriam & tota régio mota est: & ad illíus festum urbs univérsa immutáta gestit.

℟. Gyrum cœli. 613.

Ad Laudes & Horas ut in die.

Antiphona ad Benedictus non Duplicatur.

Ad Vesperas Antiphona & Psalmi de Feria occurr. Capitulum, Versus, & Aña. Ad Magnificat, ut in secundis Vesperis diei Festi.

Oratio. Famulórum tuórum, &c. 611.

Ad Completorium. Ave maris stella. clxxvj.

DIE XVIII. AUGUSTI.

Quarta die infra Octavam.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

℟. Quæ est ista. 614.

Sermo S. Andreæ Creténsis Epíscopi.

De Assumptione.

Lectio ij.

Multæ filiæ congregavérunt divítias: Mater Dómini supergréssa est univérsas; multæ fidéles ánimæ pretiósa virtútum ornaménta, quibus Deo placérent, sibi thesaurizavérunt: Mater Dómini supergréssa est univérsas. Supergréssa est omnes in terris; supergréssa est in cœlis. In die peregrinatiónis

natiónis suæ, omnes habitatóres terræ meritórum decóre excéssit; in die Assumptiónis suæ omnes habitatóres cœli, præmiórum honóre transcéndit. Filiæ Jerúsalem; veníte & vidéte matrem Dómini in diadémate regális glóriæ suæ: quo coronávit eam Fílius suus in die beátæ Assumptiónis ejus in cœlum. Pláudite & jocundámini super eam omnes qui diligitis eam, quóniam nimis exaltáta est: magnificáta est veheménter. Cantémus in admiratióne glóriæ ejus. Cantémus illi cánticum lætítiæ, cum Rege Salomóne dicéntes. Quæ est ista quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens; & inníxa super diléctum suum?

℟. Surge própera. 615.

Lectio iij.

AGapítus Prænestínus, quíndecim annos natus, Aureliáno Imperatóre, martyrij cupidíssimus; cùm propter constántiam religiónis, Imperatóris jussu primùm nervis diutíssimè cæsus, deínde in tetrum cárcerem conjéctus esset: ut nihil omníno per quátuor dies gustáret, è custódia est edúctus; & ardéntibus carbónibus cápiti ejus impósitis Deo agens grátias, íterùm afféctus verbéribus nudus ita pédibus suspénsus est: ut ingens fumus è subjécto igne os ejus obrúeret. Tum fervens aqua in ejus ventrem effúsa est, maxillæque confráctæ. Quo témpore judex è tribunáli lapsus, paulò post mórtuus est. Ea re incénso Imperatóre sanctum Júvenem jubénte feris óbjici; cùm illæ non audérent attíngere: Prænéste gládio percússus est.

℟. Una est colúmba. 615.

DIE XIX. AUGUSTI.

Quinta die infra Octavam Assumptionis.

Lectio prima de Scriptura occurrente.

℟. Sicut cedrus. 616.

Sermo S. Joãnis Damascéni *De Assumpt. 3. Lectio ij.*

QUómodo Maríam cœlum suscépit, quæ cœlos amplitúdine superávit? quonam rursus modo eam túmulus cepit; quæ Dei conceptáculum fuit? certè ita est, cepit & ténuit; non enim corpóreæ moles ratióne cœlum amplitúdine superávit. (Quonam

enim modo corpus, quod tribus cúbitis constat, ac quotídie attenuátur, cœli latitúdini ac longitúdini comparári queat:) verum per grátiam pótiùs, celsitúdinis omnis & latitúdinis modum superávit. Neque enim áliquid est, quod Deo comparári possit. O sacrum augustúmque, ac adorándum monuméntum; quod étiam nunc Angeli, tremóre ac reveréntia assisténtes venerántur; dæmones pertiméscunt; hómines fide ádeunt, honorántes, adorántes, óculis & labris, animíque cupiditáte exósculántes: ubertímque bonórum cópiam hauriéntes. ℟. Beátam me dicent. 617.

Lectio iij.

BAdúlphus insígnis Jesu Christi servus Abbátiæ Athanacénsi Lugdúni celebérrimæ præfuit. In ea Abbátia quæ in eo loco sita est qui olim iis infelicíssimis tempóribus quibus sub cæco idolórum cultu Lugdúnum gemébat totíus Gálliæ scientiárum erat nóbile & celebratíssimum musæum; & quem deínde primórum Lugdunénsium Mártyrum constántiæ theátra fuére omnes veneráti: multos discípulos ad pietátem informávit Badulphus, quos non paucos número in divérsa loca tanquam peritíssimos pietátis magístros misit. Hunc étiam Athanacénsis Monastérij patrem, institutórem, & fundatórem fuisse; tradunt Históríci non perpáuci: & ab eo Auxíllæ Monastérium Lugdúno non procul fuisse à fundaméntis eréctum. Demum cùm sanctè & Religiósè diù Mónachis plúribus in ea Abbátia præfuísset: potens ópere & sermóne méritis & virtútibus præclárus in Dómino obdormívit. Ejus corpus sub ipso altári fuit cónditum quo sacri cíneres beáti Pothíni, sanctæ Blandínæ, & quadragínta octo Mártyrum qui sub Antoníno passi sunt, cónditi erant: priúsquam furóre Calviniáno de asílo sepultúræ amoveréntur. Extat in honórem hujus sancti Confessóris Viénnã inter & Lugdúnum insígnis priorátus in óppido sancti Symphoriáni dicto.

℟. Felix

℟. Felix valdè. 617.

DIE XX. AUGUSTI.

Sexta die infra Octavam Assumptionis.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

℟. Quæ est ista. 612.

Sermo sancti Joánnis Damascéni.

De Assumpt. 3. *Lectio ij*

QUómodo Maríæ fons vitæ ad vitam média tránsitur morte! O quomódò ea quæ in partu natúræ leges excésserat: nunc ipsíus légibus cedit, corpúsque immaculátum morti subjícitur: opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, præsértim cùm ne ipse quidem natúræ Dóminus mortis perículum fácere recusávit. Etenim carne móritur, ac morte; mortem de médio tollit, incorruptiónem donat: ac mortem resurrectiónis fontem éfficit. O quómodo sanctam illam ánimam à tabernáculo quod Deum suscéperat, emigrántem, suis mánibus ille ómnium rerum parens & effector, éxcipit? legítimè nimírum eam honórans, quod natúrâ alióqui ancíllam; pro impervestigábili benignitátis suæ abysso dispensatióne Matrem effécit, verè scílicet incarnátus, ac non velut præstígiis quibúsdam humanitátem effingens. Vidébant enim favebántque, ut par est crédere, adstántes Angelórum classes: tuum è vitâ discéssum, María, expectántes. O præclaríssimum excéssum, qui hoc tibi affert, ut cum Deo in cœlis præsens sis.

℟. Vidi speciósam. 613.

Lectio iij.

BErnárdus Fontánis prope Diviónem in Burgúndiâ nobílibus & piis paréntibus natus: anno ætátis vigésimo secúndo Monastérium Cisterciénse cum germánis, sociísque plusquam trigínta sub beáto Stéphano Abbáte ingréssus est. Monástico hábitu suscépto, in jejúniis, vigíliis & oratiónibus mirificè se exercébat. Elucébant in eo singuláris paupertátis amor, mira humílitas & summa benígnitas; contemplatióni sic addíctus erat: ut vix sénsibus nisi ad Officia pietátis uterétur. Eos in pietáte fecit progréssus: ut ad con-

struéndum Claravalsénse Monastérium júvenis licet mitterétur. Ibi ténuis victus, húmilis casa, solitúdo ingens; siléntiíque tanta obsérvántia: ut præter laborántium strépitus & voces laudántium Deum nihil pénitùs audirétur. In summa virtútum laude exorátus à summis Pontifícibus de Ecclesiásticis rebus constituéndis sæpius Itáliam ádiit; plúribus concíliis intérfuit: eósque egrégiè adjúvit. Imperatórem Lothárium jus Investiturárum sibi vindicántem sólitâ loquéndi libertáte reprehéndit: & à suscéptis concíliis demóvit. Ducem Aquitániæ Guillélmum ad unitátem Ecclésiæ revocávit. Orta populórum dissídia dirémit; oblátos sibi quinque Episcopátus humíliter recusávit: plúribus in locis ædificávit Monastéria. Multórum calúmnias patientíssimè tulit; exímia scripsit: Missæ sacrifícium vix aliquándo intermísit. Dénique annos sexagínta tres natus, miraculórum magnitúdine & número claríssimus óbiit Claravállе; ibíque sepúltus ante altáre beatíssimæ Vírginis: cujus fidelíssimus cultor præcipuúsque Encomiástes fuit.

℟. Gyrum cœli. 613.

DIE XXI. AUGUSTI.

Septima die infra Octavam Assumptionis.

Prima Lectio de Scriptura occurrente.

℟. Quæ est ista. 614.

Sermo S. Laurētij Justiniáni *Sermon. de Assumptione.*

Lectio ij.

NOs in hac lacrymárum exulántes valle, piâ cum devotióne clamémus ad Vírginem. Ipsam in ejus celebérrima solemnitáte prosequámur votis, sociémus in cánticis, láudibus efferámus; quátenus agnóscat Mater filios, líberet captívos: delíciis cœléstibus impínguet famélicos. Convertat María misericórdes obtútus suos ad miséros; deprecétur véniam, & offénsi Filij justítiā flectat ad grátiam: donet Fílius Matre pro nobis interpellánte justítiam, spei præstet fidúciam; spontáneæ servitútis amórem cónferat, & pium prærogет sincéræ charitátis afféctum: quo dirigénte & dedúcente

dedúcente pertingámus ad ipsum, qui hódie Genitrícem suam immortalitátis stolâ, & divinitátis sublimávit honóre. Hac fácilè obtinére valébimus, si interveniéntibus ejus méritis, illíus sectáti fuérimus puritátem mentis, & córporis pudicítiam: sanctimóniam vitæ, & fraternitátis amórem. Ista sunt, quæ placent Deo, refórmant mores; hómines immútant, élevant de imis & cóllocant in excélsis, ubi Virgo vírginum lætátur cum Fílio: gloriátur in Fílio.

℟. Surge própera. 615.

Lectio iij.

PHilibértus Abbátiæ Jumeténsis Fundátor, nóbilis orígine, bonis ómnibus abrenúntians; sæculo étiam júnior valedíxit: & Audoéni régulæ instituéndum se trádidit. Hujus tunc singuláris erat obediéntia; mira humílitas: & rigorósa pœniténtia. Dagobérti regis, Batíldis Regínæ ope Abbátiam Jumeténsem fundávit. Mira ejus erat in discípulis ad pietátis normam instituéndis vigilántia. Ebroíno audácter in nefas multótiès prorumpénti réstitit; & non resipiscéntem públicè Apóstatam nominávit: quod ægrè ferens Ebroínus, Philibértū apud sanctum Audoénum ódij in ipsum & apud regem proditiónis accusávit; cárceri tunc mancipátus calúmniam patientíssimo siléntio sustínuit: inde tamen eréptus & apud Pictávos proféctus multos étiam religiósos instítuit. Tandem méritis clárus in Dómino obdormívit. Singulárem ejus Deo de ómnibus providénti fidúciam multa miracula testáta sunt.

℟. Una est colúmba. 615.

Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Capit. Vers. Antiphona ad Magnificat & Oratio, ut in primis Vesperis Festi.

Vnica Processio ad Capellam Beatæ Mariæ.

DIE XXII. AUGUSTI.

Octava Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis semid. Majus.

Omnia ut in die, nihil Duplicatur.

Post Vesperas Processio ad sanctam Mariam.

℟. Felix valde. 617.

Oratio. Veneránda. 611.

In primo Nocturno.

De Cánticis Canticórum.

Lectio j. Cap.8

QUæ est ista quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens; innixa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te: ibi corrúpta est mater tua: ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum; quia fortis est ut mors diléctio; dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

℟. Quæ est ista. 612.

Lectio ij.

AQuæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam; si déderit homo omnem substántiam domûs suæ pro dilectióne: quasi nihil despíciet eam. Soror nostra párvula, & úbera non habet; quid faciémus soróri nostræ in die quando alloquénda est. Si murus est ædificémus super eum propugnácula argéntea; si óstium est: compingámus illud tábulis cédrinis.

℟. Vidi speciósam. 613.

Lectio iij.

EGo murus & úbera mea sicut turris: ex quo facta sum coram eo quasi pacem repériens. Vínea fuit pacífico, in ea quæ habet pópulos; trádidit eam custódibus: vir affert pro fructu mille argénteos. Vínea mea coram me est. Mille tui pacífici, & ducénti his qui custódiunt fructus ejus. Qui hábitas in hortis, amíci auscúltant: fac me audíre vocem tuam. Fuge dilécte mi, & assimiláre cápreæ, hinnulóque cervórum super montes arómatum.

℟. Gyrum cœli. 613.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Germáni Constantinopolitáni Epíscopi.

De Assumptione.

Lectio iv.

O Prædicánda toto mundo illíus diéi gáudia; quibus in advéntu Regínæ suæ lætificáti sunt univérsi cives supérnæ Jerúsalem, congratulántes Fílio in tali Matre: & Matri in tali Fílio,

Filio, & quid mirum, si gáudium est famíliæ cujúslibet pusílli hóminis in die quo ad núptias sponsam suam addúcit? Numquid non esse débuit gáudium cívibus cœli, in die quo & Regi illórum Sponsam ex sponsis eléctam, ad núptias dúcere; Fíliam inter filias diléctam hæreditáre, Matrem inter mulíeres benedíctam condignè honoráre complácuit? Ad intróitum ejus omnes tubæ cœléstes insonuérunt & jubilavérunt omnes filij Dei, & beatíssimam prædicavérunt; collaudántes victrícem manum ejus: quæ cervícem supplantatóris antíqui potentíssimè humiliávit.

℟. Quæ est ista. 614.

Lectio v.

QUæ sunt obséquia quibus tantam Dóminam dignè póssumus honoráre? hoc certè illi gratíssimũ obséquium est, ut ejus sacratíssimam vitam imitántes: amémus quod amávit, & vitémus quod vitávit. Grata est illi castitátis pulchritúdo, per quam & ipsa in óculis Altíssimi gloriósa facta est. Hanc ígitur pro illíus & Fílij sui reveréntia in cordis nostri suscipiámus hospítio: & amplectámur decórem ejus & grátiam magnam in conspéctu ejus inveniémus Si enim in immundítiis, porcórum more, volutémur, abominábiles érimus coram illa: & nihil dignum in conspéctu ejus fácere potérimus. Dilécta est illi humilitátis modéstia, propter quam ad summa honóris fastígia à Dómino exaltáta est: hanc, illíus provocáti exemplo, amémus; & ópere exerceámus: & gratum illi præstábimus obséquium. Si enim supérbiæ fastu elátos nos víderit; placére illi in nullis áctibus valébimus: apud quos regnat inimícus ejus.

℟. Surge própera. 615.

Lectio vj.

QUómodo ergo coram treméndâ illâ totíus mundi Dóminâ, quam tota cœléstis cúria cum omni reveréntia honórat: iniquitátibus pleni apparére, & festivitátibus ejus interésse, & laudes ejus pronunciáre audémus: de quâ certum est, quòd díligit justítiam & odit iniquitátem? Non est speciósa laus in

ore peccatóris. Placére non possunt épulæ quantúmvis pretiósæ ′ in sórdido vase oblátæ. Timeámus ne & nobis dicátur ab eâ; Benè obtulísti ′ sed male divisísti. Benè étenim illi offérimus, cùm laudes ejus sanctas pronunciámus; sed malè divídimus, cùm nosmetípsos per vitam malã ab ea alienámus. Verúmtamen quantúmvis horréndæ sint infirmitátes nostræ; nequáquam de misericórdia ejus nobis desperándum est ′ si in conspéctu ejus nosmetípsos accusáre, & intervéntum ejus pœniténti corde voluérimus flagitáre. Proculdúbio vidébimus auxílium ejus super nos ′ quia multæ sunt miseratiónes ejus, & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus eam. Sit nomen ejus benedíctũ in sæcula sempitérna. Benedíctus Deus in multitúdine misericórdiæ suæ, qui tam poténtem, tam misericórdem, tam familiárem suæ majestáti, nobis in supérnâ Cúriâ dedit advocátam.

℟. Una est colúmba. 615.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij ′ secúndùm Lucam.

Lectio vij.

IN illo témpore ′ intrávit Jesus in quoddam Castéllum; & múlier quædam Martha nómine ′ excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Anselmi Epíscopi.

Homil. 9. in Evang. Luc.

CAstéllo non incóngruè Virgo María assimilátur, quam virgínitas mentis & córporis quasi murus, ita úndique vallávit ′ ut nullus unquam libídini ad eam esset accéssus; nec sensus ejus áliquâ corrumperéntur illécebrâ. Et quia virginitátem cùm libído non possit: solet impugnáre supérbia ′ est in eádem Vírgine humilitátis, quæ à muro virginitátis omnem repéllit supérbiam. Et quia humilitátem cùm supérbia non possit, solet impugnáre libído ′ murus virginitátis à turre humilitátis omnem repéllit libídinem. Itáque hæc duo, murus, vidélicet, virginitátis, & turris humilitátis ab altérutro muniúntur, ut nunquam in húmili Vírgine fúerit, nec

nec supérba virgínitas: nec inquináta humílitas. Sed semper in eádem permánserit, & húmilis virgínitas: & virgo humílitas.

℟. Sicut cedrus. 616.

Lectio viij.

Singuláriter ígitur partem Marthæ perégit; singuláriter óptimam partem Maríæ elegit: sed pars ei Marthæ aufértur. Jam enim non erit sollícita ut minístret ei, sicut púero: cui omnes órdines Angelórum minístrant, ut Dómino. Jam non turbábitur fúgiens cum eo in Ægyptum à fácie Heródis: quia ipse ascéndit in cœlum, & Heródes descēdit in inférnū à fácie ejus. Jam nō turbábitur erga plúrima, quæ fecérunt Fílio suo Judæi, quia omnia subjécta sunt ei, jam Fílius Maríæ Judæis milítibus non flagellábitur, non occidétur: quia Christus ex mórtuis resúrgēs jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Pars ergo Marthæ ei aufértur, sed bono suo: pars verò Maríæ ei perfícitur quæ non auferétur ab ea. Exaltáta est enim super choros Angelórum, replétum est in bonis desidérium suum; videt Deum fácie ad fáciem sícuti est: gaudet cum Fílio in ætérnum; hæc est pars óptima quæ non auferétur ab ea: cuj⁹ & nos partícipes simus méritis & précibus ejus.

℟. Beátam me dicent. 617.

Lectio ix.

Symphoriánus Augustodúni, patre Fausto nóbili & Christiáno oriúndus; cum simulachrum Berecynthiæ plaudénte pópulo per urbem Carpénto veherétur, ad tantū scelus júnior exhórruit: & Idólum se adoratúrū negávit. Quare ad Heráclium virum Consulárem tanquam sediliósus statim addúcitur; qui loris cæsum in cárcerem conjécit, unde edúctus pósteà, & coram eódem júdice Christum prædicans: cápite damnátus est, imperánte Aureliáno. Qui cùm ad supplícium ducerétur matrem sic clamántem audívit: Nate Nate Symphoriáne, meménto Dei vivi; sursum, fili, erécto corde áspice regnántem in cœlis: hódie tibi vita non tóllitur, sed mutátur in mélius. Igitur

extra muros edúctus, à carnífice occísus est. Non procul à loco martyrij Euphrónius Présbyter ac pósteà Æduénsis Epíscopus in memóriam ejus, basílicam extrúxit. Passus est eódem die Romæ Timótheus Antiochénus sub Melchíade Pontífice; qui à Tarquínio præfécto vínculis, flagéllis, variísque supplíciis exagitátus Demũ cápitis abscissióne vitã finivit.

℞. Felix valdè es. 617.

Ad Laudes & Horas ut in die, ad Vesperas Antiphona & Psalmi de Feria occurrente, Capit. Versus Antiphona ad Magnificat, ut in secundis Vesperis festi & non duplicatur, post Vesperas Processio de Feria.

Ad Completorium Hymn. Ave maris stella. clxxvj.

DIE XXIIII. AUGUSTI.

Vigilia sancti Bartholomæi Apostoli.

Totum Officium fit de Feria cum magnis precibus.

Prima Lectio de Scriptura occurrente, secunda de Homilia ut in Communi, in vigiliis Apostolorum.

Lectio iij.

MInérvius nóbilis Lugdunénsis martyrium in eádem urbe passus est iísdem felicíssimis tempóribus quibus & Christiánum nomen martyrij sacrum pignus & Lugdunénsis Ecclésia contínuis & innúmeris ádeò mártyrum triúmphis adornabátur: ut vix ulla post Románam tot Mártyrum fuísse possit gloriári. Passus est étiam cum eo Eleázarus álius nóbilis Lugdunénsis; qui ut martyrio gloriosióri coronarétur: octo filios ante se hortátu præmísit mártyres. Felix enim & Christiánus ille parens sic vivos post se filios timuit post se relínquere: quómodo carnáles paréntes veréntur ne præmíttant. Omnes verbo & exémplo Christi jocundíssimas hóstias effécit, paréntibus ómnibus suis Lugdunénsibus concívibus exẽplum osténdens præclárum: cum quibus curis fílios suos pietáte, religióne, & justítia Deo débeant consecráre. Hi sancti Mártyres sanctórum Pothíni & Irenæi præsulum mónitis obtemperántes, nullam persecutórum rábiem licet immaníssimam timuérunt. Horum córpora in eo San-

irenæáno

irenæáno monte cóndita sunt ; in quo tot mártyres requiéscunt ; ut terra sanctórum & réquies Mártyrum jure mérito summa ómnium Lugdunénsium veneratióne debeat appellári.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus omnípotens Deus; ut beáti Bartholomæi Apóstoli tui, quam prævenímus, veneránda solémnitas : & devotiónem nobis áugeat & salútem. Per Dñm.

DIE XXIV. AUGUSTI.

S. Bartholomæi Apostoli.

Duplex minus.

Omnia de Communi Apostolorum.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi venerándam sanctámque lætítiam in beáti Apóstoli tui Bartholomæi festivitáte tribuísti ; da Ecclésiæ tuæ quæsumus, & amáre quod crédidit & prædicáre quod dócuit. Per Dóminum.

Ad Matutinum.

In primo Nocturno.

Lectiones ut in Communi Apostolorum. vij.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BArtholomæus Galilæus cùm in Indiam citerióre quæ ei in orbis terrárum sortitióne ad prædicándum Jesu Christi Evangélium obvénerat progréssus esset ; advéntum Dómini Jesu géntibus illis prædicávit juxta sancti Matthæi Evãgélium, quod litteris Hebráicis conscríptum eis relíquit : & ad Pantæni usque témpora ibi servátum esse memorátur. Cùm autem plúrimos ad fidem convertísset : detrácta pelle, cápitis abscissióne gloriósum martyrium felíciter complevísse fertur.

℟. Ego vos elégi. xj.

Lectio v.

POst multórum verò annórum spátia ab ejus passióne, inquit Gregórius Turonénsis, cùm íterùm Christiánis persecútio advenísset ; & vidérent gentíles omnem pópulum ad ejus sepúlchrum concúrrere : eíque deprecatiónes asídue & incénsa deférre, invídiâ illécti, abstulérunt corpus ejus ; & ponéntes in Sarcóphagum plúmbeum, projecérunt illud in

mare dicéntes: Quia non sedúces ámpliùs pópulum nostrum. Sed providéntiâ Dei cooperánte per secrétum óperis ejus sarcóphagum plúmbeum à loco illo aquis subvehéntibus sublevátum: delátum est ad Insulam vocábulo Líparis. Revelatúmque est Christiánis ut illud collígerent; collectúmque ac sepultum, ædificavérunt super illud templum magnum: in quo invocátum prodésse pópulis multis virtútibus ac benefíciis manifestátum est.

℟. Constítues eos. xj.

Sermo S. Petri Damiáni.

De sancto Bartholomæo Apostolo.

Lectio vj.

BArtholomæus quod útique Syrum nomen est non Hebræum, interpretátur Filius suspendéntis aquas; Filius útique Dei, qui prædicatórum suórum mentes ad cœléstia contemplánda suspéndit, ut quantò libériùs se ad intelligéndum Creatórem suum pennis virtútum librant: tantò feráciùs & ubériùs imbrem cœléstis elóquij nostris córdibus infúndere váleant; atque ex illo fonte suspénsi bibant: quod in nos póstmodum propinándo transfúndant. Unde benè Móyses mysticè de sanctâ dicit Ecclésiâ. Non est terra ad quam ingredímini possidéndam símilis terræ Ægypti de quâ exístis; ubi jacto sémine in hortórum morem aquæ deducúntur irríguæ: sed de cœlo plúvias expéctans quam Deus suus invísit omni témpore. Sæculáris enim prudéntia quasi cóluber per humum serpit; & huc illúcque lúbrica varietáte declínat: divína verò sapiéntia de cœléstibus íntonat.

℟. Nimis honoráti. xij.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij.

IN illo témpore: Facta est conténtio inter discípulos Jesu quis eórum viderétur esse major. Dixit autem eis. Reges géntium dominántur eórum; & qui potestátem habent super eos, benéfici vocántur: vos autem non sic. Et réliqua.

Homília Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Comment.

Comment. in Lucam. c. 22.

MUlti ardéntius legunt quòd facta est contentio inter discípulos Christi quis eórum viderétur esse major: quàm quòd multitúdinis credéntium erat cor unũ & ánima una. Multi récolunt tenáciùs quòd facta est dissénsio inter Bárnabam & Paulum; ita ut discéderent ab invicem: quàm quòd idem Paulus ait. Cùm enim sit inter vos zelus & conténtio nonne carnáles estis; nonne hómines estis? quasi nobis infirmitas sanctórum incitánda proponátur; & non illud pótiùs, quia convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello: hoc máximè in loco ubi & ipsa contentiónis eórum causa est nobis incógnita. Neque enim incredíbile est, quia juxta hoc quod álibi præcípitur: Conténdite intráre per angústam portam, honóre se ínvicem præveniéndo certárint; verùm quálibet ex causâ conténderint; nos pótiùs non carnáles adhuc discípuli quid gésserint: sed spiritális magíster quid jússerit videámus.

℟. O quàm pulchri. xiv.

Lectio viij.

DIxit autem eis; Reges géntium certántibus de priorátu discípulis pius magíster eos non ínitæ contentiónis árguit: sed formam quam sequántur humilitátis modéstâ ratióne descríbit. In quâ tamen formâ obtinéndâ majóres & præcessóres, id est, Doctóres Ecclésiæ non mánimâ discretióne opus habent; ne vidélicet regum Géntium instar dominári subjéctis, seque ab eis gáudeant supervácuis láudibus attólli: sed ad exémplum Regis ætérni quasi junióres eis quibus regéndis præsunt, efficiántur ac minístri. Quia nimírum necésse est, ut sic benè agéntibus per humilitátem sint sócij, quátenus contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ sint erécti; ut & bonis in nullo se præferant: & cùm pravórum culpa éxigit potestátem prótinus sui priorátûs agnóscant. Ne enim præsidéntis ánimus ad elatiónem potestátis suæ delectatióne rapiátur; rectè per quemdam sapiéntem dícitur:

tur: Ducem te constituérunt; noli extólli: sed esto in illis quasi unus ex illis. Hinc étiam Petrus ait; Non dominántes in clero: sed forma facti gregis.

℟. Qui sunt isti qui ut. xv

Lectio ix.

GEnésius Arelaténsis orígine; crudelíssimis Docletiáni & Maximiáni tempóribus: públicus fuit tabulárius. At tantam Imperatórum immanitátem detestátus quæ cōtra Christiános edícta pronuntiábant in públicis tábulis reférre rénuens; statim quòd Christiánus esset accusátus, infirmitátis suæ cónscius áufugit: & in urbe Arelaténsi aliquándiu in quibúsdam cavérnis delítuit. Hinc baptísmum ab Epíscopo petens, nec eâ grátiâ donátus fugæ semper consílium cápiens; tandem ab Imperatórum satellítibus captus, Christiánum se audácter proféssus: in próprio sánguine conféstim fuit baptizátus. Hunc mártyrem præcláris encómiis adornárunt Paulínus Nolánus, & Hilárius Arelaténsis Epíscopus; hic cùm die festo sancti Génesis ob nímiam pópuli multitúdinem pōtis Arelaténsis eversióne multi in Rhódanum cecidíssent: ejúsdem Mártyris précibus prodígio sanè inexpectáto omnes naufrágium evasísse testátur testis ipse oculátus. In hunc étiam diem íncidit pássio altérius Genésii mártyris; qui cùm Christiánam religiónem mimus públicè lúderet: derepéntè à Deo vocátus, se verè Christiánum esse & voce & vita & sánguinis effusióne Diocletiáno ipso teste proféssus est.

℟. Via munda sancta. xv.

Te Deum laudámus.

Post Vesperas duæ Processiones de sequenti.

Ad primam Processionem ℟. Euge serve bone & fidélis quia super pauca fuísti fidélis super multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti: ejus quæsumus méritis & intercessióne Regis Regum Jesu Christi Fílij tui fácias nos esse consórtes.

consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Hæc oratio dicitur ad Laudes, Tertiam & Vesperas.

Ad ij. Processionem ℟. Justus germinábit sicut lílium: Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

Deus qui beátum Ludovícum Confessórem tuum è terréni cúlmine impérij ad regnum ætérnum transtulísti: te súpplices exorámus ut sicut illum grátiæ tuæ ubertáte prævéntum illécebras sæculi superáre fecísti; ita nos fácias ejus imitatióne mundi hujus blandiménta vitáre: & ad te puris méntibus perveníre. Per Dóminum nostrum.

DIE XXV. AUGUSTI.

Ludovici Regis Franciæ & Confessoris.

Semiduplex majus.

Omnia de Communi Confessorum, non Pont.

Ad Matutinum.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 44.

In tentatióne invéntus est fidélis. Ideò jurejurándo dedit illi glóriam in gente sua; créscere illum quasi terræ cúmulum, & ut stellas exaltáre semen ejus; & hæreditáre illos à mari usque ad mare: & à flúmine usque ad términos terræ. Benedictiónem ómniū géntium dedit illi Dóminus: & testaméntum confirmávit super caput séminis ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis; & dedit illi hæreditátem: & divísit illi partem in tribubus duódecim. Et conservávit illi hómines misericórdiæ: inveniéntes grátiam in óculis omnis carnis.

℟. Euge serve bone, cj

Lectio ij. Cap. 45.

Coróna áurea super caput ejus expréssa signo sanctitátis, & glória honóris: opus virtútis & desidéria oculórum ornáta. Sic pulchra ante ipsum non fuérunt tália usque ad oríginem. Non est indútus illâ alienígena áliquis; sed tantùm filij ipsíus soli: & nepótes ejus per omne tempus. Sacrifícia ipsíus consúmpta sunt igne quotídie. Complévit Póntifex manus ejus, & unxit illum óleo sancto. Factum est

est illi in testaméntum ætérnum: & sémini ejus sicut dies cœli.

℟. Justus germinábit. cj.

Lectio iij. Cap.47.

IMperávit in diébus pacis, cui subjécit Deus omnes hostes, ut cónderet domum in nómine suo; & paráret sanctitátem in sempitérnum: quemádmodum erudítus es in juventúte tua Et implétus es, quasi flumen, sapiéntiâ: & terram retéxit ánima tua. Et replésti in comparatiónibus ænígmata: ad ínsulas longè divulgátum est nomen tuum, & diléctus es in pace tua. In cantilénis, & provérbiis: & comparatiónibus, & interpretatiónibus mirátæ sunt terræ. Et in nómine Dómini Dei cui est cognómen Deus Israël.

℟. Stolâ jocunditátis. cij.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

LUdovícus hujus nóminis nonus, patri Ludovíco, duódecim annos natus in regnum Francórum succéssit. A Blanchâ matre, sub cujus erat tutéla: ad pietâtem institútus est. In ipso regni exórdio, viros spectátæ virtútis & prudéntiæ cùm è cléricis tunc è láïcis in consilium adhíbuit; & Albigénses perduélles: patérnis jam armis impetítos, subégit. Rebus cum finítimis princípibus compósitis: totum se divíno cúltui promovéndo dedit. Duéllo & blasphémiis pénitus extirpándis incúbuit: Histriónes & joculatóres regno éxpulit. Beneficia Ecclesiástica nonnisi probátis, ac præcípuè per Ecclesiæ Parisiénsis Cancellárium, persónis neque jam áliud habéntibus: nisi illo abdicáto, conferébat. Adeò justítiæ studiósus fuit, ut quacúmque transíret, illáta si qua forent à comitátu damna: per Archidiáconũ Parisiénsem alióśve notæ æquitátis viros inquíri jubéret ac resarcíri; & contra Saracénos profectúrus, mónitos per præcónem súbditos voluérit, ut, qui læsi fortè essent, ipsum adírent: ómnibus factúrum satis.

℟. Audiam Dómine. cij.

Lectio v.

TRicésimo ætátis anno gravi morbo affectus; accéptâ

accéptâ cruce ab Epíscopo Parisiénsi: sacrum bellum vovit. Et post áliquot annos, contráctis ingéntibus cópiis; matri commíssâ regni curâ: mare trajécit. Atque ubi primùm Saracénos in littore astántes conspéxit; è navi in mare ense distrícto congressúrus insíliit: fugatísque hóstibus, Damiátam victor intrávit. Sed debilitáto póstmodum ex lue exércitu, victus ipse captúsque est: neque per totum captivitátis tempus; Horárum canonicárum quas ubíque ad usum Ecclésiæ Parisiénsis quotídie persolvébat: recitatiónem intermísit. Cùm de pace actum est; ipse conditiónes Saracénis dedit: mirántibus quòd victus victóribus leges impóneret. Pacto fœdere Rex cùm exércitu liber dimíttitur; cùmque in pecúnia numeránda, Saracénis non adverténtibus, errátum esset: íntegrum pecúniæ pondus solvi vóluit, violáti pacti alióquin reis. Annos deínde círciter quátuor, quo Saracénos ad servándas induciárum conditiónes adígeret; in Syria commorátus, Christiános multos è vínculis erípuit; Bárbaros fidei præcéptis imbuit: ac Christianórum urbes áliquot & castra suis súmptibus instaurávit. Interim mater ejus migrat è vitâ; cujus ut mortem accépit, in génua prócidens obórtis lácrymis hæc verba prótulit: Grátias tibi ago Dómine, qui matrem únicè diléctam quam ad tempus commodáveras recepísti; ita sit ut plácitum est coram te: sit nomen Dómini benedíctum.

℟. Dómine quinque. ciij.

Lectio vj.

IN Gálliam rédiens, navi prope Cyprum ad sílices allísâ; coram Sacra Euchavístia, cujus in navi asservándæ facultátē à Legáto apostólico obtinúerat, supplíciter orans: ab imminénte naufrágij perículo liberátus est. Cùmque navis ad réliquum itíneris minùs tuta à nautis renuntiarétur; Rex pius rejéctâ Prócerum senténtiâ in áliã transíre nóluit: ne sexcénti ferè hómines qui metu perículi ex eádem navi descendíssent, in Insula remanérent; indè numquam

aut

aut vix reversúri; Malle se dicens, cum liberis & uxóre, Deo áuspice, perículum adire: quàm sibi suísque cum tanto totque hóminum damno consúlere. Post réditum, piis opéribus impénsiùs stúduit. Plúrima Lutétiæ aliisque in locis ædificávit aut perfécit monastéria: & páuperum hospítia. Frequens visebat ægrótos: quibus non súmptibus modò sed & mánibus própriis ministrábat. In páuperes munificentíssimè próvidus, virgínibus dotem; provínciis annónæ inópiâ laborántibus aliménta: univérsis egéntibus necessária suppeditábat. Veste vulgári utebátur; cilício & jejúnio sæpè corpus affligébat: statis jejuniórum & festórum diebus conjúgio ábstinens. Cùm in Africam trajecísset bellum dénuò Saracénis illatúrus; jamque, captâ carthágine castra prope Tunétum in eórum conspéctu posuísset: mortem imminére séntiens, documénta Rege digna Christianíssimo, suâ manu conscrípta Philíppo fílio & successóri trádidit, illúdque Davídicum préferens: Introíbo in domum tuam adorábo ad templum sanctum tuum & confitébor nómini tuo Dómine: ánimam Deo réddidit anno ætátis quinquagésimo quinto, Christi verò millésimo ducentésimo. Eum miráculis illústrem Bonifácius octávus Sanctórum albo inséruit. Ossa ejus apud sanctum Dionysium religiósè asservántur.

℞. Super salútem. ciij.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis Parábolam hanc. Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accipere sibi regnum & revérti. Et réliqua.

Homília sancti Gregórij Papæ. *Epist. 6.*

QUantò cætéra hómines régia dígnitas antecédit: tantò cæterárum géntium regna regni Galliæ proféctò culmen excéssit. Esse autem regem quia sunt & álij non mirum est: sed esse Cathólicum quod álij

alij non meréntur hoc satis est. Sicut enim magnæ lámpadis splendor in tetræ noctis obscuritáte lúminis sui claritáte fulgéscit: ita fidei vestræ cláritas inter aliárum géntium obscúram perfidiam rútilat, ac corúscat. Quidquid autem reges se cæteri gloriántur habére, habétis; sed ipsi in hac re veheméntius superántur: quóniam hoc principále bonum non habent quod habétis. Ut ergo sicut fide, ita & actióne vincántur: benígnam se excelléntia vestra suis subjéctis semper exhíbeat. Et si qua sunt quæ ejus ánimum offéndere váleant, ea indiscússa non sinat. Tunc enim verè Regi regum, id est, omnipoténti Dómino ámplius placébit: si potestátem suam restríngens, minus sibi credíderit licére, quàm potest.

℟. Notas mihi fecísti Dómine. civ.

Lectio viij. Epist. 60.

PRopter hoc omnípotens Deus bonos quosque ad populórum regímina perdúcit; ut per eos ómnibus quibus præláti fúerint: dona suæ pietátis impéndat. Quod in Francórum gente factum cognóvimus; cui vestra glória idcirco præpósita est, ut per bona quæ vobis concéssa sunt: étiam subjéctæ vobis genti supérna beneficia præstaréntur. Et ídeò gloriose fili eam quam accepísti divínitùs grátiam, sollícitâ mente custódi; Christiánam fidem in pópulis tibi súbditis exténdere festína: zelum rectitúdinis tuæ in eórum conversióne multíplica. Idolórum cultus inséquere; fanórum ædifícia evérte: subditórum mores in magnâ vitæ mundítiâ: exhortándo, terréndo, blandiéndo, corrigéndo; & boni óperis exémpla monstrándo ædífica: ut illum Retributórem invénias in cœlo, cujus nomen atque cognitiónem dilatáveris in terrâ. Ipse enim vestræ quoque glóriæ nomen étiam pósteris gloriósius reddet: cujus vos honórem quæritis & servátis in géntibus. Sic enim Constantínus quondam piíssimus Imperátor Románam rempúblicam à pervérsis Idolórum cúltibus révocans;

cans; omnipoténti Dómino Deo nostro Jesu Christo secum súbdidit: seque cum subjéctis pópulis totâ ad Deum mente convértit.
℟. Justum dedúxit Dóminus. cv.

Lectio ix.

EUsébius, Vincéntius, Pontiánus, Vincéntius & Peregrínus nobilíssimi Christi mártyres Romæ spectántibus multis sub Imperatóre Cómmodo perfecérunt martyrium. Mira sunt quæ pro Jesu amóre quo vehementísse ardébant passi sunt: cùm enim tot & tantas prædas dæmon sibi éripi vehementiùs doléret; nihil non crudéle in sanctíssimos mártyres excogitávit: ómnibus síquidem modis à Christi fide avértere conátus fuit Imperátor. Sed cùm nihil proficeret; primùm equúleo diríssimè torti sunt: in quo acérbo supplício nihil nisi dulcíssimum Jesu nomen ex pleníssimâ cordis abundántiâ eructábant. Tum fústibus gráviter cæsi; quot ictus recipiébant: tot Deo laudes velut de grátiis accéptis libentíssimè referébant. Deínde ad látera ígnibus applicátis, nihil contra charitátis ardentíssimum ignem pótuit ignis tyránni; qui se à gloriósis his Christi pugílibus vinci excandéscens, eos plúmbeis glándibus jussit trucidári: & sic pretiósam vitam pretiosíssima morte Deo dedérunt.
℟. Beátus vir. cv.

Ad Tertiam.

Oratio. Deus qui beátum Ludovícum. 638.

Ad Sextam.

Oratio. Deus qui beátum Ludovícum Confessórem tuum è terréni cúlmine. *ut suprà.* 539.

Ad Nonam.

Orémus. *Oratio.*

COncéde quæsumus Ecclésiæ tuæ omnípotens Deus; ut beátum Ludovícum Confessórem tuum quem regnántem in terris propagatórem hábuit: intercessórem habére mereátur gloriósum in cœlis. Per Dóminum.

DIE XXVIII. AUGUSTI.

S. Augustini Episcopi & Confess. semiduplex.

Majus.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis.

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

ADésto supplicatiónibus nostris omnípotens Deus: & quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges; intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice: consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum. Per Dñm.

Ad Matutinum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

AUgustínus Tagáste in Africa natus, adoléscens in amóres illícitos & Manichæórum Hæresim impégit; sed lácrymis & précibus Mónicæ matris: Medioláni ubi Rhetóricam docébat, Ambrósij collóquio in Cathólicos propénsior factus; primùm librórum sacrórum lectióni se dedit, quibus ad pietátem excitátus & intus à divínâ grátiâ potentíssimè motus, vocem áudiens dicéntem sibi: Tolle, lege. Legit, certávit; flevit, crédidit: Deo tandem totum se dedit. Et cùm matri suæ ad óstia Tiberína supréma pietátis officia persolvísset; Hippónem Régiũ evocátus ut virum ipsíus audiéndi cúpidum lucrarétur, raptus à pópulo invítus Presbyter ordinátus: à Valério Epíscopo potestátem verbum Dei prædicándi accépit. Tunc in Monastérium pœniténtiæ causa se recépit. Epíscopus in Valérij locum eléctus, communem, símplicem, & paupérrimã vitam egit; énituit ejus in pupíllos & víduas cháritas benigníssima: in peccatóribus recipiéndis patiéntia amantíssima.

℟. Dómine quinque. lxxxv.

Lectio v.

AD públicos pro Ecclésiâ labóres vocátus: Manichæos, Donatístas, Pelagiános, assíduis disputatiónibus, collóquiis & scriptis strénuè debellávit. Ecclesiæ tunc & in pósterum primus Doctor; plúrimis ádfuit concíliis; & à Theodósio ad Ephesínum invitátus: morte prævéntus, interésse non pótuit. Eum, quotquot in pósterum de rebus Divínis egérunt: ut præcípuum habuére Magístrum. Mira sunt quæ scripsit: & nihil in iis quod Augustíni ingé-

nium

mnium, sciéntiam, pietátem & charitátem non redóleat. Ultimis vitæ suæ annis; sæpiùs lácrymis profúsis pœnitentiæ Psalmos meditátus: in Dómino obdormívit. Testaméntum nullum fecit; quia unde fáceret: Christi pauper non hábuit. De eo ita scribit Possídius. Augustínus homo cœléstis, imágo divinitátis; Pater Patrum, Doctor Doctórum: abyssus sapiéntiæ, præco veritátis; eructátor divinórum eloquiórum: inquisítor prædictórum. Augustínus par Angelis in fervóre, par Prophétis in absconditórum mysteriórum revelatióne; par Apóstolis in prædicatióne, par Martyribus in desiderándo passiónem: par Confessóribus in disciplinárum traditióne, & par Virgínibus in continéntiæ observatióne.

℟. Justus germin. lxxxvj.

Sermo sancti Hierónymi Presbyteri.

Epist. 25. ad August.

Lectio vj.

Omni quidem témpore beatitúdinem tuam, O Augustine eo quo decet honóre venerátus sum: & habitántē in te diléxi Dóminum Salvatórem; sed nunc si fieri potest, cúmulo áliquid áddimus & plena complémus, ut absque tui nominis mentióne ne unam quidem horam prætertire patiámur, qui contra flantes ventos ardóre fidei perstitisti: maluistíque, quantum in te fuit, solus liberári de Sódomis, quàm cùm peréuntibus commorári. Scit quid dicam prudentia tua. Macte virtúte, in orbe celebráris; Cathólici te conditórem antíquæ rursum fidei venerántur atque suspíciunt; & quod signum majóris glóriæ est, omnes hærétici detestántur, & me pari persequúntur ódio: ut, quos gládiis néqueunt, voto interfíciant.

℟. Stola jocũditátis. lxxxvj

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangelij: secúndùm Matthæum.

Lectio vij.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit; in quo saliétur? ad nihilum valet ultra nisi ut mittátur foras: & conculcétur ab homínibus.

Vos

Vos estis lux mundi. Et réliqua.

Homília sancti Paulíni Epíscopi.

Epist. 41. ad August.

TUos nunc libros lectióni hábeo, Augustíne in his me obléсto; de his cibū cápio : non illum qui perit sed qui operátur vitæ ætérnæ substántiam per fidem nostram, quâ adcorporámur in Christo Jesu Dómino nostro, cùm fides nostra quæ visibílium négligens, invisibílibus ínhiat : per charitátem ómnia secúndùm veritátem omnipoténtis Dei credéntem, lítteris & exémplis fidéliū roborétur. O verè sal terræ, quo præcórdia nostra, ne possint sæculári erróre vanéscere, condiúntur! O lucérna dignè super candelábrum Ecclésiæ pósita : quæ latè Cathólicis úrbibus de septifórmi igne pastum óleo lætítiæ lumen effúndens.

℟. Cibávit illum. lxxxix.

Lectio viij.

DEnsas licet Hæreticórum calígines díscutis : & lucem veritátis à confusióne tenebrárum splendóre clarífici sermónis enúbilas. Vides frater unánime, admirábilis in Christo Dómino & suscipiénde, quàm familiáriter agnóverim te, quanto admírer stupóre; quàm magno amóre compléctar : qui quotídie collóquio litterárum tuárum fruor, & oris tui spíritu vescor. Os enim tuum fistulam aquæ vivæ & venam fontis ætérni méritò díxerim; quia fons aquæ vitæ saliéntis in vitam ætérnam Christus efféctus est : cujus desidério sitívit in te ánima mea & ubertáte tui flúminis inebriári terra mea concupívit.

℟. Justum dedúxit. xc.

Lectio ix.

JUliánus Viennénsis, hortánte sancto Ferréolo cujus in milítia comes erat; Viénna ubi Diocletiáni persecútio fervébat discéssit, non præ mortis metu, sed ut paréntibus & facultátibus relíctis : ad subeúndum Martyrium esset expedítior. Igitur ad Arvérnos se cóntulit, & imminénte ibi persecutióne ad Brivarénsem vicum pervénit. Cùm autem intellígeret instáre persecutóres; víduam

duam rogávit, ut ejus ope delitéſceret. Vix illa petitióni ejus ánnuit cùm ecce prosíliens ad ſatéllites; Nolo, ait, diútiùs commorári, in hoc ſæculo: quia toto ánimi ardóre Christum sítio. Moxque ab illis reſecto gútture necátus eſt. Ignorátum ab íncolis Martyrij diem, Germánus Antiſſiodorénſis Briváte tránſiens: cùm in oratióne pernoctáret, Deo revelánte didicit. Caput ejus cum córpore ſancti Ferréoli Viennam tranſlátum eſt. Eódem die paſſus eſt Romæ Hermes nobiliſſimus génere ſed fide multò magis apud omnes commendátus qui ſub præfécto Aureliáno multis diriſſimíſque ſupplíciis: glorióſum Martyrium súbiit ut teſtántur acta ſancti Alexándri Papæ & Mártyris.

℟. In médio Eccléſiæ. xcj.

Veſperæ de ſequenti.

DIE XXIX. AUGUSTI.

Decollationis S. Ioannis Baptiſtæ.

Præcurſoris & Martyris Primatialis Eccleſiæ Patroni.

Duplex Majus.

Ad Veſperas Antiphonæ de Laudibus. Arguébat Heródem Joánnes. *Pſalmi de Dominica.* 145. *& loco ultimi. Pſal.* Laudáte Dóminum omnes Gentes. 150.

Capitulum. Jer. 1.

Surge & lóquere ad eos ómnia quæ ego præcípio tibi; ne formides à fácie eórum: nec enim timére te fáciam vultum eórum.

℣. Poſuíſti Dómine ſuper caput ejus.

℟. Corónam de lápide pretióſo.

Ad Magnificat, Aña. Miſſo, Heródes, ſpiculatóre, præcépit amputári caput Joánnis in cárcere; quo audito diſcípuli ejus venérunt & tulérunt corpus ejus, & poſuérunt illud in monumento.

Duplicatur.

Orémus. *Oratio.*

Sancti Joánnis Baptíſtæ Præcursóris & Mártyris tui, Dómine quæſumus, veneránda feſtívitas: ſalutáris auxílij nobis præſtet eſſéctum. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, Qui te cum vivit, &c.

Ad

Ad primam Processionem. ℟. vij. Fuit homo missus à Deo. 654.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui beátum Joánnem Baptístam Præcursórem filij tui præclárũ hódiè castitátis Mártyrem effecísti; da nobis ejus vestígiis inhærére: & te solũ Deum purâ mente & casto córpore sectári. Per eumdẽ.

Ad secundam Processionem. ℟. viij. Hic Præcúrsor diréctus. 655.

Orémus. *Oratio.*

DEus, quem B. Joánnes Baptísta priúsquam nascerétur in vita & étiam hódie pretiósâ morte annuntiávit; da nobis illárum puritátis & constántiæ rectitúdinem semitárum: quas étiam voce sánguinis sui novus hic Abel edócuit. Qui vivis, &c.

Ad Completor. Hymnus.

UT queant laxis resonáre fibris
Mira gestórũ fámuli tuórũ:
Solve pollúti lábij reátum,
Sancte Joánnes.

O nimis felix, meritíque celsi
Nésciens labem nívei pudóris,
Præpotens Martyr, eremíque cultor
Máxime vatum.

Serta ter denis álios corónant
Aucta creméntis, duplicáta quosdam;
Trina centéno cumuláta fructu
Te sacer ornant.

Hinc potens nostri méritis opímis
Péctoris duros lápides repélle,
Asperum planans iter, & refléxos
Dírige calles.

Vt pius mundi Sator & Redémptor,
Méntibus pulsâ livióne puris,
Ritè dignétur véniens sacrátos
Pónere gressus.

Láudibus cives célebrant supérni,
Te Deus simplex, paritérque trine,
Súpplices & nos véniam precámur,
Parce Redémptis.
Amen.

Vel alius ad libitum. Vt in fine Proprij Sanct. p. 665.

Ad Matutinum. Invitatorium. Regem regũ Dóminum veníte adorémus, quia ipse est coróna beáti

Joánnis Baptistæ Mártyris. *Duplicatur.*

In primo Nocturno.

Aña. Joánnes autem cùm audísset in vínculis ópera Christi mittens duos de discípulis suis ait illi: Tu es qui ventúrus es, an álium expectámus?

Psalmus. Beátus vir qui non ábiit. xxxv.

Aña. Ad ómnia quæ mittam te dicit Dóminus, ibis, & quæ mandávero tibi loquéris ad eos.

Psalmus. Quare fremuérunt gentes xxxv.

Aña. Qui me conféssus fúerit coram homínibus confitébor & ego eum coram Patre meo.

Psalmus. Dómine quid multiplicáti sunt. xxxvj.

℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine.

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárū

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap.48.

SUrréxit Elias Prophéta, quasi ignis & verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in illos famem; & irritántes illum invídia sua pauci facti sunt: non enim póterant sustinére præcépta Dómini. Verba Dómini contínuit cœlum: & dejécit de cœlo ignem ter. Sic amplificátus est Elias in mirabílibus suis.

℟. Præcúrsor Dómini venit de quo ipse testátur: * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptistâ. ℣. Hic venit in testimónium ut testimónium perhibéret de lúmine ut omnes créderent per illum. Nullus major inter.

Lectio ij.

ET quis potest símiliter sic gloriári tibi? qui sustulísti mórtuum ab ínferis de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui dejecísti reges ad perníciem; & confregísti fácilè poténtiam ipsórum: & gloriósos de lecto suo. Qui audis in Sina judícium: & in Horeb judícia defensiónis. Qui ungis reges ad pœniténtiam, & Prophétas facis successóres post te. Qui recéptus es in túrbine ignis: in curru equórum igneórum. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini; conciliáre cor patris ad fílium: & restitúere tribus Jacob.

℟. Me opórtet mínui illum autem créscere. * Qui post me

me venit ante me factus, est cujus non sum dignus corrigiam calceaménti ejus sólvere. ℣. Hoc est testimónium quod perhíbuit Ioánnes. Qui post me venit.

Lectio iij.

BEáti sunt qui te vidérunt, & in amicítia tua decoráti sunt. Nam nos vitâ vívimus tantum : post mortem autem non erit tale nomen nostrum. Elias quidem in túrbine tectus est & in Elizéo complétus est spíritus ejus; in diébus suis non pertímuit príncipem : & poténtiâ nemo vicit illum. Nec superávit illum verbum áliquod, & mórtuum prophetávit corpus ejus ; in vita sua fecit monstra : & in morte mirabília operátus est.

℟. In illa die suscípiam te servum meum & ponam te sicut signáculum in conspéctu meo. * Quóniã ego elégi te dixit Dóminus.

℣. Pósui verba mea in ore tuo & in umbra manus meæ protéxi te. Quóniam.

In secundo Nocturno.

Aña. Misit Dóminus manum suam & tétigit os meum & Prophétam in géntibus dedit me.

Psalm. Cum invocárem exaudívit. xxxviij.

Aña. Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constítui te super gentes & regna.

Psal. Verba mea. xxxix.

Aña. In univérsa terra glória & honóre coronásti eum

Psalmus. Dómine Dóminus noster. xl.

℣. Voce mea ad Dóminum clamávi.

℟. Et exaudívit me de monte sancto suo

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

De sancto Ioanne Baptista Martyre. Lectio iv.

AGebátur cœna régia, seu ut vériùs dicam, ac quod res habet, tyránnica; nimírum natális dies Heródis, execrándæ vulpis, cruéntæ béstiæ ac dolósæ : cujus étiam Dóminus perspéctos habens mores non dixit ; Dícite leóni huic, tamétsi fera hæc regále quídpiam habére videbátur: sed, Dícite vulpi. Quãquam enim erat leónis poténtia : mores tamen vulpíni erant. Coácto ítaque convívio ; cùm jam potátio processísset : se saltátrix convívio íngerit,

Turpe spectáculum ac réprobum; miserábile quidem, vel si in theátrum ac scenam invasísset: nedum in regale convívium. Vis nosse convívij illíus turpe spectáculum? erat saltátrix régiâ stirpe sata: Herodíadis filia. Genus régium: Saltatrícis mores. Hæc porrò illa Heródias est, quæ nec natúræ quidem servávit modos; quæ nimírum Philíppo juncta matrimónij jure: Heródi cohabitáret. Ænígma est quod dico: planè enim ad ænígmatum inquisitiónem ducit luxúriæ finis. Heródes namque fratris repúlsâ memóriâ, totúsque libídinis efféctus servus; Judæis quidem more régio dominabátur: magis autem ipse voluptátum servus erat. Joánnes verò audácter eum arguébat.

℟. De ventre matris meæ vocávit me Dóminus nómine meo & pósuit os meum ut gládium acútum: * Sub tegiménto manûs suæ protéxit me pósuit me quasi sagíttam eléctam.

℣. Et glorificátus sum in óculis Dómini & Deus meus factus est fortitúdo mea. Sub tegiménto.

Lectio v.

Ait Joãnes ad Regem: Non licet tibi habére uxórẽ fratris tui. Vides quã è natúrâ sit virtus, ut vítio dominétur? Heródes rex erat; habébat satéllites, divítiis affluébat: regále domínium administrábat. At Joánnes vir ille pauper, vagus, rusticánus; nihil póssidens, jejúnio conféctus; tántùm mandúcans quantùm cógeret natúra; veste indútus è Camelórum pilis conféctâ: ei legẽ jubet qui púrpurâ indútus esset. Is, qui locis desértis incedébat: ei, qui multo pópulo refértis urbibus imperáret. qui summis frutícibus ac melle silvéstri vescebátur: ei ex potestáte præcipit cui mensa spléndida ac régio apparátu esset appósita. Non licet tibi: quamquam régibus licére ómnia videátur. Enim verò, licent ómnia: sed non ómnia expédiunt. Ad hæc, cùm debuísset grátias ágere; cùm afficere beneficio, cùm reveréri ac cólere castitátis magístrum, ipse magis Heródes ægrè tulit: ac præ eo, Heródias.

℟. Ecce

℟. Ecce Agnus Dei qui tollit peccáta mundi. Ecce de quo dicébā vobis:* Qui post me venit ante me factus est, cujus non sum dignus corrígiam calceaménti sólvere. ℣. Joánnes testimónium pérhibet de ipso, & clamat dicens. Qui post.

Lectio vj.

ET præcépit, inquit, & statim allátum est caput Joánnis Baptístæ: & datum puéllæ. Vide amári convívij: amplióris amaritúdinis plenum finem. Amputátur Prophétæ caput; tráditur puéllæ: ac puélla súscipit. Non horret spectáculum; non obstúpuit sacrum caput: non est aversáta, stillántes sánguinis rivos. Verè crudélis leæna: crudélior leúncula. Pónitur in disco Prophétæ caput, in quo étiam cibi circumferúntnr; idémque vas cibórum & necis fuit, eadémque horâ, stillánte adhuc cruóre: ac cùm adhuc exséctū caput palpitáret. Fortè verò & convívio illátū caput, motitánte adhuc linguâ clamábat: Non licet tibi habére uxórem Philíppi fratris tui. Et accípiens áttulit matri suæ. Accépit saltatiónis magístra: malæ doctrínæ ímpium præmium.

℟. Coróna áurea super caput ejus expréssa signo sanctitátis glória honóris:* Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et opus fortitúdinis. Glória Patri. Et opus fortitúdinis.

In tertio Nocturno.

Aña. Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Joánnes hic venit in testimónium ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. *Psal.* In Dño confido. xlij.

Aña. Ne tímeas à fácie eórum quia ego tecum sum dicit Dóminus. *Psal.* Dñe quis habitábit. xlij.

Aña. Pósuisti Dómine super caput ejus coronam de lápide pretióso.

Psalmus. Dómine in virtúte tua. xliij.

℣. Justus Dóminus justítias diléxit. ℟. Æquitátem vidit vultus ejus.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Marcum.

Lectio vij.

IN illo témpore : Misit Heródes ac ténuit Joánnem & vinxit eum in cárcerem propter Herodíadem uxórem Phillíppi fratris sui quia dúxerat eam. Dicébat enim Joánnes Heródi : Non licet tibi habére uxórem fratris tui. Heródias autem insidiabátur illi, volens occídere eum, nec póterat. Et réliqua.

Homília S. Basílij Seleúciæ Epíscopi. *De Herodiade.*

AIt Heródias. Quid filia mea, quid sit facto opus delíberas? étiam propósito múnere nescis quid quæras? Te petitiónis prætéxtus morátur; Ecquid Joánnis cápite nobis desiderabílius, quid nobis ejus cæde pro épuli celebritáte jocúndiùs? Disco caput apportétur. Oculis fruámur : quandóquidem non póssumus déntibus. Divéllit nos à cubíli régio : ipse próprio divellátur à cápite. Abstrahit me à meis amóribus; advérsus meam concértat libídinem : gládium excípiat quem ira ácuit. Jáculi more linguam vibrávit; unà cum cápite exscindátur : quod loquéndi órganum fuit. Hanc pridem occasiónem dari cupiébam. Nec dum concéssâ facultáte, somniántem ánimum desidério pascébam. Repénde mihi, ô filia, saltándi disciplínam : repénde mercédem labóribus à me tui causâ suscéptis. Inimíci nex sit mihi tuæ saltatiónis fructus : cujus odi vocem, ejus sériò curo siléntium. Proferátur ócyus, dum fervet compotátio, dum convívium pendet; sit mihi pars epulárum Baptístæ caput : sitim sánguine restínguam. Vídeam jugulátum epulándum apponi : ejus cruóre potor. O matrem ímpiam, ô magístram majóri fultam impietáte. Fília, ejúsmodi matris documéntis armáta; ad Heródem saltatiónis laudatórem : cruénta postuláta tripúdij mercéde pétitum, excúrrit.

℟. Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Joánnes hic venit ut testimónium perhibéret de lúmine: * Et paráret Dño plebē perféctam. ℣. Non erat ille lux sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Et.

Lectio

Lectio viii.

ABscíssum quidem est caput, at mínimè contícuit Joánnis vox: ætérnum post fúnera loquétur. Accusatórem in te, múlier, armásti: neque enim cum cápite vocem quoque præcidísti. Etiam post jugulatiónem supérstes tibi est accusátor; plena est tuórum críminum terra, audáciā mária mirántur: cœlum supérnè cum Joánne vociferátur. Linguam unā sustulísti; sed vicè linguæ Joánnis totus est mundus: ad te accusándum creatúra plena vocis est. Necdum verò immortále illud tribúnal dico, quodque nullâ falli ratióne judícium potest: animadversiónis ætérnę terrórem, ténebras exterióres, cùm ipse à Joánne tinctus eum qui tinxit ulciscétur; quando cujúsque facta nuda prostrábunt: astábunt Angeli qui latas in síngulos quosque senténtias propénsè exequántur. His auditóres ánimis castigētur: huc Evāgélicæ collíneat narratiónis scopus. Vertant in salutáre nostrū medicaméntū Evangeliórum voces: Herodíadis accusátio sit auditórum salus.

℞. Hic præcúrsor diréctus & lucérna lucens ante Dóminum ipse est enim Joánnes qui viam Dómini præparávit in erémo sed & Agnum Dei demonstrávit: * Et illuminábat mentes hóminum. ℣. Hic venit in testimónium ut testimónium perhibéret de lúmine. Et illuminábat.

Pro S. Sabina Martyris.

Lectio ix.

SAbína múlier Romána, Valentíni viri charíssimi uxor, à Seráphia Vírgine Christiána fidei præcéptis institúta: post sanctæ Vírginis martyrium colléctas ejus relíquias piis exéquiis sepelívit. Quæ propter eam causam paulò post Adriáno Imperatóre comprehénsa, Elpídio júdici síſtitur. Cui is, Tu ne illa Sabína, & génere & matrimónio nobilíssima? at illa, sum, inquit; sed Dómino meo Jesu Christo grátias ago: qui me intercessióne Seráphiæ fámulæ suæ, à dæmonum potestáte liberávit. Quam váriè tentátam, ut propósitum mutáret; cùm à fidei con-

stántiâ movére non posset: Præféctus pronuntiátâ senténtiâ quòd Deos contémneret, cápitis damnávit. Ejus corpus à Christiánis in eódem sepúlchro cónditum est: in quo ipsa magístram fidei suæ Serápham posúerat.

℟. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta: * Qui viam Dómini præparávit in erémo. ℣. Hic est enim de quo scriptum est. Eccè mitto Angelum meum ante fáciem meam. Qui viam.

Hymnus. Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Aña. Arguébat Heródem Joánnes propter Herodíadem quam túlerat fratris sui Philíppi uxórem. *Psal*. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica*. 20.

Aña. Ecce mitto Angelum meum qui præparávit viam tuam ante fáciem meam. *Aña*. Hic est verè Martyr qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit qui minas príncipum non tímuit nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna felíciter pervénit.

Aña. Pósuit os meum Dóminus ut gládium acútum sub umbra manûs suæ protéxit me. *Aña*. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta.

Capitulum. Surge & lóquere ad eos. 648.

℣. stola jocunditátis.

℟. Induit eum Dóminus.

Ad Benedictus, *Aña*. Beátus vir qui suffert tentatiónem quóniam cùm probátus fúerit accípiet corónam vitæ. Quam repromísit Deus diligéntibus se.

Duplicatur.

Oratio. Sancti Joánnis Baptístæ. 648.

Ad Tertiam, Capitul. Surge & lóquere ad eos. *ut suprà*. 648.

℟. Posuísti Dómine super caput ejus. ℣. Corónam de lápide pretióso.

Oratio. Sancti Joannis Baptistæ. 648.

Ad Sextam.

Capitulum. Jer. 17.

NOn audiérunt nec inclinavérunt aurem suam; sed induravérunt cervícem suam: ne audírent me.

℟. Glória & honóre coronásti. *ut in Communi unius Martyris*.

Martyris. Oratio. Deus qui beátum Joánnem Baptístam. 649.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 48.

IN diébus suis non pertímuit príncipem; & poténtiâ nemo vicit illum: nec superávit illum verbum áliquod.

℟. Magna est glória. *ut in Communi unius Martyris.*

Oratio. Deus quem beátus Joánnes Baptísta. 649.

Ad Vesperas, Aña. de Laudib. Arguébat Heródem. *Psal.* Dixit Dóminus. 145. *cum reliquis de Dominica loco ultimi.*

Psal. Crédidi propter. 150.

Capitulum. Jer. 1.

Surge & lóquere ad eos. *ut suprà.* 648.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Magnificat, Aña. Misso Heródes spiculatóre præcépit amputári caput Joánnis Baptístæ, quo audíto, venérunt discípuli, & tulérunt corpus, & posuérunt illud in monuménto.

Duplicatur.

Oratio. Sancti Joánnis Baptístæ, 648.

Processio de sequenti.

DIE XXX. AUGUSTI.

SS. *Felicis & Adaucti Martyrum, trium Lectionum.*

Omnia de Communi plurimorum Martyrum.

Orémus. *Oratio.*

MAjestátem tuam Dómine súpplices exorámus; ut sicut nos júgiter Sanctórum tuórum cõmemoratióne lætíficas: ita semper supplicatióne deféndas. Per Dóminum.

Hæc Oratio dicitur ad Laudes, Tertiam, & Vesp.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

FElix, Diocletiáno & Maximiáno Imperatóribus, propter suscéptam Christi religiónem comprehénsus; in Serápidis templum addúctus est. Cui sacrificáre cùm juberétur, os simuláchri cõspuit. Quo facto statim ærea státua córruit. Quod cùm iterùm ac tértiò in æde Mercúrij Dianæque factum esset; impietátis, & mágicæ artis accusátus: equúleo torquétur. Mox ad secúndum ab Urbe lápidẽ viâ Ostiénsi dúcitur: ut secúri ferirétur. Cui inter viam oblátus

quidam Christiánus, cùm Felicem agnóſcens ad martyrium duci vidéret; Ego quoque clarâ voce, inquit, eádem qua iste, lege vivo: ego eúmdem Jesum Christum colo. Itaque Felícem osculátus cum eo secúri percútitur tértio Kaléndas Septémbris; cujus nomen cùm ignótum esset Christiánis, is Adáucti nómine nobilitátus est: quòd sancto Mártyri Felíci adáuctus sit ad corónam.

DIE XXXI. AUGUSTI.

Sancti Paulini Episcopi. iij. Lectionum.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

PAulínus insígnis nóminis & pietátis Epíscopus Trevirénsis, témpore Arriánę infestatiónis à Cōstātio Imperatóre Arriáno, in Conciliábulo Arelaténsi, sæviénte præsértim Saturníno Pseudo-Epíscopo Arelaténsi & ímpiæ factiónis antesignáno: in exílium trusus, unà cum Rodiáno, Præsule Tolosáno & Lúcio Annáto Moguntíno, eò quòd in sancti Athanásij damnatiónem subscríbere nollent; & ea quæ in hoc infáusto conventículo per vim, metum, & calúmnias tractabántur intrépidè detestaréntur: necnon Orthodóxæ fidei sinceritátem, æteríque Verbi consubstantialitátem, Apostólico zelo tueréntur. In vária loca, étiam extra Christiánum nomen rígidè deportátus, ac fatigátus; tandem apud Phrygiam, fidei suæ veritáte, diræ exagitatiónis forti perpessióne firmátâ, beátæ passiónis corónam percépit à Dómino: cujus venerándæ exúviæ Tréviros relátæ, & in quadam cryptá cum Sanctis Martyribus cónditæ sunt, ac deínde Ecclésia ejus nómine insignita, constrúcta fuit, à Felíce Trevirénsi tértio ab eo Epíscopo.

DIE I. SEPTEMBRIS.

Sancti Prisci Lugdunensis Episcopi. iij. Lectionū.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis.

Orémus. *Oratio.*

TRíbue nobis quæsumus Dómine misericórdiam tuam, intercedénte beáto Prisco Confessóre tuo

tuo, atque Pontífice; & quæcúmque præcipis ut agámus: ipse ádjuva ut implére possímus. Per Dñm.

Lectio prima de Scriptura occurrente. *Lectio ij.*

PRiscus sancti Nicétij in Sede Lugdunénsi succéssor eam Ecclésiam piè & laudábiliter ádmodum rexit. Nóbilis génere virtúte nobílior: mirâ ánimi constántiâ & candóre enítuit. Officij Ecclesiástici cujus semper in hac prima Galliárum Sede majéstas víguit: decórem multùm auxit. Duábus Lugdúni Synodis & duábus Matiscóne subscripsisse, & præsedísse testátur Gregórius Turonénsis, præséntibus Bituricénsi, Rotomagénsi, Senonénsi, & Burdigalénsi Epíscopis. In iis multa circa Ecclesiárum Christianórum mores, Clericórum sanctitátem, ejus consílio & authoritâte sancíta sũt. Ejus sanctitátẽ testátur Ado Viennénsis, in Chrónico suo, & perantíquum Ecclésiæ sancti Nicétij Regístrum in qua Ecclésia corpus ejus sépultum fuisse extant non pauca eâque satis apérta monuménta. Iis constat ejus sacrum corpus è terrâ sublevátum: & super altáre multis annis ómnium Lugdunénsium summæ venerationi expósitum fuisse in eâdem Ecclésia. Hunc pretiosíssimum thesáurũ Lugdunénsibus ábstulit Calviniánus furor sæculo prætérito.

Lectio iij.

ÆGídius Atheniénsis, régiæ stirpis, â primâ ætáte divínis lítteris, & charitátis officiis ita déditus fuit: ut nihil prætereà curáre viderétur. Itaque paréntibus mórtuis, totum patrimónium in páuperes erogávit; quinétiam túnicam éxuit, ut ægrótum egéntem tégeret: qua ille indútus statim conváluit. Sed multis deinceps clárior miráculis, timens sui nóminis celebritátem, Arelátem ad beátum Cæsárium conténdit; à quo post biénnium discédens, secéssit in erémum: ubi diútiùs herbárum radícibus, & cervæ lacte, quæ statis ad eum horis veniébat, admirábili sanctitáte vixit. Quæ cerva, insequéntibus quodam die cánibus régiis, cùm in antrum Ægídij refugísset; Gálliæ

liæ Regem ímpulit: ut ab eo summis précibus péteret, ut in loco spelúncæ Monastérium éxtrui pateretur. Cujus administratiónem, flagitánte Rege invítus suscépit; eóq; múnere áliquot annis prudénter piéque gesto: migrávit in Cœlum.

DIE II. SEPTEMBRIS.

Sancti Justi Lugdunensis Episcopi & Confessoris.

Semiduplex majus.

Ad Vesperas, Antiphona. & Psalmi. De feria occurrente.

Capitulum. Sap. 10.

SApiéntia justum dedúxit per vias rectas; & osténdit illi regnum Dei: & dedit illi sciéntiam sanctórum.

℟. Deo grátias.

℣. Justus ut palma florébit.

℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnificat, Antiph. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas & osténdit illi regnum Dei.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui beátũ Justum Confessórem tuum atque Pontíficem vitæ innocéntiâ & morum austeritáte mirábilem effecísti: tríbue nobis, ita ejus justítiæ vestígiis inhærére; ut ad te qui justus es & justítiam díligis: perveníre justi mereámur. Per Dóminum.

Dicuntur iterum Vesperæ apud Sanctum Iustum à Clero majoris Ecclesiæ.

In aliis Ecclesiis ad primam Processionem. ℟. Euge serve. lxxxj.

Oratio. Da quæsumus omnípotens. lxxviij.

Ad secundam Processionem. Jurávit Dñs. lxxxij.

Oratio. Deus qui cónspicis. lxxviij.

Ad Matutinum, Invitat. Justus florébit in domo Dómini plantátus, gaudeámus & exultémus in ejus sacrâ solemnitáte.

Psalmus. Veníte. 2.

Cætera de Communi Confessoris Pontificis. lxxix.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JUstus in oppídulo prope viénnam nobílibus paréntibus natus; cùm mater prægnans, in adultérij suspiciónem vocáta, ideóque in cárcerem contrúsa esset: in ipso ortu, patrem appellásse dícitur, & matrem

trem è cárcere ac suspicióne exemísse. Hic sub Paschásio Viennénsi Epíscopo nutrítus; Cláudij ejúsdem urbis Epíscopi Diáconus fuit: & póstmodum ad sanctam Lugdunénsem Ecclésiam regéndam translátus, eódem témpore, quo Medioláni sedébat beátus Ambrósius, cum quo aliquándiù Aquiléiæ versátus est. Hoc Pastorále munus tantâ cum puritáte, integritáte, modéstiâ, pietáte, & patiéntiâ per multos annos sustínuit; tantâ, quoque páuperum curâ, tantâ divinórum mãdatórum observatióne: ut étiam præcípuos & præstántes Dómini sacerdótes, omni virtútum grátiâ anteíret.

℟. Dñe quinque. lxxxv.

Lectio v.

ACcidit verò quídpiam Lugdúni quod beáto viro à suâ Ecclésiâ secedéndi: & in Ægyptiam erémum se conferéndi occásio fuit. Adoléscens quidam furóre corréptus, in públicum erúmpens; cùm óbvios quosque confodísset: concitáto in eum tumúltu, insequéntem multitúdinem fúgiens, in Ecclésiam se recepit. Inflãmáto nihilóminus vulgi æstu, cùm étiam ignis templo intentarétur, nisi dederétur nóxius; Sanctus Epíscopus necessitáte compúlsus, datâ à primáriò viro fide, & sacraménto firmátâ, nihil grávius in míserum illum fore decernéndum: tantùm darétur ad custódiam; donec pópuli æstus defervésceret, & res tota componerétur: nóxium illum extra Ecclésiæ septa dimíttit, eum verò íllicò furens turba vitâ privávit. Aliéni furóris attrócitas, sancto Epíscopo in singúltum & scrúpulum fuit; ítaque jam tunc státuit voluntário exílio, hanc elúere noxam, quam sibi ob déditum míserum illum adscribébat: de more bonárum méntium quæ culpam suam agnóscunt, ubi culpa non est. ℟. Justus germinábit. lxxxvj.

Lectio vj.

QUare vir Sanctus cùm Aquiléiam ad concílium quoddam, cui intérfuit quoque Sãctus Ambrósius, anno Christi trecentésimo

césimo octogésimo primo fuísset evocátus; ibíque quod in Concílij actis refértur, tamquam Gallórum Legátus, egrégij præsulis pártibus perfúnctus esset, cum áliis duóbus & trigínta insígnibus Epíscopis, rebus Concílij brevi expedítis: adveníſſe tempus exiſtimans quod pridem mentem versábat exequéndi in regréſſu ex Itália nequáquam Lugdúnum rédiit; sed Turnóne per áliquod tempus subsístens, solus clam secéſſit die décimâ quartâ Octóbris. Quam diem Sanctus Ado huic transítui beáti Justi consígnat: & in Ægyptum navigávit, cómite ei Arelátis facto sancto Viatóre Lectóre Lugdunénsi. Appúlsis in Ægyptum, suppréſſo studiósè nómine & gradu suo; aliquándiu mirâ humilitáte látuit & inter Anachorétas, in summâ obscuritáte (quod máximè adamábat) vitam Deo illustriſſimam exégit: donec à Gallo quodam illuc progréſſo ágnitus & detéctus; eo majóre in honóre fuit apud omnes: quo magis ipse laténdi stúdio se demíserat. Aliquot autem annis in ea solitúdine exáctis: sanctíſſimâ morte consummátus est. Die verò secúnda Septémbris qua natále ejus celebrátur, Lugdunénses beáti Præsulis sui sacras relíquias cum summo honóre Lugdúnum révehi curárunt; quæ in templo Sanctórum Machabæórum, cui póstea à sancto Justo nomen, fuérunt cónditæ: & beáti Epíscopi sepúlchrum, summâ populórum veneratióne miraculísque Deus réddidit gloriósum.

℟. Stolâ jocũditátis. lxxxvj

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis. Nisi abũdáverit justítia vestra plusquam Scribárũ & Pharisæórum: non intrábitis in regnũ cœlórum. Et réliqua.

Homilía sancti Zenónis Epíscopi.

Sermone de justitia.

EX occasióne hujus justi ad veræ justítiæ cognitiónem veniámus, ómnium fons est, matérque virtútum; quæ præter cæteras

teras tota se ad aliénas utilitáres cólligit, atque explicat: sciens, quid Deo principáliter debeátur, nihil sibi ipsa concílians; nihil próprium derelínquēs: nisi, quod fidéliter sine ullâ jactántiâ ejus fúngitur voluntáte. Est autem in públicum tota próminens, atque diffúsa; sic tamen ut sentíri se magis cúpiat, quàm vidéri: planè cauta, ne quam declínet in partem; ne in áliquo seípsa reprehéndat: ne ópere cœpto unquam defíciat. Hæc captivórum juga redemptiónibus frangit; incarcerátis medéndo plus cárcerem novit blanda pérvigil cura, ægritúdinem cum ægro pátitur: abjécta cadávera, intécta, inhumatáque esse non pátitur; in páuperes miserósque suâ necessitáte negléctâ pietátes largítur: furtim sémina spargit. Nec rogári se permíttit, nec vicária laudis remunerári mercéde, hoc damnum gravè; hoc æstimat crimen; nam nihil relinquéndo sibi, beátâ cupiditáte antecédit avarítiam; hómines enim illa póssidet: ista Deum.

℟. Cibávit illum.lxxxix.

Lectio viij.

ADhuc accípite ad própriā sedem, palmámque propósitam quanto amóre, quâ devotióne justítia festínet. Si quis eam próvocat in judícium, ut ejus áuferat túnicam, libens illi pállium quoque concédit; maledícitur, & benedícit: cæditur, & grátias agit; jugulátur & non repúgnat: pro percussóribus suis Deum ínsuper exórat. Una illi sola principális sollicitúdo, ac máxima est cáutio; ne quid mundo débeat: ne quid horum dignè patiátur. Hanc, qui divínas lítteras aut non legérunt, aut lectas irrítas putavérunt, benefício abjécti impolitíque sermónis, tamen dicéntis; Nisi credidéritis, neque intelligétis: stultam putant, irridéntque quasi vanam; quòd cùm possit bonis frui mundi, ac négligat, sponte se fáciat infelícem; non credéntes, quia Dei præcépta custódiens, hujúsmodi offíciis sæculáres ôbterēs voluptátes; cum fúerit victor, carníque néxibus liber: repromíssæ immortalitátis

inæstimábili beatitúdine perfruétur. ℟. Justum dedúxit. xc. *Lectio ix.*

ELpídius nóbili génere ortus, Sanctam Lugdunénsem Ecclésiam rexit Anno círciter quadringentésimo vigésimo quinto. Mirâ sanctitáte énituit in ea sede; in quâ innúmeri Præsules ab Ecclésia: in sanctórum albo rescrípti floruérunt. De eo ita scríbitur, Elpídius Lugdunénsis Episcopus fuit qui multâ sanctitate flagrávit; doctrínâ & miráculis coruscávit: & pópulum sibi commissum felici curâ gubérnans, in eádem civitáte in pace quiévit. Multa egit Elpídius quæ virum doctum & sanctum decébant; Ecclésiæ suæ jura propugnávit alácriter; oves pavit verbo & exémplo: & ómnibus suis ad amórem & veneratiónem summam charus fuit. Demùm cùm sanctam Ecclésiam suam per multos annos gubernásset; tandem inter suos méritis præclárus: in Dómino obdormívit. Ejus corpus in Ecclésia sancti Justi cónditum, ibídem multis miráculis cláruit.

℟. In médio Ecclésiæ. xcj.

Ad Laudes & ad Tertiã.

Oratio. Deus qui ánimæ. 660.

Ad Sextam.

Oratio. Da quæsumus. lxxviij.

Ad Nonam.

Oratio. Deus qui cónspicis. lxxviij.

Processio de Feria occurrente.



HYMNUS

HYMNUS IN HONOREM S. JOANNIS BAPTISTÆ PRÆCURSORIS ET MARTYRIS.

Ecce ſaltántis prétium puellæ;
Fertur in diſco caput amputátum:
Hæc cruentátis nova proferúntur
Fércula menſis.

Quæ rudes ſilvis pópulos docébat,
Quæ Deum totâ reſonábat aulâ,
Illa vox crudo reſecáta ferro,
Muta ſilébit?

Occidit vates, & adhuc timétur;
Vox ſilet Verbi, cruor ille clamat:
Sancta fratérni temeráta carpit
Fœdera lecti.

Nube ſub densâ jubar involútum
Vénerat cæcis aperíre ſæclis:
Sole maturo, velut umbra, ceſſit
Lúcifer orbe.

Omnibus manat cruor ecce venis;
Hinc ſitim longam sátia Tyránne,
Et cibos inter pateráſque puro
Sánguine liba.

Ut caput vidit dápibus parátis
Triſte fumánti natitáre tabo:
Hæſit, impáſtis fremuítque menſis
Fúneris autor.

Non tamen frontis grávitas serénæ
Ceſſit immíti violáta ferro:
Dura mitéſcit plácido ſub ore
Mortis imágo.

Sic ſuo rurſum Deus hunc præíre
Núntium Chriſtô jubet, inferíſque
Ferre Præcónem nova liberándi
Gáudia mundi.

Qui Deo plenus rígidis futúrum
Móribus Chriſtum rudis exprimébat,
Débuit dirâ quoque morte totum
Réddere Chriſtum.

Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar utriúſque nexus
Spíritus ſemper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

COMMUNE SANCTORUM.

PARS ÆSTIVALIS.

IN VIGILIIS Apostolorum.

Totum officium fit de Feria, ut dictũ est in rubricis generalibus, duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia verò de Homil. Sequenti, nisi aliud Evangelium cum Homilia in propriis locis notetur.

Orat. Ad Laudes & Horas ut in proprio notatur.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Joánnem.

Lectio j. Cap. 15.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Hoc est præcéptum meum ut diligátis ínvicem: sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónẽ nemo habet: ut ánimã suã ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis: si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Et réliqua.

Homíl. S. Augustini Episc.

Ex Tractatu 83. in Ioannem circa finem.

HOc est mandátum meum: velut non sit áliud. Quid putámus, fratres mei? Numquidnam solum ejus de ista dilectióne mandátum est, quâ dilígimus ínvicem? Nonne est áliud majus, ut diligámus Deum? Aut verò de solâ nobis dilectióne mandávit: ut ália non inquirámus. Tria certè comméndat Apóstolus dicens; manent autem Fídes, Spes, Cháritas, tria hæc: major autem horum est Cháritas. Et si in charitáte, hoc est, in dilectióne conclunduntur duo illa præcépta; major tamen dicta est esse: non sola. De fide ígitur nobis quàm multa mandata sunt, quàm multa de spe: quis potest cuncta collígere, quis enumerándo sufficere. Sed intueámur quod ait idem Apóstolus: Plenitúdo legis cháritas. Ubi ergo cháritas est, quid est quod possit deésse? Ubi autem non est, quid est quod possit

prodésse? Dæmon credit: nec díligit. Nemo díligit: qui non credit. Frustra quidem; sed tamen potest, speráre véniam qui non díligit: nemo autem potest desperáre qui díligit. Itaque ubi dilectio est, ibi necessário fides & spes, & ubi diléctio próximi: ibi necessário étiã diléctio Dei. Tu autem ℟. Deo grátias.

Responsor. de Feria. Ad Laudes & Horas ut in Psalterio de Feria occurr. & dicuntur magnæ Preces.

COMMUNE *Apostolorum & Evangelistarum.*

Ad Vesperas, Si sit duplex *Aña.* Hoc est præcéptum meum. *cum reliq. de Laud.*

Psalmus. Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi dicitur Psalmus.* Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Capitulum. Ephes. d

JAm non estis hóspites & ádvenæ, sed estis cives sanctórum & doméstici Dei; superædificáti supra fundaméntum Apostolórum & Prophetárum: ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℟. Deo grátias.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum.

℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat, Aña. Tóllite jugum meum super vos quia mitis sum & húmilis corde, iugum enim meum suáve est, & onus meum leve.

In Festis omnibus duplicibus duplicantur Aña ad Magnificat & Benedictus. In duplicibus majoribus cum Antiph. Ad Magnificat & Benedictus duplicatur etiam Invitatorium sive bis dicitur ante & post Psalmum. Venite exultémus. *in duplicibus primæ classis præter supradicta omnia quæ duplicantur; duplicantur etiam Responsoria ad Matut. sive post eam partem responsorij quæ asterisco notata, reperitur, dicto versu ejusdem responsorij, dicitur.* Glória Patri, & Fílio & Spirítui sancto, *additur* Sicut erat in princípio & nunc & semper. *nisi aliter notetur & dicto* Glória Patri. *repetitur Responsorium usque ad Versum. Quando autem dicitur iterum vel Magnificat vel Benedictus*

Anti

Antiphonæ quæ iis præponuntur nunquam duplicantur. Qui ritus servandus est in omnibus Festis tam de Communi quam de Tempore eo ordine alibi non repetito nisi expressè aliter in proprio notetur.

Oratio propria.

Post Vesperas fiunt duæ Processiones, in quibus dicuntur responsoria sequentia, & orationes, nisi aliter in proprio notetur.

In Vigiliis omnium Festorum novem Lect. fiunt similiter duæ Processiones ut notantur vel in Communi vel in proprio nisi tamen aliter notetur.

Ad primam Processionem. ℟. Tóllite jugum meum super vos dicit Dóminus. & díscite à me quia mitis sum & húmilis corde; * jugum enim meum suáve est, & onus meum leve.

Orémus. *Oratio.*

EXáudi nos Deus salutáris noster; & Apostolórum tuórum nos tuére præsídiis: quorum donásti fidéles esse doctrínis. Per Dóminum.

Ad secundam Processionem. ℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum dicit Dóminus: * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ.

Orémus. *Oratio.*

PRótege Dómine pópulum tuum; & Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem perpétua defensióne consérva Per Dóminum.

Ad Completor. Hymnus.

ÆTérna Christi múnera
Et Mártyrum victórias,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cœléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

Terróre victo sæculi,
Pœnísque spretis córporis:
Mortis sacræ compéndio,
Vitam beátam possident.

Tradúntur igni Mártyres,
Et bestiárum déntibus;
Armáta sævit úngulis,
Tortóris insáni manus.

Nudáta pendent víscera,
Sanguis sacrátus fúnditur:
Sed pérmanent immóbiles
Vitæ perénnis grátia.

Devóta Sanctórũ fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi Cháritas,

Mūdi triúmphat príncipē.
In his patérna glória,
In his volúntas Spíritus:
Exúltet in his Fílius,
Cœlum replétur gáudio.
Te nunc redémptor quæsumus,
Ut Mártyrum consórtio,
Jungas precántes servulos,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Ad Matutinum, Invitat. Regem Apostolórum Dóminum, Veníte adorémus.
Psalm. Veníte exultémus.

In primo Nocturno.

Aña. In omnem terram.

Psalmus 18.

COeli enárrant glóriam Dei: * & ópera mánuum ejus, annúnciat firmaméntum.

Dies diei erúctat verbum: * & nox nocti, índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ neque sermónes: * quorum non audiántur, voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * & in fines orbis terræ, verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tanquam sponsus, procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * à summo cœlo, egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui, se abscóndat, à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini Sanctus, pérmanet in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum, & lápidem pretiosum multum: * & dulcióra super mel, & favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiéndis illis, retribútio multa.

Delícta quis intélligit: * ab occúltis meis munda me: * & ab aliénis parce, servo tuo.

Si mei non fuerint domináti, tunc immaculátus ero: * & emundábor, à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio

ditátio cordis mei, in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, & redémptor meus.

Glória Patri. *Aña.* In omnem terram exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum.

Aña. Clamavérunt.

Psalmus 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus, in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * & exaltémus nomen ejus, in idipsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me:* & ex ómnibus tribulatiónibus meis, erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini;* & fácies vestræ, non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * & ex ómnibus tribulatiónibus ejus, salvávit eum.

Immíttit Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * & erípiet eos.

Gustáte & vidéte quóniã suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes Sancti ejus: * quóniam non est inópia, timéntibus eum.

Divites eguérunt & esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum, non minuéntur omni bono.

Veníte filij audíte me: * timórem Dómini, docébo vos.

Quis est homo, qui vult vitam,* díligit dies, vidére bonos.

Próhibe linguam tuam à malo; * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus ad preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra; memóriam eórum.

Clamavérũt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum, liberávit eos.

Juxtà est Dóminus his qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * & de ómnibus his, liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes, qui sperant in eo.

Glória Patri. Aña. Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos.

Aña. Constítues eos Príncipes. *Psalmus* 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego, ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ, velóciter scribéntis.

Speciósus forma, præ filiis hóminum: * diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptéreà benedíxit te Deus, in ætérnum.

Accingere gládio tuo, super femur tuũ, potẽtíssime.

Spécie tua, & pulchritúdine tua, * inténde próspere, procéde & regna.

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * & dedúcet te mirabíliter, déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ: * pópuli sub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: * virga directiónis, virga regni tui,

Dilexísti justítiam & odísti iniquitátem: * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ, præ consórtibus tuis.

Mirrha & gutta & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te filiæ regum, in honóre tuo.

Astítit regína à dextris tuis, in vestítu deauráto, * circumdáta varietáte.

Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri, in munéribus: * vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus, filiæ regis ab intus: * in fimbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi Vírgines post eam: * próximæ ejus, afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia, & exultatióne: * adducéntur

in

in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii; * constítues eos príncipes super omnem terram.

Memores erunt nóminis tui: * in omni generatióne, & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnū: * & in sæculum sæculi.

Glória Patri. *Aña.* Constítues eos príncipes super omnem terram, mémores erunt nóminis tui Dñe.

℣. Non sunt loquélæ neque sermónes.

℟. Quórum non audiántur voces eórum.

Pater noster. Et ne nos indúcas, &c.

Deprecatio. Exúrge Dñe, Súscipe, &c.

Benedictio. Adjútor & propítius, &c.

Lectiones de Scriptura posita in Communi Sanctorum leguntur in primo Nocturno, quando sic præscribitur in proprio Sanctorum per annum; quando contingit fieri Officiū de aliquo Sancto illis diebus, in quibus in Officio Feria non ponuntur iij. Lectiones de Scriptura, & quando aliquod festum solèniter celebratur.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 4.

SIc nos exístimet homo ut minístros Christi: & dispēsatóres mysteriórum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatóres: ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est, ut à vobis iúdicer; aut ab humáno die: Sed neque meípsum judico. Nihil enim mihi cónscius sum, sed non in hoc justificátus sum: qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat, Dóminus; qui & illuminábit abscóndita tenebrárum, & manifestábit consília córdium: & tunc laus erit unicuíque à Deo. Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias.

℟. Tóllite jugum meum super vos dicit Dóminus, & díscite à me quia mitis sum & húmilis corde: * Jugum enim meum suáve est, & onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim. *Benedictio.* Benedictiónibus suis.

Lectio ij.

HÆc autem fratres, transfigurávi in me & Apóllo, propter vos, ut in nobis discátis; ne supra quàm scriptum est, unus advérsùs álterum inflétur pro álio. Quis enim te discérnit? Quid autem habes, quod non accepísti? Si autem accepísti; Quid gloriáris quasi non accéperis? Jam saturáti estis; jam dívites facti estis; sine nobis regnátis; & útinam regnétis, ut & nos vobíscum regnémus. Puto enim quod Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit tanquam morti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo, & Angelis, & homínibus. Tu autem.
℟. Ecce ego mitto vos sicut oves, in medio lupórum dicit Dñs: * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes & símplices sicut colúmbæ. ℣. Cavéte autem ab homínibus, tradent enim vos in concíliis, & in synagógis suis flagellábunt vos. Estóte ergo.
Benedictio. Cœléstem benedictiónem. *Lectio iij.*

NOs stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo; nos infirmi, vos autem fortes? vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam & esurímus, & sítimus, & nudi sumus; & coláphis cædimur, & instábiles sumus, & laborámus, operántes mánib⁹ nostris. Maledícimur & benedícimus; persecutiónem pátimur & sustinémus; blasphemámur & obsecrámus; tanquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium perípsema usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo: sed ut filios meos charíssimos móneo. Nam si decẽ míllia Pædagógorum habeátis in Christo, sed non multos patres. Nã in Christo Jesu, per Evangélium ego vos génui. Tu autem. ℟. Cum stetéritis ante reges & præsides; nolíte cogitáre, quomodò aut quid loquámini: * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Pónite ergo in córdibus non præmeditári quemádmodum respondeátis. Dábitur. Glória Patri. Dabitur.

In secundo Nocturno.

Antiphona. Príncipes populórum.

Psalmus.

Psalmus 46.

OMnes gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo, in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus, excélsus terríbilis : * Rex magnus super omnē terram.

Subjécit pópulos nobis: * & gētes sub pedib⁹ nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam : * spéciem Jacob quam diléxit.

Ascéndit Deus in Júbilo: * & Dn̄s in voce tubæ.

Psállite Deo nostro Psállite : * Psállite regi nostro, Psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórū congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam Dii fortes terræ, veheménter eleváti sunt.

Glória Patri.

Añа. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham. *Añа.* Dedísti.

Psalmus 60.

EXáudi Deus deprecatiónem meam: * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ, ad te clamávi, dum anxiarétur cor meum : * in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis, à facie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula : * protegar in velaménto, alárum tuárum.

Quóniam tu Deus exaudísti oratiónem meam : * dedísti hæreditátem, timéntibus nomen tuum.

Dies super dies Regis adjícies : * annos ejus, usque in diem generatiónis, & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam & veritátem ejus, quis requíret.

Sic Psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : * ut reddam vota mea, de die in diem.

Glória Patri.

Añа. Dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum Dómine.

Añа: Annunciavérunt.

Psalmus 63.

EXáudi Deus oratiónem meam, cum deprécor: * à timóre inimíci, éripe ánimam meam.

Protexísti me à convéntu

malignántium: * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas:* intendérunt arcum rem amáram: * ut sagíttent in occúltis ímmaculátum.

Subitò sagittábunt eum & non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos:* dixérunt, quis vidébit eos.

Scrutáti sunt iniquitátes:* defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum:* & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum: * & infirmátæ sunt contra eos, linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * & tímuit omnis homo.

Annunciaverunt ópera Dei: * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo: * & laudabuntur omnes recti corde. Glória Patri.

Antiph. Annunciavérunt ópera Dei, & facta ejus intellexérunt.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Memóres erunt nóminis tui Dómine. *Deprecatio.* Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. *Benedictio.* Deus Dei filius, &c.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Sermo 3. de SS. Petro & Paulo, circa finem.

Lectio iv.

MEritò fratres, Apóstolis sanctis attribuit mater Ecclésia, quod in sapiéntiæ libris légitur; Hi sunt viri misericórdiæ; quorum justítiæ obliviónem non accepérunt: cum sémine eórum pérmanent bona. Viros enim misericórdiæ fuisse Apóstolos; id est, plenos misericórdiâ, seu viros misericórdiæ datos Ecclésiæ univérsæ scimus. Quòd viri isti, nec sibi vixére, nec sibi mórtui sunt, sed ei qui pro ipsis mórtuus est: magis autem nobis ómnibus, propter illum. Quantum enim próderit nobis eórum justítia; quando ipsa quoque, sicut osténsum est, tantum profuére peccáta? Pro nobis facit eórum vita; eórum doctrína:

doctrína : étiam & mors ipsa. Etenim in conversatióne continéntiam ; in prædicatióne sapiéntiam ; in passióne suâ patiẽtiam : nobis beáti Apóstoli contulérunt. Quantum usque hódie conférre nõ cessant misericórdia pleni : quod est sanctárum fructus oratiónum. Tu autem. ℟. Ego vos elégi de mundo : * Ut eátis, & fructum afferátis, & fructus vester máneat. ℣. Non vos me elegístis sed ego elégi vos, & pósui vos. Ut eátis. *Benedict.* Ætérnam.

Lectio v.

OMnis justítia tépida ; omnis transitória : omnis véndita erit in obliviónem coram Deo. Sed non ita Apostolórum justítiæ ; quod ex eo satis appáret quod séquitur : Cum sémine eórum pérmanent bona. Manent enim usque hódie in nobis Apostolórum vestígia ; & eórum relígio quia ex Deo est : non potest dissólvi. Vestes Israëlítici pópuli, quadragínta annis in desérto persevera vérunt íntegræ ; multò magis Apostolórum vestes : super juméntum Salvatóris impósitæ. Cum sémine, inquit, eórum ; quod est semen ? quia sequutus adjúngit. Hæréditas sancta : nepotes eórum. Iidem profectò & semen sunt : & nepótes. Tu autem.

℟. Cõstítues eos príncipes super omnem terram, mémores erunt nóminis tui Dñe : * In omni progénie & generatióne. ℣. Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, & in sæculum sæculi. In omni, &c. *Benedictio.* Gratia Spíritus sancti.

Lectio vj.

MEminístis credo, (sciéntibus enim legem loquor ;) meminístis, inquam legális mandáti ? ut súscitet frater supérstes, semen fratri defúncto sine semine. Quis sine sémine ? singuláriter, ait, ego sum ? donec tránseam. Ideóque resúrgens. Vade, inquit : dic frátribus meis. Ac si dicat ; fratres sunt : fáciant quod fratres. Ergo per Evangélium ipsi nos genuerunt ; non tamen sibi, sed Christo : quia per Evãgélium Christi. Hinc est quod molestè tulit Paulus, quosdã eórum dici, à qui-

bus géniti fuerant per Evāgélium; indignans advérsùs eos qui dicébant: Ego sum Pauli; ego sum Cephæ; ego Apóllo: Christi magis omnes, & fieri volens, & dici. Itaque semen Apostolórum sumus per prædicatiónem; sed per adoptiónem, & hæreditátem: semen Christi, & Apostolórum nepótes. Tu autem. ℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus, nimis confortátus est principátus eórum: dinumerábo eos; * & super arénam multiplicabúntur. ℣. Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es, mirabília ópera tua. Et super. Glória Patri. Et super.

In tertio Nocturno. *Aña.* Exaltábuntur.

Psalmus 74.

COnfitébimur tibi De⁹ * confitébimur, & invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: * cùm accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra & omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi cólumnas ejus.

Dixi iníquis nolíte iníquè ágere: * & delinquéntib⁹, nolíte exaltáre cornū.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsùs Deum, iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque à desértis móntibus: * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat & hunc exáltat: * quia Calix in manu Dómini, vini meri, plenus mixto.

Et inclinávit ex hoc in hoc: * verúmtamen fex ejus non est exinaníta: * bibent ex eo omnes peccatóres terræ.

Ego autem annunciábo in sæculum: * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam: * & exaltabúntur córnua justi.

Glória Patri. *Aña.* Exaltabúntur córnua justi, allelúia. *Aña.* Lux orta est justo. *Psalm.* 96.

DOmin⁹ regnávit exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus: * justítia & judícium, corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet: * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxé-

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à facie Dómini: * à facie Dómini, omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * & vidérunt omnes pópuli, glóriã ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * & qui gloriántur in simulâchris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit & lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Júdæ : * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es, super omnes Deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum : * de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo : * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * & confitémini memóriæ, sãctificatiónis ejus.

Glória Patri. *Añа.* Lux orta est justo allelúia, rectis corde lætítia, allelúia.

Añа. Custodiébant.

Psalmus 98.

DOminus regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Cherubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * & excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & sanctum est : * & honor regis, judícium díligit,

Tu parásti directiónes : * judícium & justítiam in Jacob, tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deũ nostrum : * & adoráte scabellum pedum ejus, quóniam sanctum est.

Móyses & Aáron in sacerdótibus ejus : * & Sámuel inter eos qui invócant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus: * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster tu exaudiébas eos : * Deus tu propítius fuísti eis : * & ulcíscens in omnes, adinventiónes eórum.

Exaltáte Dñm Deum nostrum ; * & ádoráte in monte.

te sancto ejus: * quóniam sanctus Dóminus Deus noster. Glória Patri.

Ant. Custodiébant testimónia ejus, & præcépta ejus, allelúia.

℣. Annunciaverunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Deprecatio.* Adjutórium nostrum. *Benedictio.* Redémptor.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Luc. 6.

IN illo témpore éxiit Jesus in montē oráre; & erat pernóctans in oratióne Dei. Et cùm dies factus esset; vocávit discípulos suos, & elégit duódecim ex ipsis quos, & apóstolos nominávit. Et réliqua.

Homilía sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

De expositione ejusdem Evangelij secundùm Lucam.

CUm Dóminus noster Jesus Christus in oratióne pernoctásset; arcanáque, ac quam nullus cogitátu assequátur, ratióne, utque solus ipse novit, cùm Patre qui in cælis est, ac Deo, collocútus esset ac se nobis rei salutíferæ formam exhibuisset; (dócuit enim quómodò ritè, ac inculpátæ instituántur preces) descéndit de monte, designátque orbis Magístros. Ait enim ad illos Vos estis lux mundi. Hujus Sanctórum Apostolórum promotiónis beátus quoque David méminit, velut ad Christū loquens; Constítues eos príncipes super omnem terram mémores erunt nóminis tui, in omni generatióne & generatióne. Nam cùm adhuc essent in córpore; mémores erant Christi glóriæ ut ejus, cùm úrbibus, tùm provínciis, mystérium loquerentur. Tu autem.

℟. O quam pulchri super montes pedes annunciántis pacem: * Annunciántium bona. ℣. In omnem terrā exívit sonus eórum, & in fines orbis terræ, verba eórum. Annuntiántiū. *Benedict.* Unigénitus Dei filius. *Lectio viij.*

AT ubi ad supérnas mansiónes vocáti sunt; sic nihilóminus res ejus narrant per ea quæ de illo sapientíssimè scriptis consignáta reliquérunt. Ac ij quidem qui in lege Mosáica ordinabán-

tur

tur Sacerdótes, Aáron scílicet ac sócii; in vestiméntis sensíbili ritu honestabántur, quæ sacrum ejúsmodi ministérium dicérent: divíni autem Discipuli, spiritálibus donis conspícui, Evangelicórum documentórum concréditum munus iniérunt. Dictum est enim ad illos: Infirmos curáte; dæmónes ejícite; leprósos mundáte; mórtuos suscitáte. Ac sanè Christi virtúte indúti: univérsum terrárum orbem in stupórem egérunt. Tu autem.

℟. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas. ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. Et quasi.

Bened. Ad supernórum cívium. *Lectio ix.*

TOto terrárum orbe hómines, cùm non essent sui, congregáverat sátanas; suósque fécerat adoratóres: torquem suum ággravans. At evigilárunt: qui ejus dirípiunt vasa. Cepit Apostólicæ doctrinæ verrículum, univérsos erróre decéptos: orbémque illi terrárum Deo obtulérunt. Hos quoque significábant duódecim illi aquárum fontes in Elim. Post Mara namque, hoc est, post legis occidéntis amaritúdinem superátam; veníre licet, in Elim: quod est ascénsio. Provéhimur enim à véteri nostra infántia, ad eam quæ íntegros sensus habet; atque ad mensúram occurréntes ætatis plenitúdinis Christi: spiritálium fóntium aquis perfluémur. Illi porrò duodéno número: sanctórum nobis Apostolórum chorū, graphicè depíngunt. Tu.

℟. Via munda sancta vocábitur, & aliénus nō transíbit per eam, sed ambulábunt per eam: * Qui liberáti fúerint & Redémpti à Dómino. ℣. Converténtur & vénient in Sion cum laude, & lætitia sempitérna super caput eórum. Qui liberáti.

Non dicitur Glória Patri, *quia dicitur Hymnus.*

Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Antiphona.

HOc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Psalmus. Dóminus regnávit.

vit. *cum reliquis de Dñica.* *Aña,* Majórem charitátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. *Aña.* Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ præcípio vobis dicit Dóminus. *Antiphona.* Beáti mundo corde quóniam ipsi Deum vidébunt.

Antiphona. Vos autem dixi amícos; quia ómnia, quæ audívi à patre meo nota feci vobis.

Capitulum. Eph. 2. d

JAm non estis hospites, & ádvenæ, sed estis cives sanctórum, & Doméstici Dei; superædificáti supra fundaméntum Apostolórum & Prophetárum ⁄ ipso summo anguläri lápide Christo Jesu.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Ad Benedictus, Aña

Vos qui secuti estis me, sedébitis super sedes: judicántes duódecim tribus Israël, dicit Dóminus.

Oratio propria.

Ad Tertiam, Capitul.

Jam non estis, &c. *ut sup.* ℟. In omnem terram exívit sonus eórum. *Repetitur.* In omnem terram, &c. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. In omnem terram. Glória Patri. In omnem terram. ℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Oratio propria.

Ad Sextam, Capitulum.

PEr manus autem Apostolórum ⁄ fiébant signa, & prodígia multa in plebe.

℟. Constítues eos príncipes, super omnem terram. *Repet.* Constítues eos, &c. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Constítues eos, &c. Glória. Constitues eos. ℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Orémus. *Oratio.*

EXáudi nos Deus salutáris noster; & Apostolórum tuórum nos tuére præsídiis ⁄ quorum donásti fidéles esse doctrínis. Per Dóminum.

Ad Nonam, Capitulum.

IBant Apóstoli gaudéntes à conspéctu concílii; quóniam digni hábiti sunt ⁄ pro nómine

Jesu

Jesu contuméliam pati.
℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Nimis honoráti sunt, &c.
Glória Patri. Nimis honoráti sunt, &c. ℣. Annunciavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus. *Oratio.*

PRotége Dómine pópulum tuum ; & Apóstolórum tuórum patrocínio confidéntem : perpétua defensióne consérva. Per Dóminum.

Ad Vesperas, si sit festum duplex, Aña. Jurávit Dóminus.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos : * scabéllum pedum tuórum.

Virgã virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion : * domináre in médio, inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ: * in splendóribus sanctórum : * ex útero , ante lucíferum , génui te.

Jurávit Dóminus & non pœnitébit eum:* Tu es Sacérdos in ætérnum : * secúndùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis:* confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas:* conquassábit cápita , in terra multórum.

De torrénte in via bibet:* proptéreà exaltábit caput.

Glória Patri.

Aña. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum , tu es Sacérdos in ætérnum,

Aña. Collócet eum Dñs.

Psalmus 112.

LAudáte púeri Dóminum:* laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum : * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum : * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus : * & super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster : * qui in altis hábitat , & humília réspicit in cœlo, & in terra.

Súscitans à terra ínopem:

pem: * & de stércore érigens páuperem.

Ut collócet eum cum princípibus: * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo: * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri.

Aña. Collócet eum Dóminus, cum princípibus pópuli sui.

Aña. Dirupísti Dómine.

Psalmus 115.

CRédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo * omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino: * pro ómnibus quæ retríbuit mihi.

Cálicem salutáris accípiam: * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini, mors sanctórum ejus.

O Dómine quia ego servus tuus: * ego servus tuus, & filius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis: * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalē. Glória Patri.

Aña. Dirupísti Dómine víncula mea, tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Aña. Eúntes ibant.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion: * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum: * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * magnificávit Dóminus, fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiscum: * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram: * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant: * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne: * portántes manípulos suos.

Glória Patri.

Antiphona. Eúntes ibant & flebant, mitténtes sémina sua.

Aña. Confortátus est.

Psalmus.

Psalmus 138.

DOmine probásti me, & cognovísti me: * tu cognovísti sessiónem meã* & resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longè: * sémitam meam, & fúniculum meum, investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti: * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovísti ómnia, novíssima & antíqua: * tu formásti me, & posuísti super me, manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo: * & quò à fácie tua fúgiam.

Si ascéndero in Cælum, tu illic es: * & si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris.

Etenim illuc manus tua dedúcet me: * & tenébit me déxtera tua,

Et dixi fórsitan ténebræ conculcábunt me: * & nox illuminátio mea, in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurábuntur à te, & nox sicut dies illuminábitur: * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos: * suscepísti me, de útero matris meæ.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua: * & ánima mea cognóscet nimis.

Non est occultátum os meum à te quod fecísti in occúlto: * & substántia mea, in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui: * & in libro tuo omnes scribéntur: * Dies formabúntur, & ne no in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui Deus: * nimis confortátus est, principátus eórum.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabúntur: * exurréxi, & adhuc sum tecum.

Si occíderis Deus, peccatóres: * viri sánguinum, declináte à me.

Quia dícitis in cogitatióne: * accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te Dómine óderam: * & super inimícos tuos tabescébam.

Perfécto ódio óderam illos:

los:* inimíci facti sũt mihi.

Proba me Deus, & scito cor meum:* intérroga me, & cognósce sémitas meas.

Et vide si via iniquitátis in me est:* & deduc me in via ætérna. Glória Patri.

Aña. Confortátus est principátus eórum, & honoráti sunt amíci tui Deus.

Si non sit Festum duplex Antiph. & Psalmi de Feria occurrente ut in primis Vesperis.

Capitulum. Jam non estis hóspites. *ut suprà.*

℣. In omnem terram exívit sonus eórum.

℞. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat, Aña. Vos qui reliquístis ómnia & secúti estis me: céntuplum accipiétis, & vitam ætérnam possidebitis.

Oratio propria.

Ad processionem primum Responsorium Officij diei sequentis.

Oratio conveniens.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera.

IN FESTIS

Simplicibus Apostolorum seu trium Lectionum.

Ad Vesperas.

Psalmi & Antiphona de Feria occurrente.

Capit. ℣. *& Aña ad Magnificat, ut suprà.*

Oratio propria.

Si adsit; si autem non adsit dicitur.

Orémus. *Oratio.*

Quæsumus omnipotens Deus ut beátus. N. Apóstolus tuum pro nobis implóret auxílium; ut à nostris reátibus absoluti, à cunctis étiam periculis eruámur. Per Dóminum.

Hac Oratio dicitur ad Vesperas Laudes & tertiam. Ad Completorium, Hymnus. Ætérna Christi múnera.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Apostolórum Dóminum, Veníte adorémus. *Psalm.* Veníte, &c.

Deinde dicuntur novem Aña & novem Psalmi de eodem Communi, ordine sequenti.

Aña. In omnem terram.

Psalmus. Cœli enárrant glóriam, &c.

Antiphona. Clamavérunt.

Psalm. Benedícam Dñm.

Aña. Constítues eos príncipes.

Psal. Eructávit cor meũ.

Aña. Príncipes populórũ.

Psal.

Psalmus. Omnes gentes pláudite.
Antiphona. Dedísti.
Psalm. Exáudi Deus deprecatiónem.
Aña. Annunciavérunt.
Psalm. Exáudi Deus oratiónem. *Aña.* Exaltabúntur. *Psalmus.* Confitébimur tibi Deus.
Aña. Lux orta est justo.
Psal. Dñs regnávit exúltet.
Aña. Custodiebant.
Psal. Dóminus regnávit irascántur.
℣. Non sunt loquélæ neque sermónes.
℟. Quorum non audiántur voces eórum.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurr. & ex tribus ad libitũ fiũt duæ: tertia ut notatur in proprio.

Benedictiones, & Responsoria, dicuntur secundùm Feriam occurrentem. Hoc ordine, videlicet. Feria secunda & quinta. Bened. & Respons. primi Nocturni. Feria tertia & sexta. Bened. & Respons. secundi Nocturni. Feria quarta & Sabbato, Benedict. & ℟. tertij Nocturni. At qualibet die dicitur semper ante quamlibet, Bened.

Deprecatio. Exúrge Dómine adjúva nos, &c. Súscipe deprecatiónem nostram, &c. *non dicitur* Te Deum laudámus.

Ad Laudes.

Antiphona. Hoc est præcéptum meum. *cum reliquis Antiph. & Psalmis. Capit. & versus ut suprà.*

Aña. Ad Benedictus. Beáti pacífici beáti mundo corde quóniam ipsi Deum vidébunt.

Oratio propria, vel Quæsumus. *ut suprà.*

Dicto Benedicámus Dómino *dicitur Psalmus.* Levávi, *ut in Psalterio.* 72.

Ad Horas.

Omnia ut in eodem Communi ut suprà. Officium terminatur ad Nonam.

Eodem ritu celebratur Officium in omnibus Festis Simplicibus & in iis Officium sumitur de Communi secundum qualitatem festi nisi aliter notetur.

Si contingat alicubi fieri octavam de Apostolo, tunc Officium fiet ut infrà, & ut dictum est in Rubricis generalibus de octavis. Invitatorium, novem Antiphonæ, & novem Psalmi, ut in die Festi modo quo supra in Festis Simplicibus:

cibus: duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, ex tribus ad libitum fiunt duæ, tertia verò ut notatur infrà pro qualibet die. Benedictiones & Respons. dicuntur eodem ordine quo notatum est in Festis Simplicibus secundùm Feriam occurr.

Ad Laudes & Horas ut in die Festi. Ad Vesperas, Aña & Psalmi de Feria ut in Psalterio Capit. ℣. Aña ad Magnificat, ut in secundis Vesperis Festi.

Ad Completorium Hymnus de Officio Vesperarum. Ætérna Christi múnera.

Idem ritus servatur infra alias Octavas nisi aliter notetur.

Die secunda infra octavam.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Sermone 286. de SS. Gervasio & Protasio, circa medium edit. benedict.

Lectio iij.

STrata est via priùs spinósa, & pédibus Apostolórum contríta: facta lénior secutúris. Quasi sémine; sánguine impléta est Martyribus terra: & de illo sémine seges surréxit Ecclésiæ. Plus asseruérunt Christum mórtui: quàm vivi. Hódie ásserunt; hódie prædicant; tacet lingua: sonant facta. Tenebántur; ligabántur; includebántur; producebántur; torquebántur; urebántur; lapidabántur; percutiebántur; béstiis subigebántur: In ómnibus suis móttibus quasi viles irridebántur. Sed pretiósa in conspéctu Dómini: mors, sanctórum ejus. Tunc in conspéctu Dómini tantùm pretiósa: modò, & in conspéctu nostro. Tunc enim quando oppróbrium erat esse Christiánum: vilis erat mors sanctórum. In conspéctu hóminum detestabántur; execratióni habebántur; pro maledícto objiciebántur: sic moriáris, sic crucifigáris, sic incendáris. Modò ista maledícta: quis fidélis non optat. Tu autem.

Die tertia infra octavam.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Sermone 298. de Sanctis, circa initium edit. bened.

Lectio iij.

DEbúimus, quidem tantórum Martyrū diem: hoc

hoc est sanctórum Apostolórum maióre frequéntiâ celebráre. Si enim celebrámus frequentissimè natalítia agnórum; quantò magis debémus aríetum? De fidélibus enim quos lucráti sunt Apóstoli prædicatióne sua scriptum est? Afférte Dómino filios aríetum. Per angústias passiónum; per viam spinis plenam; per tribulatiónes persecutiónum; ut tránseant posteà fidéles? Apóstolos duces habuérunt. Tu autem.

Die quarta infra Octavam,

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Sermone 311. de Sanctis edit. benedict.

Lectio iij.

Contémnite sæculum; Christiáni contémnite sæculum? contemnite. Contempsérunt Martyres; contempsérunt Apóstoli; contémpsit beátus N.? cujus hódie memóriam celebrámus. Dívites esse vultis; honoráti esse vultis; sani esse vultis; totum ille contémpsit? ad cujus memóriam convenístis. Quid óbsecro & tantùm amátis quod contémpsit; quem sic honorátis? Quem si ista non contempsisset? non útique sic honorarétis. Quare te invénio eárum rerum amatórem; quarum veneráris contemptórem? Certè illum si hæc amáret? non veneráreris. Et tu noli amare; non enim intrávit? & óstium contra te clausit. Contémne & tu? & intra post illum. Patet quâ intres? Christus est jánua. Et tibi est óstium apértum? quandò est latus ejus lánceâ perforátum. Quid inde manávit récole? & élige quâ possis intráre. De látere Dómini pendéntis & moriéntis in ligno; pósteà quâ est lánceâ perforátum? aqua sanguísque proflúxit. In uno est mundátio tua? in áltero redémptio tua. Tu autem.

Die quinta infra octav.

De Sermóne sancti Euchérij Lugdunénsis Epísc.

Homilia in natali Apostolorum sub finem.

Lectio iij.

Consideráte verò, fratres mei, quanta devotióne sanctos Apóstolos honoráre debeámus; quos ipse

ipse Dóminus jam non servos: sed amicos vocat. De quibus ipse ait. Quia non sunt de hoc mundo; sed de mundo elécti: mundum vicérunt, cum príncipe mundi. Quibus ipse testimónium perhíbet dicens; Vos estis sal terræ: Vos estis lux mundi. Vobis datum est nosse mystérium regni Dei: cæteris autem in parábolis. Isti sunt illi duódecim: quorum affluéntiâ omnis terrâ sanátur. Venit, inquit, Móyses & pópulus in Elim: ubi erant duódecim fontes aquárum. Tu autem.

Die sexta infra octavam.

De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Episc.

Eadem Homilia.

Lectio iij.

Apostóli sunt duódecim horæ diéi: & duódecim portæ, Cœléstis Jerúsalem. De quibus dícitur ab Oriénte portę tres, ab Occidénte portæ tres, à Merídie portæ tres: ab Aquilóne portæ tres. De quibus Prophéta ait. Díligit Dóminus portas Sion: super ómnia tabernácula Jacob. Et revéra magis díligit solas Ecclésiæ portas: quam ómnia ædifícia Synagógæ. Isti sunt lápides vivi: qui volvúntur super terram. Qui pósiti in rationáli Summi Pontíficis: étiam sine voce docent & prædicant. Prædicant enim non clamándo: sed significándo. Hos semper in péctore habére debémus; quibus corda nostra & instruántur: & muniántur. Ad hos totus pópulus respíciat: & quid signíficent, diligénter inquírat. Isti sunt fundaméntum: turres, & colúmnæ Ecclésiæ. Isti montes: qui exultavérunt ut ariétes. Isti cedri Líbani. Isti servi qui venénum non timébunt: & qui serpéntes interficient. Isti galli in nocte cantántes, & leónes sæviéntes; qui succínctis rénibus & fortíssimi bestiárum: ad nullíus timébunt occúrsum. Sed quid dicam: Isti sunt cæli qui enárrant glóriam Dei. Tu autem.

Die septima infra octav.

De Ser. S. Augustíni Episc.

Sermone 295. de Sanctis edit. benedict.

Lectio iij.

Celebrámus diem festum: Apostolórum nobis

nobis sánguine consecrátum. Aménius fidem; vitam; labóres; Passiónes: confessiónes: prædicatiónes. Proficimus enim amándo: non ista propter carnálem lætítiam celebrándo. Mártyres enim à nobis quid quærunt? Minùs habent; si adhuc laudes hóminum quærunt: nondum vicérunt. Si autem vicérunt; à nobis propter se nihil quærunt: sed propter nos ipsos quęrunt. Dirigátur ergo, via nostra in conspéctu Dómini. Arcta erat; spinósa erat; dura erat; tálibus tamque multis transeúntibus: lenis facta est. Tránsiit ipse prior Dóminus; transiérunt Apóstoli; intrépidi pósteà Mártyres: púeri, mulíeres, puéllæ. Sed quis in eis? Ille qui dixit: sine me nihil potéstis fácere. Tu autem.

In die Octava semiduplex maius.

Ad primas Vesperas Antiph. & Psalmi de Feria occurr. reliqua ut in primis Vesperis Festi. Post Vesperas duæ Processiones ut ibidem.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij

Ad Matutinum omnia ut in die exceptis Lectionibus, in primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente, in secundo & tertio Nocturno ut infrà.

In secundo Nocturno.

De Sermóne Sancti Fulgéntij Epíscopi.

Ser. in natali Apostolorum.

Lectio iv.

Deléctat tantórum tractáre margarítas sanctórum: deléctat gemmas intuéri dúlcium Piscatórum. Nec modus in colóre, nec númerus in virtúte: splendor várius, & divérsus ornátus. Hos lápides si cæcus aspéxit: illuminátus effúlsit. Si gestávit surdus: verbo Dómini, claros percépit audítus. Si aspéxit hos lápides claudus in portâ speciósa; cursum recépit: & templum fórtiter intrávit. Testis est Petrus ad Tábitham; qualis sit splendor harum margaritárum: quando tantus exultávit númerus viduárum. Ergo & nos sínguli síngulos contemplémur. Tu autem.

Lectio v.

Remótum est omne naufrágium; timor

exclúditur piratárum: quia barcæ subvéniunt dúlcium Piscatórum. Tuta sunt littora: per Apostólica rétia. Petrus in cápite scaphæ cæléstis: triúmphat in líttore. Si Andréam contempléris, unus est úterus, unus usus: unus ínnocens captus. Per Pisces Piscatórum paupértas tollebátur; per ánimas in captúrâ conclúsas grátia demonstrátur: & regni cælorum divítiæ publicántur. In Scaphâ Petri quis númerat pisces? Tu autem.

Lectio vj.

FIat ítaque in solemnitáte sanctórum: tam grande convívium. Ecce Matthæus præparat prándium; & Christus pransor ingréditur: cum multitúdine peccatórum. Pransor ínnocens; & rei convívæ: unde convívij sui societate peccatóres fáceret in suo Sacraménto gaudére. Judæi dicébant; quómodo cum publicánis & peccatóribus mandúcat? Nemo peccátor secérnitur: nemo reus avéllitur. Omnes hóspites Christi sunt: commúne convívium est ómnibus. Præparat prándium gaudiórum: solémnitas Apostolórum. Justus páscitur de grátiâ: peccátor refícitur de indulgéntiâ. Tu autem.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Lucam.

Lectio vij. Luc. 6.

IN illo témpore: éxiit Jesus in montem oráre; & erat pernóctans: in oratióne Dei. Et cum dies factus esset: vocávit Discípulos suos, & elégit duódecim ex ipsis: quos & Apóstolos nominávit. Et réliqua.

Homília S. Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

Expositione ejusdem Evangelij.

OBsérva quæso modum Ordinatiónis. Non enim in ángulo: ac occúltè factam ait sapientíssimus Lucas; sed colléctis pótiùs quàm plúrimis discípulis, turbâque copiósâ: ex omni regióne Judææ, & marítimis Tyri, & Sídonis. Hi autem erant idolólatræ; sive in utrámque claudicántes partem: observántes quidem ex parte Judæórum moras; Idololatríæ tamen crímina: non omníno deferéntes. Facta ígitur ordinátio

istis ómnibus presséntibus: ac totíus orbis terræ Doctóres constitúti sunt. Tu autem.

Lectio viij.

QUo illi múnere probè perfúncti; Judæos quidem à legáli cultu: cultóres verò dæmonum ab erróre gentilitátis, ad veritátis cognitiónem revocárent. Designátis autem, ac creátis sanctis Apóstolis; plúrima eáque admiránda signa patrávit: dæmónia íncrepans; ad se accedéntes ab incurabílibus morbis líberans: diviníssimámque suam virtútem osténtans. Tu. *Lectio ix.*

UT cognoscerent qui eò simul Judæi ac Græci conflúxerant; illos, Apóstolatûs dignitáte à Christo insignitos esse: non tanquam ab hómine quodam vulgári; ac qui nihil réliquis præstet: sed qui magis Deus exístat. Eò nimirum, quòd Verbum factum sit homo: suámque tamen glóriam retíneat. Virtus enim de illo exíbat: & sanábat omnes. Non enim ab álio virtútem mutuábat Christus; sed ipse cùm natúrâ Deus esset, tamétsi caro factus erat; suam in ægrótos virtútem exércens: omnes sanábat. Tu autem.

Ad Laudes & horas ut in die. Ad Vesperas Psalmi de Feria occurrente, Capitulum Versus Antiph. ad Magnificat ut in secundis Vesperis. Ad Processionem primum Responsorium Officij diei sequentis.

Oratio conveniens.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera.iij

PRO EVANGELISTIS.

In Festo Evangelistarum omnia dicuntur de Communi Apostolorum, exceptis Lectionibus & Orationibus, quæ hic sequuntur.

Et Officium sit Duplex aut Semiduplex prout notatur in proprio. Si sit Festum Duplex ad Vesperas Aña. Hoc est præceptum. *cum reliquis de Laudibus. Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica. loco ultimi.* Laudáte Dóminum omnes Gentes,

Si non sit Festum Duplex Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente sicut in Festis Apostolorum.

Ad primas & secun-

das Vesperas, & ad Horam Tertiam.

Orémus. *Oratio.*

ECclésiam tuam Dómine benígnus illústra; ut beáti N. Evangelístæ illumináta doctrínis ad don pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Ad primam processionẽ, & ad Horam Sextam.

Orémus. *Oratio.*

BEáti N. Evangelístæ quæsumus Dómine supplicatióne placátus; & véniam nobis tríbue & remédia sempitérna concéde. Per Dóminum.

Ad secundam processionẽ, & ad Horam Nonam.

Orémus. *Oratio.*

BEáti Evangelístæ. N. Dómine précibus adjuvémur; ut quod possibílitas nostra non óbtinet ejus nobis intercessióne donétur. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Incipit liber Ezechiélis Prophétæ. *Capit. 1.*

Lectio j.

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis; cùm essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar apérti sunt cæli, & vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis Regis Jóachim factum est verbum Dómini ad Ezechiélem filium Buzi Sacerdótem in terra Chaldæórum; secus flumen Chobar & facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, & ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne; & nubes magna, & ignis invólvens, & splendor in circúitu ejus & de médio ejus, quasi spécies eléctri, id est de médio ignis. Tu autẽ. ℞. Tollite jugum. vij.

Lectio ij.

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium; & hic aspéctus eórum similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni & quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti; & planta pedis eórum, quasi planta pedis vítuli & scintíllæ quasi aspéctus æris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum; in quátuor pártibus & fácies, & pennas per quátuor partes habébant. Junctæque erant pennæ eórum, altérius ad álterum.

Non

Non revertebántur, cùm incéderent: sed unumquodque ante fáciem suã gradiebátur. Tu autẽ. ℟. Ecce ego vij. *Lectio iij.*

SImilitúdo autem vultus eórum, fácies hóminis & fácies Leónis à dextris ipsórum quátuor: fácies autem bovis à siníſtris ipsórum quátuor; & fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, & pennæ eórum exténtæ désuper; duæ pennæ singulórum jungebántur, & duæ tegébant córpora eórum: & unumquódque eórum corã fácie sua ambulábat. Ubi erat ímpetus spíritûs; illuc gradiebántur: nec revertebántur cùm ambulárent. Tu autẽ. ℟. Cum ſtetéritis. viij.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Irenæi Lugdunénsis Episc. & Mártyris.

Ex libro 3. adversùs hæreses. Cap. 2. *Lectio iv.*

QUóniam quátuor regiónes mundi sunt, in quo sumus; & quátuor principáles spíritus; & dissemináta eſt Ecclésia super omnem terram: colúmna autem & firmaméntum Ecclésiæ, eſt Evangéliũ & spíritus vitæ; cónsequens eſt quátuor habére eam colúmnas úndique flantes incorruptibilitátem, & vivificántes hómines. Ex quibus maniféſtum eſt, quóniam qui eſt ómnium ártifex Verbum; qui sedet super Chérubim, & cóntinet ómnia: declarátus homínibus, dedit nobis quadrifórme Evangélium, quod in uno spíritu continétur. Quemádmodum & David póſtulans ejus advéntum ait. Qui sedes super Chérubim: appáre. Etenim Chérubim quadrifórmia: & formæ ipsórum, imágines sunt dispositiónis Filij Dei. Primum enim ánimal inquit, símile Leóni efficábile ejus, & principále: & regále signíficãs. Secúndùm verò, símile Vítulo: sacrificálem, & Sacerdotálem ordinatiónem signíficans. Tértium verò ánimal habens fáciẽ quasi humánam; eum, qui eſt secúndum hóminem advéntum: eis maniféſtè descríbens. Quartum verò símile Aquilæ volitántis: Spíritus in Ecclésiam advolitántis grátiã maniféſtans. ℟. Ego vos élegi. x.

Lectio v.

ET Evangélia his consonántia; in quibus ínsidet Dóminus Jesus. Aliud enim illam quæ est à Patre principálem, & efficábilem & gloriósam generatiónem ejus enárrat, dicens sic: In princípio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Et ómnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Propter hoc & omni fidúciâ plenum est Evangéliũ istud: talis est enim persóna ejus. Id verò quod est secúndùm Lucam; quóniam quidem Sacerdotális charácteris est: Zachária Sacerdóte sacrificánte Deo inchoávit.) Jã enim saginátus parabátur vítulus; qui pro inventióne minóris filij: incíperet mactári. Mathæus verò; eam, quæ est secúndùm hóminem: generatiónem ejus enárrat. Liber dicens, generatiónis Jesu Christi; filij David: filij Abraham. Et iterùm: Christi generátio sic erat. Humánæ formæ ígitur hoc Evangélium; propter hoc, & per totũ Evangéliũ: humíliter séntiens, & mitis homo separátus est. Marcus verò, à Prophético spíritu ex alto adveniénte homínibus, inítium fecit; Inítium, dicens, Evangélij, quemãdmodum scriptum est in Isáia Prophéta: Volátilem & pennátam imáginem Evangélij monstrans; propter hoc: & compendiósam, & præcurréntẽ annunciatiónẽ fecit. ℟. Constitues. xj. *Lect. vj.*

PRophéticus enim charácter est hic, Et ipsũ autem verbum Dei, illis qui antè Móysem fuérunt Patriárchis, secúndum divinitátem & glóriam colloquebátur; his verò qui in lege; sacerdotálem & ministeriálem actum præbébat; post deínde nobis homo factus, munus cæléstis Spíritus in omnem misit terram, prótegens nos alis suis. Qualis ígitur dispositio Fílij Dei: talis & animálium forma; & qualis animálium forma; talis & charácter Evangélij. Quadrifórmia autem animália; & quadrifórme Evangélium: & quadrifórmis dispositio Dómini. Et propter hoc quátuor data sunt testamẽta humáno.

no géneri; unum quidem ante Cataclysmum sub Adam: secúndum verò, post Cataclysmum sub Noë. Tértium verò legislátio sub Móyse: quartum verò quod rénovat hóminem, & recapítulat in se ómnia, quod est per Evangélium: élevans & pennígeras hómines in cæléste regnum. His ígitur sic se habéntibus; vani omnes, & indócti, & ínsuper audáces, qui frustrántur spéciem Evangélii: & vel plures quàm dicta sunt, vel rursus paucióres ínferunt persónas Evangélii. Tu autem.

℟. Nimis honoráti. xj.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii: secúndùm Lucam.

Lectio ij.

IN illo témpore: Designávit Dómin⁹ & álios septuagínta duos, & misit illos binos antè fáciem suam, in omnem civitátem, & locum: quò erat ipse ventúrus. Et dicébat illis; messis quidem multa: operárii autem pauci. Rogáte ergo Dñm messis: ut mittat operários in messem suam. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homilia. 17. in Evangelium.

MIssis prædicatóribus: quid dicat, audiámus; Messis quidem multa: operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis: ut mittat operários in messem suam. Ad messem multam: operárii pauci sunt, quod sine gravi loqui mœróre, non póssumus; quia etsi sunt, qui bona áudiant: desunt qui dicant. Ecce mundus Sacerdóribus plenus est sed tamen in messe Dei: rarus valdè invenítur operátor. Quia officium quidem Sacerdotále suscípimus: sed onus officii nõ implémus. Sed pensáte fratres mei, pensáte quod dícitur; Rogáte ergo Dóminum messis: ut mittat operários in messem suam. Vos pro nobis pétite ut digna vobis operári valeámus; ne ab exhortatióne lingua tórpeat; ne postquam prædicatiónis locum suscépimus: apud justum júdicem nostra nos tacitúrnitas áddicat. Sæpè enim pro sua nequítia: prædi-

cántium lingua restríngitur. Sæpè verò ex subjectórum culpa ágitur; ut eis, qui præsunt, prædicatiónis sermo subtrahátur. ℟. O quam pulchri. xiv.

Lectio viij.

EX sua quippe nequítia, prædicántium lingua restríngitur, sicut Psalmísta ait. Peccatóri autem dixit Deus; Quare tu enárras justítias meas? Et rursum ex vítio subjectórum vox prædicántium prohibétur, sicut ad Ezechiélē Dóminus dixit. Linguam tuam adhæréscere fáciam paláto tuo; & eris mutus, nec quási vir objúrgans, quia domus exásperās est. Ac si apertè dicat; Idcircò tibi prædicatiónis sermo tóllitur; quia dum me in suis áctibus plebs exásperat, non est digna cui exhortátio veritátis fiat. Ex cujus ergo vítio prædicatóri sermo subtrahátur, nō fácilè agnóscitur. Quia verò paóstris tacitúrnitas aliquándo sibi; semper autem subjéctis nóceat, certíssimè scitur. Sed útinā sicut ad prædicatiónis virtútem non sufficimus, loci nostri officium innocéntia vitæ teneámus. Tū autē. ℟. Qui sunt isti. xiv.

Lectio ix.

NAm súbditur. Ecce ego mitto vos, sicut agnus inter lupos. Multi enim cùm regíminis curā suscípiunt, ad lacerándos súbditos inardéscunt. Terrórē potestátis éxhibent; & quibus prodésse debuérant, nocent. Et quia charitátis víscera nō habent; Dómini vidéri áppetunt, patres se esse minimè recognóscunt. Humilitátis locum in elatiónem dominatiónis immútant; Et si quando extrínsecùs blándiúntur, intrínsecùs sæviunt. De quibus áliàs véritas dicit. Véniunt ad vos in vestiméntis óvium, intrinsecùs autem sunt lupi rapáces. Contra quæ ómnia considerándum nobis est, quia sicut agni inter lupos míttimur; ut sensum servántes innocéntiæ, morsum malítiæ non habeámus. Qui enim locum prædicatiónis súscipit; mala inférre non debet, sed toleráre. Ut ex ipsa sua mansuetúdine iram sæviéntium mítiget; & peccatórum vúlnera in áliis ipse

ipse afflictiónibus vulnerátus sanet. Quem & si quandò zelus rectitúdinis éxigit, ut erga subjéctos sæviat; furor ipse de amóre sit, non de crudelitáte; quátenus & jura disciplínæ foris exhíbeat; & intùs patérna pietáte díligat, quos foris quasi insequéndo castígat. Tu autē.

℟. Via munda. xv.

AD LAUDES.

Horas & Vesperas omnia de Communi Apostolorum. Si contingat celebrari octavam de Evangelista, tunc officium sit eodem ritu quo de Apostolis ut sup. & Lectiones infrà octavam sumuntur ut in Communi Apostolorum infra Octavam.

COMMUNE

Unius Martyris,

Ad Vesperas si fuerit festum duplex, Antiph. Qui me conféssus fúerit. *cum reliquis de Laudib. Psalm. de Dominica.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, loco ultimi.* Laudáte Dóminum omnes Gentes. *si verò non fuerit Festum duplex, Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente.*

Capitulum. Jacobi. I.

BEátus vir qui suffert tentatiónem; quóniā cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus.

℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Magnificat, Añæ. Iste est qui pro lege Dei sui morti se trádidit, non dubitávit mori, ab iníquis interféctus est: & in ætérnum vivit cum Christo; agnum sequútus est, & invásit palmam.

Pro Martyre. & Pontifice.

Orémus. *Oratio.*

INfirmitátem nostram réspice omnípotēs Deus; & quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum nostrum.

Ad primam Processionem.

℟. j. Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo meo; dicit Dóminus. * Et scribam super eum nomen meum, & nomen civitátis novæ Jerúsalem.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos beáti N. Mártyris tui, atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus: de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Ad secundam Processionē.

℟. ij. Puer meus noli timére quia ego sum tecum dicit Dóminus. * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit te, & odor ignis non erit in te.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos concédis beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis natalítio pérfrui: ejus nos tríbue méritis adjuvári. Per.

Pro Martyre tantum.

Oratio I.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus: intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum nostrum.

Ad primam Processionem.

℟. Qui vícerit. *ut suprà.*

Oratio II.

LÆtétur Ecclésia tua Deus beáti N. Mártyris tui, confísa suffrágiis; atque ejus précibus gloriósis, & devóta permáneat: & secúra consístat. Per Dóminum.

Ad secundā Processionem.

℟. Puer meus. *ut suprà.*

Oratio III.

ADésto Dómine supplicatiónib⁹ nostris; ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus: beáti N. Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum.

Ad Completorium, Hymnus. Ætérna Christi múnera. *ut suprà.* iij.

Ad Matutinum, Invitat. Regem Mártyrum Dóminum, veníte adorémus.

Si verò Festum solemniter celebretur dicitur Invitatorium. Regem regum Dóminum veníte adorémus, quia ipse est coróna beáti N. *vel* SS. Mártyrum.

Quod quidem invitatorium potest dici in omnibus festis Sanctorum quæ solemniter celebrantur, sub ritu duplicis.

Psalmus. Veníte exultémus.

In primo Nocturno.

Antiphona. In lege.

Psalm.

Psalmus 1.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum: * & in via peccatórum non stétit: * & in cáthedra pestiléntiæ, non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus: * & in lege ejus meditábitur, die ac nocte.

Et erit tanquam lignum quod plantátum est, secus decúrsus aquárum: * quod fructum suum dabit, in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tanquam pulvis quem prójicit ventus, à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpii in judício: * neque peccatóres, in cōcílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum: * & iter impiórum períbit.

Glória Patri.

Aña. In lege Dómini fuit volūtas ejus, die ac nocte.

Antiphona. Prædicans.

Psalmus 2.

QUare fremuérunt gētes: * & pópuli meditáti sunt inánia.

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsùs Dóminum, & advérsùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis, jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua: * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus: * prædicans præcéptū ejus.

Dóminus dixit ad me, filius meus es tu: * ego hódie génui te.

Póstula à me & dabo tibi gentes hæreditátē tuam: * & possessiónem tuam, términos terræ.

Reges eos in virga férreâ; * & tanquam vas figuli, confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * & exultáte ei, cùm tremóre.

Apprehéndite disciplínam: * nequándo irascá-

tur Dóminus, & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus : * beáti omnes qui confidunt in eo.

Glória Patri.

Antiph. Prædicans præcéptum Domini, constitútus est in monte sancto ejus.

Antiphona. Voce mea.

Psalmus 3.

DOmine quid multiplicáti sunt, qui tribulant me: * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es : * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi & soporátus sum:* & exurréxi quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge Dómine salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti; omnes adversántes mihi sine causâ : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * & super pópulum tuum, benedíctio tua.

Glória Patri.

Aña. Voce mea ad Dñm : clamávi, & exaudívit me de monte sancto suo.

℣. Glória & honóre.

℟. Coronásti eum Dómine. *Pater noster.* Et ne nos indúcas, &c.

Deprecatio. ℣. Exúrge Dómine ádjuva nos.

℣. Súscipe deprecatiónem.

Domne jube benedícere.

Bened. Adjútor, & propítius. &c.

Lectiones sequentes primi Nocturni leguntur in Festo Mart. & Pontif.

In Festo autem Mart. non Pont. leguntur quæ inferiùs posita sunt in Communi plurimorum Martyrum.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 20.

A Mileto Paulus mittens Ephesum, vocávit majóres natu Ecclésiæ. Qui cúm veníssent ad eũ, & simul essent, dixit eis. Vos scitis à prima die, qua ingréssus sum in Asiam, quáliter vobíscũ per omne tempus fúerim; sérviẽs Dómino cum humilitáte, & lácrymis, & tentatiónibus.

nibus quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórũ. Quómodò nihil subtráxerim, utílium, quó minùs annunciárem vobis, & docérem vos públicè, & per domos; testíficans Judæis, atque Gẽtilibus, in Deum pœniténtiam: & fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem, quæ in ea ventúra sint mihi, ignórans; nisi quod Spíritus sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dícens: quóniam víncula, & tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor; neque fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me, dúmmodo consúmmem cursum meum: & ministérium verbi, quod accépi à Dómino Jesu testificári Evãgélium grátiæ Dei. Tu autem.

℟. Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo meo, dicit Dóminus. * Et scribam super eum nomen meum, & nomen civitátis novæ Jerúsalem. ℣. Vincénti dabo ei manna abscónsum, & dabo illi cálculum cándidum. Et scribam. *Benedictio.* Benedictiónibus suis.

Lectio ij.

ET nunc ecce ego scio; quia ámpliùs non vidébitis fáciem meam vos omnes: per quos transívi prædícans regnum Dei. Quaprópter contéstor vos hodiérna die: quia mundus sum à sánguine ómnium. Non enim subterfúgi: quomínùs annuntiárẽ omne consílium Dei vobis. Atténdite vobis, & univérso gregi; in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos, régere Ecclésiam Dei: quam acquisívit sãguine suo. Ego scio, quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi; & ex vobis ipsis exúrgent viri loquéntes perversa: ut abdúcant discípulos post se. Propter quod, vigiláte, memória retinéntes; quóniã per triénnium nocte & die non cessávi: cum lácrymis monens unumquemque vestrum. Tu autem Dómine.

℟. Puer meus noli timére; quia ego sum tecum dicit

cit Dóminus * Si transíeris per ignem flamma non nocébit te, & odor ignis nõ erit in te. ℣. Quia ego Dóminus Deus tuus apprehéndens mánũ tuam dicénsque tibi ne tímeas. Si transíeris.

Benedictio. Cæléstem benedict.

Lectio iij.

ET nunc commendo vos Deo & verbo grátiæ ipsíus; qui potens est ædificáre: & dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus. Argéntum, & aurum aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis; quóniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes, opórtet suscípere infirmos: ac meminísse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit: Beátius est magis dare, quam accípere. Et cum hæc dixísset: pósitis génibus suis: orávit cum ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium, & procumbéntes super collum Pauli osculabántur eum; doléntes maximè in verbo quod dixerat: quóniam ámpliùs fáciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem. Tu autem.

℟. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. Ideóque repósita est mihi coróna justítiæ. ℣. Grátia Dei sum id quod sum; & grátia ejus in me vácua non fuit. Ideóque. Glória Patri. Ideóque.

In secundo Nocturno.

Aña. Fílii hóminum.

Psalmus 4.

CUm invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, & exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum usquequò gravi corde: * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium.

Scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, & in cubílibus vestris cõpungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ,

justítiæ, & speráte in Dómino: * multi dicunt quis osténdit nobis bona.

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruméti, vini, & ólei sui multiplicáti sunt.

In pace in idípsum, dórmiam & requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe, constituísti me. Glória Patri.

Añ. Fílii hóminum scitóte quia Dóminus sanctum suum mirificávit.

Antiphona. Scuto.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dñe: * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ: * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo Dómine: * manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi & vidébo: * quóniam non Deus volens, iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi, ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum, & dolósum: abominábitur Dñs: * ego autem in multitúdine, misericórdiç tuę.

Introíbo in domũ tuã: * adorábo ad templum sanctum tuum, in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos, dírige in conspéctu tuo, viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum: * linguis dolósè agébant: * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis: * secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te: * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum: * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, coronásti nos. Glória Patri.

Antiph.

Antiph. Scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum Dómine.

Aña. In univérſa terra.

Pſalmus 8.

DOmine Dóminus noſter: * quam admirábile eſt nomen tuum, in univérſa terra.

Quóniã eleváta eſt, magnificẽtia tua ſuper cælos.

Ex ore infántium, & lacténtium, perfeciſti laudem, propter inimícos tuos: * ut déſtruas inimícum, & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * Lunam & Stellas, quæ tu fundáſti.

Quid eſt homo quod memor es ejus: * aut filius hóminis, quóniam víſitas eum.

Minuíſti eum paulóminùs ab Angelis: * glória & honóre coronáſti eum: * & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjecíſti ſub pédibus ejus: * oves & boves univérſas: * ínſuper, & pécora campi.

Vólucres cæli & piſces maris: * qui perámbulant ſémitas maris.

Dómine Dóminus noſter: * quam admirábile eſt nomen tuum, in univérſa terra. Glória Patri.

Aña. In univérſa terra glória & honóre coronáſti eum.

℣. Voce mea ad Dóminum clamávi.

℟. Et exaudívit me, de monte ſancto ſuo.

Pater noſter.

Deprecat. Oſténde nobis Dñe miſericórdiam tuam.

Benedictio. Deus Dei filius, &c.

De Sermóne S. Auguſtini Epíſcopi.

Tertio de ſancto Vincentio Edit. Benedict.

Lectio iv.

IN paſſióne ſancti Mártyris; fratres mei, evidénter oſténditur, judex ferox; tortor cruéntus; Martyr invíctus. In cujus córpore pœnis váriis exaráto; jam torménta defécerant; & adhuc membra durábant. Tot convícta miráculis perſiſtébat impíetas; tot vexáta ſupplíciis non cedébat infirmitas; agnoſcátur ergo operáta divínitas. Quando enim corruptibilis pulvis contra tam immánia torménta duráret; niſi in eo Dóminus

Dóminus habitáret! In his enim ómnibus ille agnoscéndus; ille glorificándus, ille laudándus est, qui & in prima vocatióne dedit fidem: & in suprémа passióne virtútem. Tu autem.

℟. Justus germinábit sicut lílium. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

℣. Et erit quasi olíva glória ejus, & odor ejus ut líbani. Et florébit.

Benedictio. Ætérnam.

Lectio v.

DUplicē mundus áciem prodúcit: contra mílites Christi. Advértite fratres. Dúplicem dixi áciem prodúcit mundus: contra mílites Christi. Blandítur enim, ut decípiat: terret, ut frangat. Non nos téneat volúptas própria; non nos térreat crudélitas aliéna: & victus est mundus. Ad utrósque áditus occúrrit Christus: & non víncitur Christiánus. Si considerétur in ista passióne humána patiéntia: íncipit esse incredíbilis. Si agnoscátur divína poténtia: désinit esse mirábilis. Tanta grassabátur crudélitas in Mártyris córpore; & tanta tranquíllitas proferebátur in voce; tantáque pœnárum aspéritas sęviébat in membris; & tanta secúritas sonábat in verbis: ut miro modo putarémus, illo patiénte, álium non loquéntem torquéri. Tu autem.

℟. Stola jocunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus.

℣. Cibávit illum pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. Et corónam.

Benedictio. Grátia Spíritus sancti.

Lectio vi.

ET verè, fratres, ita erat; prorsùs ita erat: álius loquebátur. Promísit enim & hoc téstibus suis Christus in Evangélio: quos ad hujúsmodi certámina præparábat. Sic enim ait, nolíte præmeditári quómodò aut quid loquámini: Nō enim vos estis qui loquímini, sed spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Caro ergo patiebátur: & spíritus loquebátur. Et loquénte Spíritu, non solùm convincebátur impíetas: sed étiam confortabátur

tur infirmitas. Clariórem nobis Mártyrem tot torménta faciébant. Multíplici enim vúlnerum varietáte confóssus; non deferébat pugnam: sed ácrius iterábat. Tu autem.

℞. Cibávit illũ Dñs pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum :* Et inaltávit illum apud próximos suos. ℣. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, & implévit eum Spíritu sapiéntiæ & intelléctus. Et inaltávit. Glória Patri. Et inaltávit.

In tertio Nocturno.

Añа. Justus Dóminus.

Psalmus 10.

IN Dómino confído :* quómodo dícitis ánimæ meæ, tránsmigra in montem, sicut passer.

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum :* paravérunt sagíttas suas in pháretra: * ut sagíttent in obscúros, rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti destruxérunt :* justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo:* Dóminus in cælo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt:* pálpebræ ejus intérrogant, filios hóminum.

Dóminus intérrogat justum & ímpium:* qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos:* ignis & sulphur, & Spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, & justítias diléxit :* æquitátem vidit vultus ejus. Glória Patri.

Antiphona. Justus Dóminus justítias diléxit: æquitátem vidit vultus ejus.

Antiphona. Habitábit.

Psalmus 14.

DOmine quis habitábit in tabernáculo tuo:* aut quis requiéscet, in monte sancto tuo.

Qui ingréditur sine mácula:* & operátur justitiã.

Qui lóquitur veritátem in corde suo :* qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum:* & oppróbrium non accépit, advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus :* timéntes autem Dóminum, gloríficat.

Qui jurat próximo suo

&

& non décipit : * qui pecúniam suam non dedit ad usúram:* & múnera super innocéntem, non accépit.

Qui facit, hæc non movébitur in ætérnum.

Glória Patri.

Antiphona. Habitábit in tabernáculo tuo, requiéscet in monte sancto suo.

Aña. Posuísti Dómine.

Psalmus 20.

DOmine in virtúte tua lætábitur rex:* & super salutáre tuum, exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * & voluntáte labiórum ejus, non fraudásti eum,

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus, corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te, & tribuísti ei : * longitúdinem diérum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decórem, impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem, in sæculum sæculi ; * lætificábis eum in gáudio, cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino:* & in misericórdia altíssimi, non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat, omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos : * & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes: * & semen eórum, à filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala:* cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis, vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua. * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Glória Patri.

Antiphona. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Justus Dóminus justítias diléxit. ℟. Æquitátem vidit vultus ejus.

Pater noster.

Depre-

Deprecatio. Adjutórium nostrum.

Benedictio. Redémptor.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lucæ 9.

IN illo témpore: Dixit Jesus Discípulis suis. Si quis vult post me veníre; ábneget semetípsum: & tollat crucem suam quotídie, & sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet illam; nam qui perdíderit ánimam suam propter me: salvam fáciet illam. Et réliqua.

Homília sancti Gregórij Papæ.

Homil. 32. in Evangelia.

Lectio vij.

QUia Dóminus ac Redémptor noster novus homo venit in mundum: nova præcépta dedit mundo. Vitæ étenim nostræ véteri in vítiis enutrítæ: contrarietátem oppósuit novitátis suæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinére; aliéna rapére si posset: concupíscere si non posset. Sed cæléstis médicus: síngulis quibúsque vítiis obviántia ádhibet medicaménta. Nam sicut arte medicínæ cálida frígidis; frígida cálidis curántur: ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis, ut lúbricis continéntiam; tenácibus largitátem; iracúndis mansuetúdinem: elátis præcíperet humilitátem. Tu autem.

℟. Probávit me Dóminus quasi aurum quod per ignem transit, & vestígia ejus sequútus est pes meus: * Viam ejus custodívi, & non declinávi ex ea. ℣. A mandátis labiórum ejus non recéssi, & in sinu meo abscóndi verba oris ejus. Viam ejus.

Benedictio. Unigénitus Dei filius. *Lectio viij.*

CErtè cum se sequéntibus nova mandáta propóneret: dixit. Nisi quis renūciáverit ómnibus quę póssidet: non potest meus esse discípulus. Ac si apértè dicat: Qui per vitā véterem aliéna cōcupíscitis: per novæ conversatiónis stúdium, & vestra largímini. Quid verò in hac lectióne dicat: audiámus. Qui vult post me veníre: ábneget semetípsum. Ibi dícitur,

citur, ut abnegémus nostra: hic dicítur, ut abnegémus nos. Et fortásse laboriósum non est hómini relínquere sua: sed valdè laboriósum est relínquere semetípsum. Minus quippe est, abnegáre quod habet: valdè autem multum est, abnegáre quod est. Tu autem Dómine.

℟. Beátus vir qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesáuris: * Fecit enim mirabília in vita sua. ℣. Ideò stabilíta sunt bona illíus in Dño, & Eleemósynas illíus enárrat omnis Ecclésia sanctórum. Fecit enim.

Benedictio. Ad supernórum cívium.

Lectio ix.

AD se autem nobis veniéntibus Dóminus præcépit, ut renuntiémus nostris; quia quicúmque ad fidei agónem vénimus: luctámen contra malígnos Spíritus súmimus. Nihil autem malígni Spíritus in hoc mundo próprium possídent; nudi ergo: cum nudis luctári debémus. Nam si vestítus quisque cum nudo luctátur; cítiùs ad terram dejícitur: quia habet unde teneátur. Quid enim sunt terréna ómnia; nisi quædam córporis induménta? Qui ergo contra diábolum ad certámen próperat; vestiménta abjíciat: ne succúmbat. Tu autem.

℟. Coróna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis glória honóris: * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et opus. Glória Patri. Et opus.

Si fuerit Festum Duplex vel in Dominica occurrerit; dicitur, Te Deum laudámus, *& tunc non dicitur.* Glória Patri.

AD LAUDES,

Antiphona.

QUi me conféssus fúerit coram homínibus; confitébor & ego eum, coram patre meo. *Psal.* Dóminus regnávit. *cum reliq de Dominica.* 20.

Antiphona. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum pater meus qui est in cælis: dicit Dóminus. *Aña.* Qui séquitur me non ámbulat in ténebris,

bris, sed habébit lumen vitæ: dicit Dñs. *Aña.* Si quis per me intráverit salvábitur, & páscua invéniet dicit Dóminus. *Aña.* Volo pater ut ubi ego sum ibi sit & minister meus.

Capitulum.

BOnum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi; in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex; non solùm autem mihi: sed & his, qui díligunt advéntum ejus.

℟. Deo grátias.

℣. Stola jocunditátis.

℟. Induit eum Dóminus.

Ad Benedictus, Aña. Beátus vir qui suffert tentatiónem; quóniam cum probátus fúerit accípiet corónam vitæ: quam repromísit Deus diligéntibus se.

Pro Martyre & Pontifice.

Oremus. *Oratio.*

INfirmitátem nostrã réspice omnípotens Deus; & quia pondus própriæ actiónis gravat beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dñm.

Alia Oratio.

Pro Martyre tantum.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus; ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus: intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum filium tuum.

Ad Tertiam, Capitulum. Beátus vir qui suffert. *ut suprà.*

℟. Posuísti Dómine super caput ejus. ℣. Corónam de lápide pretióso. Glória Patri. ℣. Glória & honóre coronásti eum Dómine.

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

Pro Martyre & Pontifice. Infirmitátem nostram. *ut suprà.*

Alia Oratio.

Pro Martyre tantum. Præsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui beáti. *ut suprà.*

Ad Sextam, Capitulum.

BEátus vir qui invéntus est sine maculâ, & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesáuris; quis est hic & laudábimus

dábimus eum : fecit enim mirabília in vita sua.

℟. Glória & honóre córonásti eum Dómine. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Glória Patri ℣. Magna est glória ejus, in salutári tuo.

℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Orémus. *Oratio.*

Pro Martyre & Pontifice.

DEus qui nos beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis ánnuâ solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus : de ejúsdem etiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Alia Oratio.

Pro Martyre tantum.

LÆtétur Ecclésia tua Deus, beáti N. Mártyris tui confisa suffrágiis; atque ejus précibus gloriósis, & devóta permáneat : & secúra consístat. Per Dóminum.

Ad Nonam, Capitulum.

Bonum certámen certávi. *ut suprà in Laudibus.* xlvj

℟. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℣. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. Glória Patri. ℣. Stola jocunditátis. ℟. Induit eum Dóminus.

Orémus. *Oratio.*

Pro Martyre & Pontif.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus; ut intercedénte beáto N. Mártyre tuo atque Pontífice, à cunctis adversitátibus liberémur in córpore : & à pravis cogitatiónibus mũdémur in mente. Per Dñm.

Alia Oratio.

Pro Martyre tantum.

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris; ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus : beáti N. Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

In Festis Duplicibus.

Aña. Qui me conféssus fúerit. *cum reliq. de Laudibus.* *Psalm.* Dixit Dóminus, *cum reliq. de Dominica.* 148. *sed loco ultimi.* *Psalm.* Crédidi propter quod locútus sum. xvij. *quando verò non est Festum duplex, ad Vesperas Aña & Psalmi de Feria occurr.* *Capitulum.* Beátus vir qui suffert tentatiónem.

tem. *ut suprà. fol.* xxxiij.
℣. Posuísti Dómine super caput ejus.
℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Magnificat, Aña. Hic est verè martyr qui pro Christi nómine sánguinē suum fudit; qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna felíciter pervénit.

Oratio pro Martyre & Pontif. Infirmitátem nostram. xliv.

Alia Oratio.

Pro Martyre tantùm. Præsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui beá ti. xlvj.

Ad Processionem primum responsorium Officij diei sequentis. Oratio conveniens.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera. *ut suprà.* iij.

In Festis unius Martyris iij. Lectionum. ad Vesperas Aña. & Psalmi de Feria occurrente Capitul. ℣. *& Aña.* Ad Magnificat, *ut suprà in secundis Vesp.* l.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Mártyrum Dóminum, Veníte adorémus. *Psalm.* Venite exultémus.

Deinde dicuntur novem Antiphonæ & Psalmi de eodem communi, & ℣. *j. Noct. ritu quo notatum est in communi Apostolorū.*

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurr. tertia ut notatur in proprio. Benedict. Responsoria dicuntur secundum Feriam occurrentem ritu quo notatum est in communi Apostolorum.

Ad Laudes. Qui me conféssus fúerit. xliv. *reliquis ut in eodem communi.*

Ad Benedictus, Aña. Qui vult post me veníre, dicit Dóminus: ábneget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequátur me.

Oratio conveniens deinde dicitur Psalm. Levavi. *ut in Psalterio & dicitur in omnibus Festis trium Lectionum & Feriis non verò infra octavas.*

Ad horas omnia ut suprà in Communi.

Si contingat fieri alicubi octavam de uno Martyre Officium fit infrà octavam, ut in Festis trium Lectionum; ritu quo notatur

tur est in Communi Apostolorum; duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia ut infrà habetur pro qualibet die. Ad Laudes & horas omnia ut in die, ad Vesperas Psalmi de Feria occurrente, Capit. ℣. Antiph. Ad Magnificat. *ut in secundis Vesperis diei Festi.*

Ad Completorium Hymnus de Officio Vesperarum. Ætérna Christi múnera.

Die secunda infra oct.
De Serm. S. Basilij Magni.
Homil. de Barlaam Mart.

Lectio iij.

PRimùm quidem Sanctórum mors planctu, ac láchrymis cohonestabátur. Extínctū Jacob, veheménter Joseph deflévit; Moysísque mortem haud léviter Judæi planxére: Samuélem quoque multis láchrymis ornárunt. Nunc verò defúnctis Sanctis exultámus: post crucem enim tristium natúra commutáta est. Non jam ámpliùs Sanctórum fúnera planctu proséquimur; sed divínis tripúdiis circum ipsórum sepúlchra: véluti chóreas dúcimus. Somnus enim justis est mors: imò pótiùs, ad vitam melióram migrátio. Hinc fit ut exúltent Mártyres: dum trucidántur. Desidérium quippe feliciòris vitæ: jugulatiónis dolórem extínguit. Martyr non perícula, sed corónas réspicit; non plagas horret: sed palmas númerat. Non videt lictóres in terra flagellántes; sed è cælo Angelos cógitat: lætis homínibus acclamántes. Non temporánea spectat perícula: sed præmia ætérna. Tu autem.

Die tertia infra Octavam.
De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.
In Laud. S. Barlaam Mart.

Lectio iij.

TUnc máximè sui Mártyres honóris sensum cápiunt, cum consérvos conspéxerint: suórum nactos societátem bonórum. Itaque si quis Mártyres laudáre velit: Mártyres imitétur. Si quis religiónis athlétas celebráre præcóniis velit: illórum labóres æmulétur. Nihil hoc minùs quam própria rectè facta: Mártyres delectábitur. Atq; ut intélligas tunc eos præcipuè sua bo-

na sentíre, cum res nostras in tuto pósitas vidérint; remque illam máximo sibi honóri dúcere: audi Paulum dicéntem. Nunc vívimus: si vos statis in Dómino. Et quidem Moses illo supérior, dicébat Deo. Síquidem dimíttis eis peccátum, dimítte; sin autem: dele me de libro tuo, quē scripsísti. Cæléstem honórem non séntio: ob istórum calamitátem. Córporis quædam connéxio est ac structúra cœtus fidélium; quid ígitur prodest caput coronári: dum pedes torquéntur. Tu autem.

Die quarta infra octavam.

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Panegyrico in Lucianum Mart. circa finem.

HÆc nos étiam cum novérimus, pacis tēpore béllicis rebus nos exerceámus; ut cùm belli tempus advénerit: illústre nos quoque trophęum erigámus. Famem contémpsit martyr ille; delícias & nos contemnámus: ac ventris Tyránnidem evertámus. Ut si tempus advéniat, quod tantam fortitúdinem à nobis repóscat; in minóribus ánteà rebus exercitáti: præclári in scémmate compareámus. Coram princípibus ille ac Régibus audácter locútus est: hoc nos faciámus nunc quoque; ac si in opulentórum & illústrium convéntibus consideámus: fidem cum fidúcia profiteámur. Irrideámus, illórum erróres: quod si res quidem suas magnífìcè efférre, nostras autem deprímere aggrediántur; ne taceámus, neve léviter ferámus, sed ipsórum turpitúdinem detegéntes: multâ cum sapiéntiâ, fiduciáque res Christianórum láudibus evehámus. Et quemádmodum Imperátor in cápite diadéma: sic & nos ubíquè confessiónem fidei circumferámus. Non enim illum adeò coróna; ut nos fides: ejúsque conféssio solet exornáre. Non verbis tantum; sed étiam rebus ipsis id agámus: & vitam confessióne dignam in ómnibus exhibeámus. Tu autem.

Die quinta infra octav.

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex

Ex laudat. S. Barlaam Mart. circa finem.

Lectio iij.

QUinàm verò fiat nunc, inquis, ut Mártyres imitémur? non enim est persecutiónis tempus. Equidem etiam novi, non est persecutiónis tempus: at est Martyrij; luctárum ejúsmodi tempus non est: at est coronárum. Non persequúntur hómines: at persequúntur Dæmones. Non vexat tyránnus; at vexat diábolus, tyrannórum ómnium sævíssimus. Non objéctas prunas cónspicis: at accénsam cernis cupiditátis flámmam. Illi prunas calcárunt: tu natúræ pyram calca. Illi cum béstiis pugnavérunt: tu iram immítem ac indómitam bélluam fræna. Illi advérsùs intolerábiles dolóres stetérunt; tu absúrdas, pravásque cogitatiónes, quæ in corde tuo púllulant vince: ita Mártyres imitábere. Tu autem.

Die sexta infra octavam.

De Sermóne sancti Augustini Epíscopi.

Sermon. 3. de S. Cypriano edit. Benedict.

Lectio iij.

ISTum nobis festum diem, pássio beatíssimi N. Mártyris fecit; cujus nos victóriæ celébritas in istum locum devotíssimos congregávit. Sed celebrátio solemnitátis Mártyrum, imitátio debet esse virtútum. Facilè est honórem Martyris celebráre: magnum est fidem atque patiéntiam mártyris imitári. Hoc sic agámus, ut illud optémus: hoc sic celebrémus, ut illud pótiùs diligámus. Quid laudámus in fide mártyris? quia usque ad mortem pro veritáte certávit: & ídeò vicit. Blandientē mundum contémpsit; sæviénti non cessit: ídeo victor ad Deum accéssit. Abúndant in isto sæculo errores & terróres; beatíssimus Martyr, erróres sapiéntiâ: terróres patiéntiâ superávit. Magnū est quod fecit; secútus agnum: leónem vicit. Quandò persecútor sæviébat: leo fremébat. Sed quia agnus sursum attendebátur; leo deórsum calcabátur: qui morte mortem destrúxit, ligno pepéndit; sánguinem fudit: mundum

redémit. Tu autem Dómine.

Die septima infra octav.
De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.
Sermone de sancto Genesio.
Lectio iij.

HOdie natále sancti N. celebrámus : & méritum. Beátorum mártyrum passiónes ; natáles vocámus dies ; quando eos martyrij vita & glóriæ fides dum íngerit morti, génuit æternitáti : & perpétua gáudia brevi dolóre partúriit. Meritò planè dicéndi natáles dies, per quos illi, qui nati fúerant in hanc fragilitátis humánæ, misériam ; súbitò renascúntur in glóriam : vitæ perénnis inítium, de mortis fine suméntes. Etenim si istos dies natáles vocámus, quibus in hanc lucem in delíctis & dolóribus náscimur ad dolóres ; quibus in hunc mundum cum fletu infántiæ vagiéntes ingrédimur ; omnis homo quasi futúræ per totam vitam prophéta misériæ : infelicitátem natúræ primâ illâ lachrymábili voce testátur. Si quidem primo statu vita nascéntium : quæ ad omnem suspécta cursum : in tribulatióne ágitur. Júftiùs ergo isti celebrántur natáles, quibus sancti ex corruptíbili luce in novam illam futúri sæculi véniunt claritátem ; & filij hóminum in adoptiónem divinæ paternitátis ascéndunt : & consórtes paulò antè mortálium, súbitò cives insipiunt esse Angelórum. Ex eórum número erat beátus ille ; cujus hódie præclárum gloriósi agónis : celebrámus triúmphum. Tu autem.

In die octava, semid. majus. Omnia ut in die, præter Lectiones. Ad Vesperas Antiph. & Psalmi de Feria occurr. Capitulum. ℣. *Antiphona.* Ad Magnificat, *ut in primus Vesperis diei duæ Processiones & Orationes ut notantur.*

Reliqua omnia ut in die Festi præter Lectiones.

Ad Completorium. Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.
De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex laudat. S. Iuliani Martyris.

Lectio iv.

VOciferátus est iste Martyr cum Paulo dicénte; Deo autem grátias qui triúphat nos in Christo. Quantò afflictiónem témporis diuturnitáte protendébat tyránnus: tanto probatiórem patiéntiam ejus reddébat. Nam & aurum, quo diútiùs cum ignis natúrâ versátur, púrius evádit: quemádmodum & tùm sancti ánima, témpore examináta magis refulgébat; nec áliud quiddam: quàm trophæum advérsùs seípsum & diábolum Mártyrem circumferébat, crudelitátis Gentílium argumentum; Christianórum pietátis judícium; virtútis Christi signum máximum incitaméntum & consílium fidélibus: ut prompto & álacri ánimo in iísdem certamínibus persevérent; divínæ glóriæ præcónem: tálium certáminum disciplínæ magístrum. Cunctos enim ad imitatiónem sui non voce tantum suádens; sed factis ipsis: tubâ clariórem mittens vocem, cohortabátur. Tu autem Dómine.

Lectio v.

SAnctus N. Martyr in médium producebátur, & acérba úndique supplícia circumstábant; metus futurórum; labor præséntium; dolor ingruéntium: eórum quæ expectabátur formído. Tanquam enim béllux quædam immánes carnífices corpus ejus circunsidéntes; látera effodiébant; carnem derabébant; ossa denudábant: víscera ipsa interióra pervádebant. Attámen cùm cuncta pervestigárent: thesáurum fidei deprædári minímè valuérunt. Enim verò in Regum æráriis, ubi aurum aliæque copiósæ sunt opes recónditæ: si paríetes solùm perfóderis; si fores reseráveris; contínuo thesáurum objéctum vides: at hic in sancto isto; Christúmque continénti templo: contrárium accidébat. Perfodiébant muros carnífices; pectoráque dirumpébant: & recónditas opes, nec cernébant, nec rápere póterant. Tu autem. *Lectio vj.*

CUm corpus Mártyris undequáque scruta-

réntur; thesáurum tamen deprehéndere: fideíque divítias exhauríre non valébant. Tália sunt ánimæ sanctórũ rectè facta, quæ nec aufférri nec vinci possunt; in ánimæ fortitúdine tanquàm in ásylo quodam & sacrosáncto loco recóndita: ut nec óculi tyrannórum ea cernant, nec manus carníficum rápere possint. Sed licet ipsum cor effódiant, cui præcipuè crédita est ánimæ fortitúdo; licet in minúta frusta concídant; ne sic quidem opes exháuriunt: sed eas amplióres étiam reddunt. Hujus rei causa Deus est, qui ánimas tales inhábitat; qui verò Deo bellum ínferat. fieri nequit unquam, ut victor evádat: sed necésse est, ut ludíbriis hábitus, turpitérque superátus abscédat. Tu autem.

In tertio Nocturno.

Lectio vij.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Luc. 9.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Si quis vult post me veníre; ábneget semetípsum: & tollat crucem suam quotídie, & sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet illam; nam qui perdíderit ánimam suam propter me: salvam fáciet illam. Et réliqua.

Homília sancti Gregórij Papæ.

Homil. 32. in Evangelia.

NOn súfficit nostra relínquere: nisi relinquámus & nos. Quid est quod dícimus; relinquámus & nos: Si enim nosmetípsos relínquimus: quò íbimus extra nos. Vel quis est qui vadit: si se déserit. Sed áliud sumus per peccátum lapsi: áliud per natúram cõditi; áliud quod fécimus: aliud quod facti sumus. Relinquámus nosmetípsos, quales peccándo nos fécimus: & maneámus nosmetípsi, quales per grátiam facti sumus. Ecce enim qui supérbus fuit; si convérsus ad Christum húmilis factus est: semetipsum réliquit. Si luxuriósus quisque ad continéntiam vitam mutávit: abnegávit útiquè quod fuit. Si avárus quisque ambíre jam désiit; & largíri

largíri dídicit própria, qui prius rapiébat aliéna: proculdúbio semetípsum relíquit. Ipse quidem est per natúram: sed non est ipse per malítiam. Tu autem Dómine.

Lectio viij.

TUnc ergo nosmetípsos relínquimus, tunc ipsos nos abnegámus; cũ vitámus quod per vetustátem fúimus: & ad hoc nítimur, quò per novitátem vocámur. Pensémus quõmodò se Paulus abnegáverat: qui dicébat. Vivo autem: jam non ego. Extinctus namque fúerat sævus ille persecútor: & vívere cæperat pius Prædicátor. Si enim ipse esset qui priùs: pius profécto non esset. Sed qui se vívere dénegat: dicat. Vivo autem: jam non ego. Unde & post sancta verba, quæ per doctrínam veritátis clamat; prótinùs subdit: Vivit verò in me Christus. Ac si apértè dicat; Ego quidem à meipso extínctus sum: quia carnáliter non vivo; sed tamen essentiáliter mórtuus non sum: quia in Christo spirituáliter vivo. Tu autem.

Lectio ix.

SEd jam qui se à vítiis ábnegat; exquiréndæ ei virtútes sunt: in quibus crescat. Nam cùm dictum est, qui vult post me veníre, ábneget semetípsum; prótinus ádditur: tollat crucem suam quotídie & sequátur me. Duóbus étenim modis crux tóllitur; cùm aut per abstinéntiam afficitur corpus: aut per cõpassiónem próximi afflígitur ánimus. Pensémus quáliter utróque modo Paulus crucem suam túlerat: qui dicébat. Castígo corpus meum, & in servitútem rédigo; ne fortè áliis prædicans: ipse réprobus efficiar. Ecce in afflictióne córporis audívimus crucem carnis; audiámus nunc in compassióne próximi: crucem mentis. Ait enim. Quis infirmátur, & ego non infirmor? Quis scandalizátur, & ego non uror? Perféctus quippe prædicátor; ut exémplum daret abstinéntiæ: crucem portábat in córpore. Et quia in se trahébat damna infirmitátis aliénæ: crucem portábat in corde. Tu autem.

Ad Laudes & Horas ut in die ad Vesperas. Aña & Psalmi de Feria occurrente Capitulum Versus & Antiph. ad Magnificat, *ut in die. Ad Processionem primum Responsorium, Officij diei sequentis.*

Oratio conveniens.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera.iij

COMMUNE *Plurimorum Martyrum.*

Ad Vesperas si sit Festum dupl. Aña. Justórum ánimæ. *cum reliq. de Laudib. Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica. sed loco ult. Psal.* Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Si non sit Festum duplex, ad Vesperas Antiph. & Psalmi de Feria occurr.

Capitulum. Sap. 5.

JUsti in perpétuum vivent; & apud Dñm est merces eórũ: & cogitátio illórum, apud Altíssimum.

℣. Justórum ánimæ in manu Dei sunt.

℟. Et non tanget illos torméntum malítiæ.

Ad Magnificat, Aña. Beáti erítis cum vos óderint hómines, & cum separáverint vos, & exprobráverint; & ejécerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hóminis: gaudéte & exultáte, ecce enim merces vestra multa est in cælo.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos concédis Sanctórum Mártyrum tuórum N. & N. natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine, de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Ad primam Processionem

℟. Abstérsit Deus omnem láchrymam ab óculis eórum, & mors non erit ámplius; neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor: * Quóniam prióra transiérunt.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui gloriósos Mártyres N. & N. fortes in sua Confessióne cognóvimus: pios apud te, in nostra intercessióne sentiámus. Per Dñm.

Ad secundam Processionẽ.

℟. Isti sunt Sancti, qui passi sunt propter te Dómine; víndica eos: * Qui clamant ad te quotídie.

Orémus. *Oratio.*

INfirmitátem nostram quæsumus Dómine propítius

pitius réspice ; & mala ómnia quæ justè merémur: Sanctórum tuórum intercessióne avérte. Per.

Ad Completorium, Hymnus. Ætérna Christi múnera. *fol.* iij.

Ad Matutinum, Invitat. Regem Mártyrum Dñm veníte adorémus. *Psalm.* Veníte exultémus. 2.

In primo Nocturno.

Aña. Sancti qui sperant.

Psalmus 1.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiôrum:* & in via peccatórum non stetit: * & in cáthedra pestiléntiæ, non sedit.

Sed in lege Dómini, volútas ejus:* & in lege ejus meditábitur, die ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quòd plantátum est, secus decúrsus aquárum:* quod fructum suum dabit, in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcúnque fáciet, prosperabũtur.

Non sic ímpij non sic: * sed tanquam pulvis, quem prójicit ventus, à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpij in judicio: * neque peccatóres, in concílio justórũ.

Quóniam novit Dóminus, viam justórum: * & iter impiórum períbit.

Glória Patri.

Aña. Sancti qui sperant in Dño mutábũt fortitúdinẽ assúmẽt pennas ut áquilę, volábunt & non deficient.

Aña. Ecce merces Sanctórum. *Psalmus* 2.

QUare fremuerunt gentes: * & pópuli meditáti sunt inánia.

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsùs Dñm, & advérsûs Christũ ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis, jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos, in ira sua: * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus: * prædicans præcéptũ ejus.

Dóminus dixit ad me, filius meus es tu:* ego hódie génui te:

Póstula à me; & dabo tibi gentes hæreditátem tuam: * & possessiónem

tuam, términos terræ.

Reges eos in virga ferrea: * & tanquam vas figuli, confrínges eos.

Et nunc reges intellígite.* erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre:* & exultáte ei, cũ tremóre.

Apprehéndite disciplínam:* nequándo irascátur Dóminus, & pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus:* beáti omnes, qui confidunt in eo.

Glória Patri.

Aña. Ecce merces sanctórum copiósa est apud Deũ, ipsi enim mórtui sunt pro Christo, & vivunt in ætérnum. *Aña.* Justi autem.

Psalmus 3.

DOmine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me:* multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ:* non est salus ipsi, in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es:* glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi:* & exaudívit me, de monte sancto suo.

Ego dormívi & soporátus sum:* & exurréxi quia Dóminus, suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circundántis me: * exúrge Dómine salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus:* & super pópulum tuum, benedíctio tua. Glória Patri.

Aña. Justi autem in perpétuum vivent, & apud Dñm est merces eórum.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte justi.

℟. Et gloriámini omnes recti corde. Pater noster.

Deprec. Exúrge. Súscipe.

Benedictio. Adjútor.

De Epístola B. Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 8.

FRatres, debitóres sumus non carni, ut secúndùm carnem vivámus. Si enim secúndùm carnem vixéritis moriémini; Si autem spíritu, facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim Spíritu Dei agúntur, ij sunt filij Dei. Non enim accepístis Spíritum servitútis iterùm in timóre; sed accepístis

cepístis Spíritum adoptiónis filiórum : in quo clamámus, Abba, Pater. Ipse enim Spíritus testimóniũ reddit spirítui nostro: quod sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes ; hæredes quidem Dei : cohæredes autem Christi. Si tamen compátimur : ut & conglorificémur. Exístimo enim quod non sunt condígnę passiónes hujus témporis : ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ : revelatiónem filiórum Dei expéctat. Tu autem.

℞. Abstérsit Deus omnem láchrymam ab óculis eórum ; & mors non erit ámpliùs, neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor : * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum malítiæ. Quóniam. *Bened.* Benedictiónibus suis. *Lectio ij.*

SCimus autem quóniam diligẽtibus Deum ; ómnia cooperántur in bonũ: iis qui secúndùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit ; & prædestinávit confórmes fieri imáginis filij sui : ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos & vocávit ; & quos vocávit, hos & justificávit : illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc ? Si Deus pro nobis, quis contra nos ? Qui étiam próprio filio non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum ; quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit : Quis accusábit advérsùs eléctos Dei : Deus qui justíficat ; quis est qui condémnet : Christus Jesus qui mórtuus est, imò qui & resurréxit ; qui est ad déxteram Dei : qui étiam interpéllat pro nobis. Tu autem.

℞. Isti sunt Sancti, qui passi sunt propter te Dómine ; víndica eos : * Quia clamant ad te quotídie. ℣. Víndica Dómine sánguinem Sanctórum tuórum qui effúsus est. Quia clamant. *Bened.* Cæléstem benedictiónem.

Lectio iij.

QUis ergo nos separábit à charitáte Christi : tribulátio, an angú-

ſtia, an fames, an núditas, an perículum, an perſecútio, an gládius; Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificámur tota die, æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis. Sed in his ómnibus ſuperámus: propter eum qui diléxit nos. Certus ſum enim; quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principátus, neque virtútes, neque inſtántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos ſeparáre à Charitáte Dei: quæ eſt in Chriſto Jeſu, Dómino noſtro. Tu autem.

℟. Beáti pacífici; beáti mundo corde, quóniam ipſi Deum vidébunt: * Et filij Dei vocabúntur.

℣. Beáti qui perſecutiónem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum eſt regnum cælórum. Et filij. Glória Patri. Et filij Dei.

In ſecundo Nocturno.

Aña. Juſtus Dóminus.

Pſalmus 10.

IN Dómino confido: * quómodò dícitis ánimæ meæ, tranſmígra in montem ſicut paſſer.

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum: * paravérunt ſagíttas ſuas in pháretrâ: * ut ſagíttent in obſcúro, rectos corde.

Quóniam quæ perfecíſti, deſtruxérunt: * juſtus autem quid fecit.

Dóminus in templo ſancto ſuo: * Dóminus in cælo ſedes ejus.

Oculi ejus in páuperem reſpíciunt: * pálpebræ ejus intérrogant, filios hóminum.

Dóminus intérrogat juſtum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam ſuam.

Pluet ſuper peccatóres láqueos: * ignis & ſulphur, & ſpíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam juſtus Dóminus & juſtítias diléxit: * æquitátem vidit vultus ejus. Glória Patri,

Aña. Juſtus Dóminus, juſtítias diléxit, æquitátem vidit vultus ejus.

Aña. Via juſtórum.

Pſalmus 14.

DOmine quis habitábit in tabernáculo tuo: * aut quis requiéſcet, in monte

monte sancto tuo.

Qui ingréditur sine macula : * & operátur justítiam.

Qui lóquitur veritátem in corde suo : * qui non egit dolum, in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum : * & oppróbrium non accépit, advérsùs próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est, in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo & non décipit : * qui pecúniam suam non dedit ad usúram : * & múnera super innocéntem, non accépit.

Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum.

Glória Patri.

Añа. Via justórum recta facta est, & iter Sanctórum præparátum est.

Añа. Sanctis qui in terra sunt.

Psalmus 15.

Consérva me Dómine, quóniam sperávi in te : * dixi Dómino Deus meus es tu :* quóniam bonórum meórum, non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus : * mirificávit omnes voluntátes meas, in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * posteà acceleravérunt.

Non congregábo convénticula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum, per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei : * tu es qui restitues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris :* étenim hæréditas mea, præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum : * ínsuper & usquè ad noctem, increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in cõspéctu meo semper :* quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc, lætátum est cor meũ, & exultávit lingua mea :* ínsuper & caro mea, requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * neque dábis sanctum tuum, vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ : * adimplébis me lætítia

lætítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua, usque in finem.

Glória Patri.

Aña. Sanctis qui in terra sunt ejus, mirificávit omnes voluntátes meas, inter illos.

℣. Justus Dóminus, justítias diléxit.

℟. Æquitátem vidit vultus ejus. Pater noster. *Deprecatio.* Osténde nobis Dómine. *Benedict.* Deus Dei filius.

De Sermóne S. Euchérii Lugdunénsis Episcopi: *Sermone de sancto Genesio sub finem.*

Lectio iv.

QUam pretiósa sunt mártyrum vúlnera, quam gloriósa certámina, inter quæ torméntis vivẽtes, & mórtibus triúmphantes, vexáti in paucis, bené disponúntur in multis. Coram homínibus afflícti; coram Angelis glorificándi? brevem Deo vitam, sub æternitátis commércio fœneravérunt. Et ideò sicut aurum in fornáce ignis; ita illi in camíno tribulatiónis probáti fulgébunt sicut sol. De quibus per beátum Joánnem vox divína testatur; Hi sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, & lavérunt stolas suas, & cándidas eas fecérunt in sánguine Agni: propter hoc stabunt in conspéctu throni. Hos ergo charíssimi ita mirémur, ut hómines fuísse meminérimus; hos inquam ita mirémur, ut eos nostri símiles novérimus, & sub eádem quâ nos sumus, carnis fragilitáte vixisse: & per hoc sequámur inquántum póssumus fidem illórum, sectémur ánimi virtútem; quâ terréna & pręséntia respuéntes? viam regnis cæléstibus intulérunt. Tu autem.

℟. Beáti éritis, cum maledíxerint vobis hómines, & persecuti vos fúerint, & díxerint omne malum advérsum vos mentiéntes, propter me. * Gaudéte & exultáte, quóniam merces vestra copiosa est in cęlis. ℣. Cum vos óderint hómines, & cum separáverint vos, & exprobráverint, & ejécerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hóminis. Gaudéte. *Bened.* Ætérnam benedictiónem.

Lectio

Lectio v.

SUperavérunt illi córporum dolóres: nos superémus morum, & córdium passiónes. Vicérunt illi torménta: nos vítia. Illi sacrificáre dæmóniis horruérunt; nos malítiã, invídiam, obtrectatiónes, contentiónes: tanquam prophána sacrificia detestémur. Ut inter huiusmundi conflictiónis vítia; persecutóres virtútis probent esse nos mártyres. Persequámur in nobis peccáta, & iniquitátes nostras. Expugnémus supérbiam: debellémus iracúndiam. Ipsi in nobis & persecutóres partes exequámur, & mártyrum; per castigatiónem vigiliárum, per contritiónem jejuniórum, & per custódiam castitátis: exhibeámus córpora nostra hóstiam vivéntem, sanctam, placéntem Deo. Tu autem.

℟. Effudérunt sánguinem sanctórum velut aquam: * In circúitu Jerúsalem, & non erat, qui sepelíret. ℣. Posuérunt mortália servórum tuórũ escas volatílib⁹ cæli. In circúitu. *Benedict.* Grátia Spíritus sancti.

Lectio vj.

ACquirámus nobis novum, non carnis morte, sed carnális vitæ mortificatióne mártyrium; ut de nobis quoque étiam vivéntibus dici possit: Pretióſa in conspéctu Dómini, mors sanctórum ejus. Ergò in quantum fieri potest extinguátur in nobis quicquid peccáti est: mortificétur morti quod sæculi est, ut pretióſa perficiátur: in conspéctu Dómini: mors vivéntium. Ut animositátes, cupiditátes, atque præséntiũ blandiménta rerum; sicut ea mors extorquébat invítis: ita ea nobis veritas fidei, & Dei áuferat timor. Ut non necéssitas ea à nobis séparet, sed volúntas: ut términum vítiis, ut finem concupiscéntiis, ac delíctis nostris non intéritus fáciat: sed proféctus. Tu autem.

℟. Adoravérũt vivéntem in sæcula sçculórum, mitténtes corónas suas, * Ante thronum Dómini Dei sui. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos. Ante thronum. Glória

ria Patri. Ante thronum.

In tertio Nocturno.

Aña. Hæc est generátio.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in monté Dómini: * aut quis stabit, in loco sancto ejus.

Innocens mánibus & mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam suam: * nec jurávit in dolo, próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ: * Dóminus fortis & potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ: * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri.

Aña. Hæc est generátio quæréntium Dñm, quærétium fáciem Dei Jacob.

Aña. Clamavérunt.

Psalmus.

BEnedícam Dóminũ in omni témpore: * semper laus ejus, in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * & exaltémus nomen ejus, in idípsum.

Exquisívi Dóminum & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónib⁹ meis, erípuit me.

Accédite ad Deum & illuminámini: * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dñs exaudívit eum: * & ex ómnibus tribulatiónibus ejus, salvávit eum.

Immíttit Angelus Dómini, in circúitu timéntiũ eum: * & erípiet eos.

Gustáte & vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Tĩméte

Timéte Dóminum omnes sancti ejus:* quóniam non est inópia, timéntibus eum.

Dívites eguérunt, & esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum, non minuéntur, omni bono.

Veníte filii audíte me: * timórem Dómini, docebo vos.

Quis est homo, qui vult vitam: * díligit dies, vidére bonos.

Prohíbe linguam tuam à malo: * & lábia tua, ne loquántur dolum.

Divérte à malo & fac bonum: * inquire pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos: * & aures ejus, ad preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra, memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dñs exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum, liberávit eos.

Juxta est Dñs iis, qui tribuláto sunt corde: * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: * & de ómnibus his, liberábit eos Dñs.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his, non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum delinquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * & non delínquent omnes, qui sperant in eo.

Glória Patri.

Antiphona. Clamavérunt justi & Dóminus exaudívit eos. *Aña.* Dedísti.

Psalmus.

EXáudi Deus, deprecatiónem meam: * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi, dum anxiarétur cor meum: * in petra exaltásti me.

Deduxísti me quia factus es spes mea: * turris fortitúdinis, à fácie inímici.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula: * prótegar in velaménto, alárum tuárum.

Quóniam tu Deus exaudísti oratiónem meam: * dedísti hæreditátem timéntibus, nomen tuum.

Dies super dies Regis adjícies: * annos ejus usque in diem generatiónis, & generatiónis.

Pérmanet

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam & veritátem ejus, quis requíret.

Sic Psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : * ut reddam vota mea, de die in diem.

Glória Patri.

Aña. Dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum Dómine.

℣. Justi in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Pater noster.

Deprecatio. Adjutórium nostrum.

Benedict. Redémptor.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio ij. Cap. 21.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis. Cùm audiéritis prælia & seditiónes nolíte terréri ; oportet primum hæc fieri : sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis ; surget gens contra gentem : & regnum advérsùs regnum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 34. in Evangelia.

MOrs justórum bonis in adjutórium est, malis in testimónium ; ut inde pervérsi sine excusatióne péreant? unde elécti exémplum cápiunt, ut vivant. Nam audítis tot terróribus turbári póterant infirmórum corda ; atque ideò consolátio adjúngitur : cùm protinùs subinfértur. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári, quemádmodum respondeátis. Ac si apértè membris suis infirmántibus dicat ; nolíte terréri : nolíte pertiméscere. Vos ad certámen accéditis : sed ego prælior. Vos verba éditis : sed ego sum qui loquor. Séquitur. Tradémini autem à paréntibus. Minórem dolórem mala ingérunt : quæ ab extráneis inferúntur. Plus verò in nobis ea torménta sæviunt, quæ ab illis pátimur de quorum méntibus præsumebámus : quia cum damno córporis : mala nos crúciant amíssæ charitátis. Tu autem.

℟. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis, terra appáruit árida : * Et in mari rubro,

rubro, via sine impediménto. ℣. Sitiérunt & invocavérunt te, & data est illis aqua de petra altíssima. Et in mari. *Bened.* Unigénitus Dei filius:

Lectio vij.

CApíllus de cápite vestro non períbit. Scimus fratres quia caro incísa dolet: capíllus incísus non dolet. Ait ergo Martyribus suis, capíllus de cápite vestro non períbit, vidélicèt apértè dicēs: Cur timétis ne péreat quod incísum dolet: quando & illud in vobis períre non potest quod incísum non dolet. Séquitur. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. Idcírcò posséssio ánimæ in virtúte patiéntiæ pónitur: quia radix ómnium custósque virtútum patiéntia est. Per patiéntiam verò possidémus ánimas nostras; quia dum nobis ipsis dominári díscimus: hoc ipsū incípimus possidére quod sumus. Patiéntia verò est: aliéna mala æquanímiter pérpeti; contra eum quoque qui mala írrogat: nullo dolóre mordéri. Tu autem.

℟. Anima nostra sicut passer erépta est, * De láqueo venántium. ℣. Láqueus, contrítus est, & nos liberáti sumus. De láqueo. *Benedictio.* Ad supernórum.

Lectio ix. Sub finem.

SEd quia natálem Mártyrum hodiérna die cólimus fratres mei nequáquam nos à virtúte eórum patiéntiæ: existimáre extráneos debémus. Si enim adjuvánte nos Dómino virtútem patiéntiæ serváre conténdimus; & in pace Ecclésiæ vívimus: & tamen martyrii palmam tenémus. Duo quippe sunt mártyrii génera; unum in mente: áliud in mente simul, & actióne. Itaque esse mártyres póssumus: étiamsi nullo ferro percutiéntium trucidémur. Mori quippè à persequénte; martyrium in apérto ópere est: ferre verò contumélias; odiéntem dilígere: Martyrium est in occúlta cogitatióne. Tu autem Dómine.

℟. Laudáte gentes pópulum Dómini, quia sánguinem sanctórum suórum ulciscétur: * Et propítius erit

erit terræ pópuli sui. ℣. Et vindictá retríbuet in hostes eórum. Et propítius. Glória Patri. Et propítius.

Si verò fuerit Festum duplex vel occurrerit in Dominica, non dicitur, Glória Patri. *Quia dicitur* Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphona.

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt & non tanget illos torméntum malítiæ.

Psal. Dóminus regnávit. *cum reliq. de Dominic.* 20.

Aña. Etsi coram homínibus torménta passi sunt; spes electórum immortalitáte plena est.

Aña. Tanquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus; & quasi holocáusta, accépit illos.

Aña. Spíritus & ánimæ justórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúia, allel.

Aña. Exultábunt Sancti in glória lætabúntur in cubílibus suis.

Capitulum. Sap. 5.

JUsti in perpétuum vivent; & apud Dóminum est merces eórum: & cogitátio illórum apud Altíssimum.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei.

℟. Delect, éntur in lætítia.

Ad Benedictus, Antiph. Fulgébunt justi, & tanquam scintíllæ in arundinéto discúrrent; judicábunt natiónes, & vivunt in ætérnum.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrũ tuórum N. & N. natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine, de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam; Capitul. Justi in perpétuum vivẽt; *ut suprà.* ℟. Sancti tui Dómine benedícent te. Sancti tui. ℣. Glóriam regni tui dicent, & poténtiam tuam loquéntur. Sancti tui. Glória Patri. Sancti tui. ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Delecténtur in lætítia.

Oratio. Deus qui nos concédis sanctórum Mártyrum. *ut suprà.*

Ad Sextam, Capitulum. Heb. 11.

SAncti per fidem vicérunt regna: operáti sunt justítiam: adépti sunt repromissiónes.

℟. Exúltent

℟. Exúltent justi in conspéctu Dei. *Repet.* Exúltent justi. ℣. Delecténtur in lætítia. Exúltent justi. Glória Patri. Exúltent.

℣. Lætámini in Dómino & exultáte justi.

℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta quæsumus omnípotens Deus; ut qui gloriósos Mártyres N. & N. fortes in sua confessióne cognóvimus: pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Ad Nonam, Capitulum. Sap. 3.

FUlgebunt justi, & tanquam scintíllæ in arúndinéto discúrrent; judicábunt natiónes & dominabúntur pópulis: & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. Lætámini in Dómino & exultáte justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Lætámini. Glória Patri Lætámini.

℣. Justi in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Orémus. *Oratio.*

INfirmitátem nostram quæsumus Dómine propítius réspice; & mala ómnia quæ justè merémur: Sanctórum tuórum intercessióne avérte. Per Dóminum.

Ad Vesperas si sit Festum duplex. Antiphona. Justórum ánimæ. *cum reliquis de Laudibus. Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalmus.* Crédidi.

Si autem non fuerit Festum duplex, Antiph. & Psalmi de Feria occurrente. Capitulum. Justi in perpétuum vivent. *ut sup.* ℣. Justórum ánimæ in manu Dei sunt. ℟. Et non tanget illos torméntum malítiæ.

Ad Magnificat, Aña. Sancti per fidem vicérnnt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt promissiónes.

Oratio. Deus, qui nos concédis. *ut suprà.*

Ad Processionem primum Respons. Officij diei seq.

Oratio conveniens.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera.

In Festo plurimorum Martyr. iij. Lect. ad Vesp. Aña. & Psalmi de Feria occurr. Capitul. ℣. ut sup.

ad

Ad Magnificat, Aña. Isti sunt Sancti qui pro testamẽto Dei, sua córpora tradidérunt, & in sánguine Agni lavérunt stolas suas:

Si verò Festum plurimor. Mart. iij. Lect. bis in eadem Hebdom. celebretur, tunc ad Vesperas secundi Festi, dicitur. Ad Magnificat, Aña. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad præmia regni & lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio propria vel de Communi.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij

Ad Matut. Invitat. Regem Mártyrum Dóminum. *Novem Antiphonæ & novem Psalmi ut suprà, Ritu quo notatum est in Communi Apostolorum, Versus primi Nocturni.* Lætámini in Dómino. *In omnibus Festis trium Lectionum dicitur similiter Versus primi Nocturni.*

Deprecatio & Benedictiones, eodem ritu, quo notatum est suprà in Communi Apostolorum. xx. *duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente & duabus ad libitum fit una tertia ut notatur in proprio ad Laudes. Omnia ut suprà. Antiphona Ad Benedict.* Tradent enim vos in concíliis, & in synagógis suis flagellábunt vos, & ad reges & præsides ducémini, propter me, in testimónium illis, & géntibus.

Si verò Festum plurimorum Martyrum iij. Lect. bis in eádem Hebdom. celebretur. Tunc ad Laudes secundi Festi, dicitur ad Benedict. Antiphona. Vestri capílli cápitis, omnes numeráti sunt, nolíte tímere multis passéribus melióres estis vos. *Cætera dicuntur ut suprà.*

Si contingat celebrari octavam de pluribus Martyribus. Officium infra oct. fit ut suprà in Festo trium Lect. ritu quo notatum est in Communi Apostolorum,

Invitatorium, novem Antiph. & novem Psalmi ut in die Festi. Duæ primæ Lectiones de Script. occurr. Tertia verò ut notatur infra pro qualibet die.

Ad Laudes & Horas ut in communi. Ad Vesperas Antiphona & Psalmi de Feria occurr. Capitulum, Versus,

Versus, & Antiphona ad Magnificat ut in secundis Vesperis Festi.

Ad Completorium, Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij.

Die secunda infra octavam.

De Sermóne S. Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

Lib. 2. Epistolar. epist. 6.

Lectio iij.

QUibus ergo vos láudibus prædicem, fortíssimi fratres; robur péctoris vestri, & perseverántiam fidei: quo præcónio vocis exórnem. Toleràstis usque ad consummatiónem glóriæ, duríssimam quæstiónem; nec cessístis suppliciis: sed vobis pótiùs suplícia cessérunt. Finem dolórum, quem torménta non dabant: corónæ dedérunt. Laniéna grávior ad hoc diu perseverávit; non ut stantem fidem dejíceret: sed ut hómines Dei, ad Dóminum velócius mítteret. Vidit admírans præséntium multitúdo cæléste certámen; certámen Dei; spirituále certámen: prælium Christi. Stetísse servos ejus voce líbera; mente incorrúpta; virtúte divína: telis quidem sæculáribus nudos; sed armis fidei credéntes armátos. Stetérunt torti, torquéntibus fortióres; & pulsántes ac laniántes úngulas: pulsáta ac laniáta membra vicérunt. Inexpugnábilem fidem superáre non pótuit sæviéntis diù plaga repetíta; quamvis ruptâ compáge víscerum, torqueréntur in servis Dei: non jam membra seu vúlnera. Fluébat sanguis; qui incéndium persecutiónis extíngueret: qui flammas & ignes gehénnæ, glorióso cruóre sopíret. Tu autem Dómine.

Die tertia infra Octav.

De Sermóne S. Ephrem Ecclésiæ Edessénæ Diáconi.

Serm. de laudibus sanctorum Martyrum.

Lectio iij.

QUibus ergo vos prædicem ô perfécti mílites Christi; aut quómodo appéllem vos, ínclyti atque beatíssimi viri? Quis vestræ fidei laudes explicáre sufficiat? Obstúpuit nempe Oratórum facúndia; Philosophorúmque sapiéntia: dum cernúntur

mirabília

mirabília in Christi fámulis fieri. Judícibus ac Tyrannis verba defecérunt; sanctórum Mártyrum cōstántiam & alacritátem : immēsámque athletárum Christi toleránciam aspiciéntibus. Nam dum lictórum manus eórum membra torquérent; viscceráque nudárent; non mœréntes aspexére, non tristes : nec solùm inter cruciátus gémitum nō edéntes; verùm lætióre fácie: gáudia ætérna testántes. Quippe illis ea erant torménta pro réquie: & carnífices óbsequi pótiùs, quam sævíre videbántur. Nos autem fratres; quam óbsecro apud Deum in die judícij excusatiónē habitúri sumus; qui sine persecutiónis atrocitáte, & cruciátibus váriis, charitátem Dei, vitámque nostram ita negligimus : ac tanto córporis somno demérsi sumus. Tu autem.

Die quarta infra Octavam.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 335. edit. Bened.

Lectio iij.

SEd nunquid sancti Mártyres periérunt : quandò securitátem à Dómino étiam de capíllo accepérunt. Perit manus; ubi non perit pilus ? Perit caput : ubi non perit capíllus? Ubi non perit pálpebra; perit óculus ? Hac ergò acceptâ magnâ securitáte: impendérunt seípsos. Opéribus ergo bonis seminémus, cùm tempus est : dicénte Apóstolo; qui parce séminat : parce & metet. Infatigábiles inquit, cum tempus habémus : operémur bonum ad omnes : máximè autem ad domésticos fidei. Et iterùm. Bonum, inquit, faciéntes non deficiámus: témpore enim suo metémus. Qui defécerit in sémine : non gaudébit in messe. Quare ergo in láchrymis; cum ómnia opera bona habére débeant hilaritátem ? Et quidem de Martyribus dici potest : quia cum láchrymis seminavérunt. Fórtiter enim certavérunt : & in magnis tribulatiónibus fuérunt. Tu autem.

Die quinta infra Oct.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 335. edit. Benedict. in natali Martyrum.

Lectio

Lectio iij.

QUóniam dies Sanctórum Mártyrum est: unde pótiùs áliquid deléctet nos dícere; nisi de glória ipsórum? Adjuvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus paulò antè, beátum Apóstolum prædicántem. Quis nos separábit à Charitáte Christi? Ista vox est, Mártyrum. Tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? Sicut scriptum est. Propter te mortificámur tota die: deputáti sumus, ut oves occisiónis. Sed in ómnibus superámus: propter eum, qui diléxit nos. Hæc est vox Mártyrum, ómnia toleráre,& de se nihil præsúmere;illum dilígere,qui glorificátur in suis: ut qui gloriátur in Dómino gloriétur. Tu autem.

Die sexta infra octav.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Sermone 331. edit. Bened. in natali Martyrum.

OPtimè dicunt sancti Mártyres in Psalmo. Júdica me, Deus & discérne causam meam: de gente non sanctâ. Discérne, inquit, tribulatiónem meam; tribulántur, & avári: Discérne angústias meas,patiúntur angústias, & avári. Discérne persecutiónes meas: patiúntur & avári.Discérne mortem meam: pro auro moriúntur, & avári. Quid est, discérne causam meam? Propter te mortificámur tota die. Illi propter aurum: nos propter te. Símiles pœnæ; sed discréta causa: ubi ergò est discréta causa, certa est victória. Si ergo causam intueámur; solemnitátes Mártyrum amámus: amámus in eis, non passiónes, sed causas passiónum. Nam si amarémus passiónes; multos inventúri sumus: qui pejóra patiúntur in causis malis. Sed si causam attendámus: crucem Christi atténdite. Ibi erat Christus, ubi & latrónes. Símilis pœna: sed dissímilis causa. Unus latro crédidit, álius blasphemávit. Dóminus tanquàm de tribunáli: inter ambos judicávit. Illum qui blasphemávit; in Tártarum damnávit: álium in Paradíso

secum constituit. Quare hoc? quia etsi æquális pœna: sed impar erat causa. Elígite ergo Mártyrum causas: si vultis pervenire, ad Mártyrum palmas. Tu autem.

Die septima infra Octavam.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 328. edit. Benedict. in natali Martyrum.

Lectio iij.

IN Psalmo díximus Dómino Deo nostro. Pretiósa est in conspéctu Dómini: mors Sanctórum ejus. Pretiósa est mors sanctórum Mártyrũ: quia prétium eórum, sanguis Dómini ipsórum. Passus est enim passióne suâ: quia erant passúri post ipsum. Præcéssit ipse: & secúti sunt multi. Valdè enim erat áspera via; sed fecit ipsam lenem: quandò ipse antè omnes transívit. Ideò cæteri non timuérunt trãsíre: quia ipse prior transívit. Mórtuus est enim, & térruit discípulos suos; Resurréxit, & ábstulit illis timórem: & dedit amórem. Quandò enim mórtuus est Christus; trepidavérunt discípuli: & putavérunt quòd périit. Quandò secúti sunt: ibi vidéte grátiam Dei. Tunc latro crédidit: quandò discípuli trepidavérunt. Erat enim unus latro in cruce cum illo; sicque in illum crédidit ut díceret: Dómine in mentem me habe, dum véneris in regnum tuum. Quis illum docébat, nisi qui juxta illum pendébat? Erat enim illi fixus à látere: sed habitábat in corde. Tu autem.

In die Octava; Semidup. majus. Omnia ut in die.

Ad Vesperas Añæ & Psalmi de Feria occurrente Capit. ℣. Aña ad Magnificat *ut in primis Vesperis. Duæ Processiones ut ibidẽ.*

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne sancti Fulgéntij Epíscopi.

Sermone de Martyribus.

Lectio iv.

DElectat vidére campos ségetum, áureis maturátis cálamis aristárum; & delectabílius libet attendere

atténdere campos Ecclésiæ? Mártyrum micántes plantas, de uno cruóre per Agni sánguinem innocéntem. Ségetes étenim sunt passiónes Mártyrum; juxta cursus aquárum? rigáti fóntibus lachrymárum. Nam sic modo beátus David? Mártyrum purpuráta gérmina decantábat. Qui séminant, inquit, in láchrymis? in gáudio metent. Ubi séminant in láchrymis; nisi juxta árborem crucis, ubi est fons próximus salvatóris? Indè de látere ejus sánguinis guttæ stillárunt; & plúviâ cruóris & aquæ? semináta est tolerántia Confessórum. De ipso ligno viréntis crucis; juxta fontem sánguinis? plantáta virgínitas flóruit castitátis. Inde plantáta Mártyrum tolerántia? cæpit séminis sui gérmina collígere purpuráta. Tu autem.

Lectio v.

NAm unde Mártyres tólerant; nisi per Domínicam crucem? Unde Mártyres, in quorum córdibus lex Dei est, maledictiónes non timent hóminum; nisi quia Christus Dóminus pértulit patiénter impropéria Judæórum? Unde Mártyres cárcerum custódias delectábat intráre; nisi quia Dóminus ductus est ad prætóriū Príncipis Cáiphæ? & noctúrnum crudélis prætórij cárcerem, non dedignátus est sustinére. Sed dicébat, tráditus sum, & non egrediébar. Unde Mártyres de caténis, & vínculis férreis non curábant; nisi quia Christus Dóminus, tenéri & alligári passus est à Judæis? Quia caténas mortis dirúpit à mórtuis jam sepúltus; qui dixit eis, qui in vínculis sunt; exíte? & qui in ténebris sunt, ut vídeant lumen; & qui dixit Lazáro post quatríduum jam sepúlto? Prodi foras. Tráditus non egrediebátur foras? quia liber erat, intùs & foris. Indè Mártyres álapas non horruérunt? quia Christus maxíllas suas, præbuit ad álapas impiórum. Tu autem.

Lectio vj.

ISta ergo seminátio sánguinis Christi; fecit sémina Mártyrum pulluláre in campo Matris Ecclésiæ? ut dicit David. Qui sémi-

nant in láchrymis: in gáudio metent. Euntes ibant & flebant, & non stabant; sed flentes ibant: & ad ætérnam pátriam tendébant. Cívitas prolongábat;& illi flebant: ubi desiderábant. Sic perrexérunt.Quómodò revertúntur.Non flentes, sed gaudéntes; non adhuc semi-nántes: sed manípulos suos, læta cervíce portántes. Vénient,non opértis capítibus pállio velá-minis propter cauma; sed lux super cápita eórum: & lætítia pretiósa.Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos; quos juxta crucem Dómini semináverant: & de ejus resurrectióne felíciùs messuérunt; ei in núbibus occurrérunt; offeréntes ei gérmina sua: acceptúri prǽmia sempitérna. Tu autē.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Lucam.

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Cùm audiéritis prælia & seditiónes nolíte terréri; opórtet primùm hæc fieri: sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Sermo 333. edit. Benedict. in natali Martyrum.

DOminus noster Jesus Christus, téstibus, id est Martyribus suis, pro humána fragilitáte sollícitis; ne fortè eum confiténdo, atque moriéndo perirent: magnam securitátem dedit dicens. Capíllus de cápite vestro non períbit. Times ergò ne péreas: cujus capíllus non períbit. Si sic custodiúntur supérflua tua: in quantâ securitáte est ánima tua. Non perit capíllus, qui cū tondétur, non sentis; & perit ánima per quam sentis: Sanè multa dura eos passúros esse prædíxit; ut prædicándo fáceret paratióres: diceréntque illi, parátum cor meum. Quid est parátum cor meum;nisi paráta volúntas mea? Parátam ergo habent Mártyres voluntátem in Martyrio:sed præparátur volúntas à Dómino. Illis autem in malis duris,atque áspe-ris futúris, commémorás: adjécit. In vestra patiéntia possidébitis

possidébitis ánimas vestras. In vestra patiéntiâ, inquit. Non enim esset patiéntia sua: si non ibi esset volúntas tua. In vestrâ patiéntiâ. Sed unde vestra; nostrum est: quod à nobis habétur; nostrum est: & quod nobis donátur. Tu autem.

Lectio viij.

DIxit nobis ipse, in vestra patiéntia; dicámus illi & nos: Patiéntia mea ab ipso est. Tuum fecit donándo: noli ingrátus esse, tibi assignándo. Nonne in oratióne Domínica dícimus & nostrum esse; quod à Deo est? Quotídie dícimus, Panem nostrum quotidiánum. Jam dixísti, nostrum; & dicis, da nobis: ecce nostrum, ecce da nobis. Illo dante fit nostrum: si illo dante fit nostrum; nobis superveniéntibus fit aliénum: Dicis nostrum, & dicis da nobis; Quid ergo tibi assignas, quod non tibi ipse dedísti? Quid enim habes quod non accepísti? Dicis nostrum, & da nobis. Agnósce largitórem; confitére te accipere: ut libénter ille dignétur dare. Quid si non egéres; qui mendícas & supérbus es: An non mendícas, qui panem petis? Panis noster ætérnus Christus: in Patris æqualitáte. Panis noster quotidiánus: Christus in carne. Ætérnus sine témpore: quotidiánus in témpore. Tamen ipse est panis, qui de cælo descéndit. Fortes sunt Mártyres; firmi sunt Mártyres: sed panis confírmat cor hóminis. Tu autem.

Lectio ix.

NUnc audiámus Paulum Apóstolum dicéntem; cùm passióni suæ appropinquáret: de corónâ sibi parátâ præsuméntem. Bonum, inquit, certámen certávi; cursum consummávi: fidem servávi. De cætero súperest mihi coróna justítiæ: quá reddet mihi Dóminus in illâ die justus judex. Non solùm autem mihi: sed & ómnibus qui díligunt manifestatiónem ejus. Reddet, inquit, mihi Dóminus corónam: justus judex. Debet ergo quod reddit. Reddet ergo justus judex. Non enim ópere inspécto potest negáre mercédem: qui opus ínspicit. Bonum

certámen certávi; opus est: cursum consummávi; opus est: fidem servávi, opus est. Súperest mihi coróna justítiæ: merces est. Sed in mercéde tu nihil agis: in ópere non solus agis. Coróna tibi est ab ipso; opus autem abs te: sed non nisi ipso adjuvánte. Tu autem.

Ad Laudes, & Horas ut in die.

Ad Vesperas Antiph. & Psal. de Feria occurrente, cætera ut in secundis Vesperis diei Festi.

Ad Processionem primum Responsor. Officij diei seq.

Oratio conveniens.

Ad Completor. Hymnus. Ætérna Christi múnera. iij

COMMUNE

Confessoris Pontificis.

Ad Vesperas. Si sit Festum Duplex. Aña. Euge serve. *cum reliquis de Laudibus. Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica, loco ultimi.* Laudáte Dóminum omnes gentes.

Si verò non fuerit Festum Duplex; Aña & Psalmi de Feria occurrente.

Capitulum. Eccli. 44.

ECce Sacérdos magnus qui in diébus suis plácuit Deo; & invéntus est justus: & in témpore iracúndiæ, factus est reconciliátio.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnificat, Aña. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas: & osténdit illi regnum Dei.

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus omnípotens Deus; ut beáti N. Confessóris tui atque Pōtíficis veneránda solémnitas: & devotiónem nobis áugeat, & salúte. Per.

Ad primam Processionem.

℟. j. Euge serve bone & fidélis quia super pauca fuísti fidélis super multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui cónspicis quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius; ut intercessióne beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis: contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Ad secundā Processionem.

℟. ij. Jurávit Dóminus & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnum

secúndùm

secúndùm órdinem Melchísedech.

Orémus. *Oratio.*

EXáudi quæsumus Dómine preces nostras: quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus;& qui tibi dignè méruit famulári: ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per.

Ad Completor. Hymnus.

ISte Conféssor Dómini sacrátus,
Festa plebs cujus célebrat per orbem:
Hódie lętus méruit secréta scándere cœli.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbrius, castus, fuit & quiétus;
Vita dùm præsens vegetávit ejus
Córporis artus.

Ad sacrum cujus, túmulum frequénter;
Membra languéntum modò sanitáti:
Quólibet morbo fúerint graváta,
Restituúntur.

Unde nunc noster chorus in honórem
Ipsíus, hymnum canit hunc libénter,
Ut piis ejus méritis juvémur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui supra cœli résidens cacúmen,
Totíus mundi máchinam gubérnat,
Trinus & unus. Amen.

Ad Matutinum, Invitat. Regem Confessórum Dóminum. Veníte adorémus.

Psalmus. Veníte exultémus. 2.

In Duplicibus dicitur sequens Invitat. Justus florébit in domo Dómini Plantátus: Gaudeámus & exultémus, in ejus sacra solemnitáte.

In primo Nocturno.

Antiphona. Beátus vir.

Psalmus 1.

BEátus vir qui nõ ábiit in consílio impiórũ: * & in via peccatórum non stetit: * & in cáthedra pestiléntiæ, non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus: * & in lege ejus, meditábitur, die ac nocte.

Et erit tamquam lignum quod plantátum est, secùs decúrsus aquárum:* quod fructum suum da-

bit, in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet:* & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabũtur.

Non sic ímpij, non sic: * sed tanquam pulvis quem prójicit ventus, à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpij in judício : * neque peccatóres, in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * & iter impiórum períbit.

Glória Patri.

Antiphona. Beátus vir qui in lege Dómini meditátur, volúntas ejus pérmanet die ac nocte ; ómnia quæcúmque fáciet , prosperabúntur.

Antiphona. Beátus.

Psalmus 2.

QUare fremuérunt gẽtes:* & pópuli meditáti sunt inánia.

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum:* advérsùs Dñm & advérsùs Christũ ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis irridébit eos: * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua: * & in furóre suo, conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus : * prædicans præcéptũ ejus.

Dóminus dixit ad me, Fílius meus es tu : * ego hódie génuj te.

Póstula à me , & dabo tibi Gentes hæreditátem tuam : * & possessiónem tuam, términos terræ.

Reges eos in virga férrea : * & tanquam vas fíguli, confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre:* & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam:* nequándo irascátur Dóminus , & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus:* beáti omnes qui confídunt in eo.

Glória Patri.

Aña. Beátus iste sanctus qui confísus est in Dómino, prædicávit præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Aña. Tu es.

Psalmus 3.

DOmine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me: * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dñe suscéptor meus es: * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * & exaudívit me, de monte sancto suo.

Ego dormívi & soporátus sum:*& exurréxi,quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge Dómine salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti, omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus:*& super pópulum tuum, benedíctio tua. Glória Patri.

Aña. Tu es glória meà,tu es suscéptor meus Dómine; tu exáltans caput meum, & exaudísti me de monte sancto tuo.

℣. Voce mea ad Dñm clamávi. ℟.Et exaudívit me de mõte sanctosuo. Pater.

Deprec. Exúrge Dómine.

Bened. Adjútor.

Súscipe deprecatiónem.

De Epíst.1. B.Pauli Apóst. ad Timóth. *Cap.3.*

Lectio j.

FIdélis sermo; si quis Episcopátum desíderat: bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse; unius uxóris virum; sóbrium, prudéntem, ornátum,pudícum, hospitálem,doctórem; non vinoléntum,non percussórem, sed modéstum: non litigiósum,non cúpidum;sed suæ dómui bene præpósitum:filios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit; quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum; ne in supérbiam elátus: in judícium íncidat Diáboli. Opórtet autem illum & testimónium habére bonum; ab iis, qui foris sunt: ut non in oppróbrium íncidat,& in láqueum Diáboli. Tu autẽ.

℟. Euge serve bone & fidélis; quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui.

℣. Dómine quinque taléntа tradidísti mihi, ecce ália quínque superlucrátus sum. Intra in gáudium.

Benedictio. Benedictiónibus suis.

De Epístola ad Titum. *c.* 1.

Lectio ij.

OPórtet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem; non supérbum, non iracúndum, non vino dédítum, non percussórem, nõ turpis lucri cúpidum: sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem: amplecténtem eum qui secúndùm doctrínam est, fidélem sermónem: ut potens sit exhortári in doctrína sana, & eos qui contradicunt argúere. Sunt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui, & seductóres; maximè qui de circumcisióne sunt: quos opórtet redárgui. Qui univérsas domos subvértunt; docéntes, quæ non opórtet: turpis lucri grátiâ. Tu autem.

℟. Jurávit Dóminus & non pœnitébit eum. * Tu es Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo, sede à dextris meis. Tu es Sacérdos. *Benedictio.* Cæléstem benedictiónem.

Lectio iij.

TU autem lóquere: quę decent sanam doctrínam. Senes ut sóbrij sint: pudíci; prudéntes; sani in fide; in dilectióne: in patiéntia. Anus símiliter in hábitu sancto non criminatríces, non multo vino serviéntes; benè docéntes; ut prudéntiâ dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, ut filios suos díligant: prudéntes, castas, sóbrias, domûs curam habéntes; benígnas, súbditas viris suis: ut non blasphémetur verbum Dei. Júvenes símiliter hortáre, ut sóbrij sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum; in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile: ut is qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis. Tu autem.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltávi eléctum de plebe meâ: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David

vid servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus. Glória Patri. Manus enim.

In secundo Nocturno.

Aña. Invocántem.

Psalmus 4.

CUm invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne, dilatásti mihi.

Miserére mei, & exáudi oratiónem meam.

Fílij hóminum úsquequò gravi corde:* ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium.

Scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, & in cubílibus vestris, cõpungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, & speráte in Dómino:* multi dicunt; Quis osténdit nobis bona.

Signátum est super nos, lumen vultûs tui Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui, multiplicáti sunt.

In pace in idípsum, dórmiam & requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe, constituísti me. Glória Patri.

Aña. Invocántem exaudívit Dñs sanctum suum, Dóminus exaudívit eum, & constítuit eũ in pace.

Aña. Læténtur omnes.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine:* intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ:* Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo Dómine.* mane exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi & vidébo: * quóniã non Deus volens, iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus:* neque permanébunt injústi, ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem:* perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domũ tuam*

adorábo ad templum sanctum tuum, in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítiâ tuâ:* propter inimícos meos, dírige in conspéctu tuo, viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas:* cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum: * linguis suis dolósè agébant:* júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis:* secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos:* quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te:*in ætérnum exultábunt & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum: * quóniam tu, benedíces justo.

Dómine ut scuto bonæ voluntátis tuæ, coronásti nos.

Glória Patri.

Aña. Læténtur omnes qui sperant in te Dómine, quóniam tu benedixísti justo, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Antiphona. Dómine.

Psalmus 8.

Domine Dóminus noster:* quàm admirábile est nomen tuum, in univérsa terra.

Quóniam eleváta est, magnificéntia tua super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem, propter inimícos tuos:* ut destruas inimícum, & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum:* lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo quòd memor es ejus:* aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulóminùs ab Angelis:* glóriâ & honóre coronásti eum:* & constituísti eum, super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus:* oves & boves univérsas:* ínsuper, & pécora campi.

Vólucres, cæli, & pisces maris:* qui perámbulant, sémitas maris.

Dómine Dóminus noster:* quàm admirábile est nomen tuum, in univérsa terra. Glória Patri.

Aña.

Aña. Dómine Dóminus noster quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra, quia glória & honóre coronásti sanctum tuum, & constituísti eum, super ópera mánuum tuárum.

℣. Glória & honóre.

℟. Coronásti eum Dómine. Pater noster.

Deprecatio. Osténde nobis Dómine.

Bened. Deus Dei Fílius.

De Sermóne sancti Bernárdi Abbátis.

Sermone de S. Malachia.

Lectio iv.

EXúltat sine dúbio Sanctus N. qui in diébus suis plácuit Deo, & invéntus est justus. In sanctitáte & justítia coram ipso ministrávit, plácuit ministérium, plácuit miníster. Quidni placúerit? Pósuit sine sumptu Evangélium, replévit Evangélio, pátriam. Levi jugo Christi, in gládio spíritûs, éxteras súbdidit natiónes; usque ad extréma terræ restítuens hæreditátem suam illi. O minístrum fidélem. Nũquid nõ per ipsum Fílio est Patérna adimpléta promíssio; Numquid hunc olim intuebátur Pater cũ ad Fílium loquerétur. Dabo tibi Gentes hæreditátẽ tuam & possessiónem tuam, términos terrę. Quã libẽs Salvátor recipiébat, quod émerat; & émerat prétio sãguinis sui ignomínia crucis, horróre passiónis. Tu autem.

℟. Dómine quinque taléntà tradidísti mihi; ecce ália quinque superlucrátus sum: Euge serve fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam; * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Labóres mánuum tuárũ quia manducábis, beátus es, & bene tibi erit. Intra in gáudium. *Bened.* Ætérnam benedictiónem.

Lectio v.

QUi quasi unus ómnium parens vivébat ómnibus. Quasi gallína pullos suos; sic fovébat omnes & in velaménto alárum suárum protegébat. Non sexus, non ætas, & non condítio discernebántur, aut persónæ; déerat némini expânso ómnibus grémio pietátis. De quacúmque tribulatióne clamarétur ad eum, própriam

priam reputábat; nisi quod in suâ pátiens, in aliénâ compátiens erat: plerúmque & impátiens. Nõnúnquàm síquidem zelo, pro áliis in álios movebátur; ut erípiens ínopes, & réprimens fortes: consúleret proindè ómnibus in salútem. Itaque irascebátur; sed ne non irascéndo, peccáret: juxta illud de Psalmo. Irascímini & nolíte peccáre. Non ira illi; sed ipse ánimo: dominabátur. Erat suímet potens; sanè victor sui: irâ superári non póterat. Ira ejus, in manu ejus. Vocáta veniébat; éxiens, non erúmpens: nutu, non ímpetu ferebátur. Non urebátur illâ: sed utebátur. Tu autem.

℟. Justus germinábit sicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Et erit quasi oliva, glória ejus, & odor ejus ut Líbani. Et florébit. *Bened.* Grátia Spíritûs sancti.

Lectio vj.

SAnctus Pontifex, qui in spíritu humilitátis hóstias pacíficas cælis frequénter invéxerat; hódie per semetípsum introívit ad altáre: Dei ipse hóstia, & Sacérdos. Migránte Sacerdóte; sacrifícij ritus in mélius mutátus est: fons lachrymárum siccátus est. Holocáustum omne condítur: lætítiâ, & exultatióne. Benedíctus Dóminus Deus, qui tanti Pontíficis ministério visitávit plebem suam; & nunc assúmpto eo in sanctam civitátem: tantæ recordatióne civitátis, nostram non désinit consolári captivitátem. Exúltet in Dómino spíritus ejus; quòd levátus póndere corpóreæ molis, nulla jam fæculénta vel terréna matériæ, prægravátur: quóminùs tota alacritáte ac vivacitáte corpóream omnem & incorpóream trajíciens creatúram; pergat totus in Deum: & adhærens illi, unus sit cum eo Spíritus in ætérnum. Tu autem Dómine.

℟. Stola jocunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum pane vitæ & intelléctûs, & aquâ sapiéntiæ salutáris potávit eum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In

In tertio Nocturno.

Aña. Dómine.

Psalmus 14.

DOmine quis habitábit in tabernáculo tuo:* aut quis requiéscet, in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine macula:* & operátur justítiã.

Qui lóquitur veritátem in corde suo: * qui non egit dolum, in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum: * & oppróbrium non accépit, advérsùs próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum, gloríficat.

Qui jurat próximo suo & non décipit:* qui pecúniam suam non dedit ad usúram:* & múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum.

Glória Patri.

Aña. Dómine ; iste sanctus habitábit in tabernáculo tuo ; operátus est justítiam , requiéscet in monte sancto tuo.

Antiphona. Vitam.

Psalmus 20.

DOmine in virtúte tua lætábitur rex:* & super salutáre tuum, exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * & voluntáte labiórum ejus , non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus , corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te, & tribuísti ei : * longitúdinem diérum in sæculum : * & in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus, in salutári tuo : * glóriam & magnum decórem, impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictióne͂, in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio, cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * & in misericórdia Altíssimi, non commovébitur.

Inveniátur manus tua, ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat, omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clibanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos : * & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra

perdes :

perdes:* & semen eórum, à filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis, præparábis vultum eórũ.

Exaltáre Dómine in virtúte tua: * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Glória Patri.

Aña. Vitam pétiit à te, tribuísti ei Dómine; glóriam & magnum decórem imposuísti super eum: posuísti in cápite ejus, corónam de lápide pretióso.

Aña. Hic accípiet.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus: * orbis terrárum & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina, præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini: * aut quis stabit, in loco sancto ejus?

Jnnocens mánibus, & mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam suam: * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem, Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ: * Dñs fortis & potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ: * Dóminus virtútum, ipse est rex glóriæ. Glória.

Aña. Hic accípiet benedictiónem à Dómino, & misericórdiam à Deo salutári suo: quia hæc est generátio quæréntium Dñm.

℣. Justus Dñs, justítias diléxit. ℟. Æquitátem vidit vultus ejus. Pater noster. *Deprec.* Adjutórium nostrum. *Benedictio.* Redemptor.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam

rábolam hanc. Homo péregrè proficíscēs; vocávit servos suos:' & trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álij autē duo; álij verò unum:' unicuíque secúndùm própriā virtútem. Et réliqua.

Homília S. Greg. Papæ.
Homil. 9. in Evangelia.

LEctio sancti Evangélij, Fratres charíssimi, sollícitè consideráre nos ádmonet; ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepísse áliquid cérnimur, ab auctóre mundi:' gráviùs inde judicémur. Cùm enim augéntur, dona:' ratiónes étiam crescunt donórum. Tantò ergo esse humílior; atque ad serviéndum Deo prómptior quisque debet ex múnere:' quantò se obligatiórem esse cónspicit, in reddénda ratióne. Ecce homo qui péregrè proficíscitur; servos suos vocat:' eísque ad negótium, talénta partítur. Post multùm verò témporis positúrus ratiónem revértitur; bene operántes pro apportáto lucro remúnerat:' servum verò, à bono ópere torpéntem damnat. Quis ítaque iste homo est qui péregrè proficíscitur:' nisi Redémptor noster:' qui in ea carne quam assúmpserat, ábiit in cælum. Carnis enim locus próprius terra est:' quæ quasi ad peregrína dúcitur; dum per Redemptórem nostrum:' in cælo collocátur. Sed homo iste péregrè proficíscens servis suis bona sua trádidit; quia fidélibus suis:' spirituália dona concéssit. Tu autem.

℟. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctûs, & aquâ sapiéntiæ salutáris potávit eum: * Et inaltávit illum apud próximos suos. ℣. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, & implévit eum spíritu sapiéntiæ & intelléctûs. Et inaltávit.

Benedict. Unigénitus Dei Fílius.

Longè post præcedentia.
Lectio vij.

NUllus namque est, qui veráciter dicat. Taléntum mínimè accépi:' non est unde ratiónem pónere cogar. Taléntì enim nómine; cuílibet páuperi étiam hoc ipsum reputábitur:' quod vel mínimum accépit. Alius namque accépit

cépit intelligéntiã: prædicatiónis ministérium debet ex talénto. Alius terrénam substántiam accépit: erogatiónem talénti debet ex rebus. Alius nec intelligéntiam internórum, nec rerum affluéntiam accépit; sed tamen dídicit artem qua páscitur: ipsa ars ei in talénti acceptióne reputábitur. Alius nihil horum assecútus est: sed tamen fortássè; locum familiaritátis apud dívitem méruit: taléntum profectò familiaritátis accépit. Si ergo nihil pro indigéntibus lóquitur: pro talénti retentióne damnátur. Habens ígitur intelléctum: curet omninò ne táceat. Habens rerum affluéntiam; vígilet: ne à misericórdiæ largitáte torpéscat. Habens arte quâ régitur; magnóperè stúdeat ut usũ atque utilitátem illíus: cum próximo partiátur. Tu autem.

℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei, & dedit illi sciéntiam Sanctórum: * Honestávit illum in labóribus suis.

℣. Descéndit cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit eum. Honestávit. *Benedictio.* Ad supernórum cívium.

Lectio ix. sub finem.

UT ergò de talénti sui ratiónibus; redeúnte Dómino quisque secúrus sit: cum timóre penset quotídiè, quod accépit. Ecce namque jam juxtà est: ut ille qui péregrè profectus est, rédeat. Quasi péregrè quippe ábiit; qui de hac terra in quâ natus est: longè discéssit. Sed profectò revértitur, ut de taléntis ratiónes ponat; quia si à bonâ actióne torpéscimus: de ipsis donis quæ cóntulit, nos distríctiùs júdicat. Considerémus ígitur quæ accépimus: atque in eórum erogatióne vigilémus. Nulla nos à spirituáli ópere terréna cura impédiat; ne si in terrâ taléntum abscónditur: talénti Dóminus ad iracúndiam provocétur. Piger étenim servus cùm jam judex culpas exáminat, taléntum de terrâ levat; quia sunt plerique, qui nunc se à terrénis desidériis vel opéribus súbtrahunt: quandò jam per animadver

animadversiónem júdicis, ad ætérnum supplícium trahúntur. Antè ergo de taléntì nostri ponénda ratióne vigilémus; ut cùm jam judex ad feriéndum ímminet, lucrum nos quod fécimus, excúset. Tu autem.

℞. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: * Et implévit eum Dóminus Spíritu sapiéntiæ & intelléctûs.

℣. Jocunditátem & exultatióne thesaurizávit super eum. Et implévit. Glória Patri. Et implévit.

Si fuerit Festum duplex vel occúrrerit in Dominica dicitur Te Deum laudámus. *Et tunc non dicitur* Glória Patri.

AD LAUDES.

Aña. Euge serve bone, in módico fidélis; intra in gáudium Dómini tui.

Psalm. Dñs regnávit. *cum reliquis de Dominica.* 20.

Antiph. Fidélis servus & prudens; quem constítuit Dóminus, super famíliam suam. *Aña.* Serve bone & fidélis, intra in gáudium Dómini tui. *Aña,* Sacerdótes Dei benedícite Dóminum; servi Dómini, Hymnum dícite Deo, allelúia. *Aña.* Ecce verè Israëlíta, in quo dolus non est.

Capitulum. Eccli. 44.

Ecce Sacérdos magnus qui in diébus suis plácuit Deo; & invéntus est justus; & in témpore iracúndiæ, factus est reconciliátio.

℣. Stolâ jocunditátis.

℞. Induit eum Dóminus.

Ad Benedictus, Antiph. Euge serve bone & fidélis; quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, dicit Dóminus.

Orémus. *Oratio.*

Da quæsumus omnípotens Deus; ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas; & devotiónem nobis áugeat, & salútem. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Capit. Ecce Sacérdos magnus. *ut sup.*

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℞. Justum dedúxit. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. ℞. Justum dedúxit. Glória Patri. ℞. Justum, &c.

℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum.

℞. Stolâ glóriæ índuit eũ.

Oratio.

Oratio. Da quæsumus omnipotens Deus. *ut suprà.*

Si non adsit propria; si enim adsit omittitur omnino nec ad ullam ex horis dicitur.

Ad Sextam, Capitulum.

NOn est invéntus símilis illi qui conserváret legem Excélsi; ideò jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

℟. Amávit eum Dóminus & ornávit eum. ℟. Amávit eum. ℣. Stolâ glóriæ índuit eum. ℟. Amávit eum. Glória Patri. ℟. Amávit eum. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui cónspicis quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius; ut intercessióne beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Ad Nonam, Capitul.

FUngi sacerdótio, & habére laudem in nómine ipsíus; & offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

℟. Justus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani. ℟. Justus ut. ℣. In domo Dómini plantátus. ℟. Justus ut. Glória Patri. ℟. Justus ut. ℣. Stola jocunditátis. ℟. Induit eum Dñs.

Orémus. *Oratio.*

EXáudi quæsumus Dómine preces nostras: quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus; & qui tibi dignè méruit famulári: ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Ad Vesperas. Si sit Festum Duplex, Aña. Euge serve. *cum rel q. de Laudibus. Psalmus.* Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi Psalmus.* Meménto Dómine David. 159.

Si autem non sit Festum Duplex dicuntur Aña & Psalmi de Feria occurrente, Capitulum & Versus ut suprà in primis Vesperis.

Ad Magnificat. Aña. Quinque mihi Dómine taléntα tradidísti; lucrátus sũ insuper, ália quinque.

Oratio. Da quæsumus omnípotens Deus. *ut suprà.*

prà. Ad Laud. Ad Processionem primum Responsor. Officij diei sequentis.

Oratio conveniens.

Hymnus de Officio Vesperarũ. Iste Cõféssor. lxxix.

In Festo Confessoris Pontificis trium Lectionum omnia ut suprà, ritu quo notatum est in Communi Apostolorum trium Lectionum. Ad Vesperas Antiphonæ, & Psalmi, de Feria occurrente. Capitul. Versus Ana ad Magnificat, ut in secundis Vesperis diei Festi.

Oratio propria, si adsit, si autem non adsit dicitur de Communi. Ad completor. Hymnus. Iste Confésſor. lxxix.

Ad Matutinum, Invit. Regem Confessórum Dóminum. Veníte, adorémus. *Novem Antiphonæ & novem Psalmi de Communi, ut suprà; Versus primi Nocturni* voce mea *quod semper observatur in omnibus Festis iij. Lectionum. Benedict. Responsor. pro Feria occurrente ritu notato in communi Apostolorum.*

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia ut habetur in proprio. Ad Laudes & Horas ut suprà.

Si contingat celebrari octavam de aliquo confessore Pontifice; officium infra octavam fit eodem ritu, quo in Festo trium Lectionum. Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia ut habetur infra pro qualibet die octavæ. Ad Laudes & Horas ut in die festi. Ad Vesperas. Antiph. & Psalmi de Feria occurrente, Capitulum, Versus, Antiph. ad Magnif. Oratio ut in secundis Vesperis Festi.

Ad Complet. Hymnus de Officio Vesperarum. Iste Conféssor. lxxix.

Die secunda infra octavam.

De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

In depositione Sacerdotis. Serm. 4.

Lectio iij.

BEáti patris mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus; qui gubernáculum fidei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam statióne compósuit: & plenam cæléstibus divítiis, & mércibus navem, optáto in líttore collocávit.

collocávit. Qui cótra omnes ímpetus adversárij; ſcutum timóris Dei, támdiù infatigabíliter ténuit: donec ad victóriam pervenı́ret. Quid enim fuit totus vitæ illíus curſus: niſi unus cùm pervígili hoſte conflíctus. Habuíſtis in eo médicum, quaſi cælo lapſum; Cum quo ſánitas fines veſtros: imò ipſe ſanitátum auctor intrávit. Quantis hic ille cæcis à via veritátis errántibus; & de ſumma jam rupe pendéntibus, amíſſum réddidit viſum: & illum quo Chriſtus vidétur, reparávit intúitum. Quantórum áuribus ſurdis, & infidelitátis obduratióne damnátis; ad percipiéndam vocem cæléſtium mandatórum: pretióſum infúdit audítum; ut vocánti Deo, ad miſericórdiam: reſpondérent per obediéntiam. Tu autem.

Die tertia infra Octavam.

De Sermóne S. Euchérij Lugdunénſis Epíſcopi.

Eodem Serm. 4.

Lectio iij.

QUantos intrínſecùs vulnerátos; Angélici oris arte: & oratiónum poteſtáte curávit. Quàtos per longam incúriam; peccáti labe ſolútos, & quadam lepræ contagióne perfúſos; caſtigatiónibus & exhortatiónibus expiándo: Deo in ſe operánte mundávit. Quantórum ánimas vivénti in córpore jam defúnctas; & delictórum mole óbrutas ac ſepúltas: ad emendatiónem, tanquàm ad lucem revocándo reſuſcitávit. Et Dómini ſui ádmodùm imitátor admirándus; jam mórtuos Deo: è contrário mori fecit, vitáli morte, peccáto. Nihilóminùs alíórum óculos, ſicut díximus, nunc illuminábat; nunc in áliam partem, ea quæ aperúerat: ſalúbriter claudébat. Si requirámus quo órdine hoc faciébat; claudébat útique eos docéndo, ne aliénum malè vidérent: ne eis res aliéna concupiſcíbilis apparéret. Tu autẽ.

Die quarta infra octav.

De Sermóne S. Euchérij Lugdunénſis Epíſcopi.

Eodem Serm. 4.

Lectio iij.

SEcúndùm hæc: animárum noſtrárum vúlti-

bus;

bus; illíus viri, unusquísque, virtútis tamquàm pretiósos superducámus colóres. Rápiat sibi de eo alter, gratam spéciem compunctiónis; alter pigméntum candidíssimum nítidæ castitátis. Pallórem ille abstinéntiæ; rubórem iste verecúndiæ; ille ardéntem in Dei rebus fidem velut áureo splēdóre radiántem. Atque hoc modo spirituália interióris sui membra, in corpus plebis suæ transferet: & ad unam illíus fáciem; omnem exornémus domum: id est univérsam Christi pingámus Ecclésiam. Ut videns nos, vel de ætérni tremóre judícij, vel de futúra beatitúdine cogitántes; illam Evangélicam Christi vocē possit assúmere: Pater rogo ut ubi ego sum & illi sint mecum. Ut nos quādóquè ex hoc sæculo migratúros; Patrónus noster in ædem suam, & in sinum suum velut Abraham peculiáris, accípiat: & in illa die incólumes oves suas, lætus pastor agnóscat. Tu autē.

Die quinta infra octavā.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Ser. 46. de Past. in Ezec. 34.

Lectio iij.

AUdíte vos cum intentióne: audiámus nos cum tremóre. Et factum est verbum Dómini ad me dicens; Fili hóminis: prophetísa super pastóres Israël. Hanc lectiónem cùm legerétur, audívimus: hinc cum vestra sanctitáte áliquid loqui decrévimus; adjuvábit ipse ut vera dicámus: si non nostra dicámus. Nam si nostra dicámus; pastóres érimus, pascéntes nos: non oves. Si autem illíus sunt quæ dicúntur: per quémlibet ipse vos pascet. Hæc dicit Dóminus. Væ Pastóribus Israël qui pascunt se solos; Numquid oves pascunt Pastóres? id est non se pascunt Pastóres: sed oves. Hæc primò causa est quarè arguántur pastóres isti: quia seipsos pascunt non oves. Qui sunt qui seipsos pascunt? De quibus dicit Apóstolus: Omnes enim quæ sua sunt quęrunt: non quæ Jesu Christi. Tu autē.

Die sexta infra Octavam.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Eodem

Eodem Serm. 46.

Lectio iij.

NOs, quos in isto loco, de quo periculósa rátio rédditur; Dóminus secúndùm dignatiónem suã, non secúndùm méritum nostrum constítuit: habémus duo quædam. Unum quod Christiáni sumus: álterum quod præpósiti sumus. Illud quod Christiáni sumus; propter nos est: quod autem præpósiti sumus, propter vos est. In eo quod Christiáni sumus: atténditur utílitas nostra, in eo quod præpósiti: non nisi vestra. Sunt autem multi Christiáni, & non præpósiti: qui pervéniunt ad Deum facilióre fortásse itínere; & tantò forte expedítiùs ambulántes: quantò minórem sárcinam portant. Nos autem excépto quòd Christiáni sumus; undè ratiónem reddémus de vita nostra: sumus étiam præpósiti; unde ratiónem reddémus Deo: de dispensatióne nostra. Tu autem.

Die septima infra Oct.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Eodem Serm. 46.

Lectio iij.

AD hoc istam difficultátem propónimus; ut compatiéntes nobis: orétis pro nobis. Véniet enim dies: quò cuncta adducéntur in judícium. Et ille dies; si sæculo longè est: unicuíque hómini vitæ suæ, últimus propè est. Tamen utrúmque Deus latére vóluit; & quandò véniat finis sæculi: & quãdò sit in unoquóque hómine, hujus vitæ finis. Vis non timére diem occúltum; quandò vénerit: invéniat te parátum. Cùm ergo præpósiti, ad hoc sint, ut his qui subjécti sunt cónsulant; non in eo quod præsunt omnínò utilitátem suam atténdant: sed eórum quibus minístrant. Quisquis ita præpósitus est: ut in eo quod præpósitus sit, gáudeat; & honórem suum quærat; & cómmoda sua sola respíciat: se pascit non oves. Tu autem.

In die octava, semid. majus.

In primis Vesperis Añæ & Psalmi de Feria occurrente reliqua ut in primis Vesperis Festi. Duæ Processiones ut ibidem. Aña ad Magnificat ut

ut in primis Vesperis Festi. Et sic semper in j. Vesperis diei Octavæ.

Ad Completor. Hymnus. Iste Conféssor. lxxvi.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Serm. de S. Maximo.

Lectio iv.

O Virum per ómnia Deo dignum! Eminébat ut sic díxerim in ipso hábitu, ánimi fortitúdo; in spécie exterióri ipsam putáres expréssam imáginem sanctitátis: terríbilis incéssu, reverēdus aspéctu. Créderes quòd semper invisíbilem illum hostem: ipsa vultûs sui virtúte terréret. Metuéndus severitáte; benignitáte venerándus: auctoritátis censúram, humilitátis mansuetúdine temperábat. Minabátur quidem frontis austéritas: sed cordis serénitas blandiebátur. Ac sic conveniénte in uno, diversitáte gratiárum; Paulus apparébat in vultu: Petrus in Spíritu. Illíus districtiónis; hujus erat pietátis æmulátor; ita ut, cùm præséntiam ejus vix sustinéres: absséntiam ferre non posses. Internórum autem bonórum suórum formas ac spécies; sicut nemo ad plenum inspícere pótuit: ita nemo súfficit explicáre. *Lectio v.*

Sicut légimus evangélicam illam ac beatam mulíerem; effrácto Alabástro Nardi pretiósi, unguéntum supra carnem Dómini profudísse: ita gloriósa hujus Pontíficis ánima apéruit in se laténtes divítias cœléstium múnerum; & de armário suávè oléntium virtútum, arómata sanctificatiónum, & gratiárum suárum; supra omnem Ecclésiam, quæ est Christi corpus, effúdit: & ad ipsum caput, membrórum justificatióne transmísit. Et verè, ut dixi; repléta est univérsa domus Christi: ex odóre cœléstis unguénti. Quid dicam ejus voluntátem? ut fierent ei lácrymæ panes die ac nocte; & pro cibo & potu incessabíliter rumináret: Quando véniam & apparebo antè fáciem Dei? ut præter vitam nihil esuríret: præter justítiam nihil sitíret.

Lectio vj.

HUjus ergo tanti ac tam præclári Pontíficis: quæso nos discípulos meminerimus, & filios. Rápiat unusquísque quod póssumus: de bonis intestáti paréntis. Hic de hæreditáte ejus, assúmat holoséricam gestórum varietáte pretiosíssimam vestem; hic mansuetúdinis ac simplicitátis óccupet taléntum; ille decus péctoris, benevoléntiæ ac sapiéntiæ monile sibi víndicet: hic margarítam compunctiónis, & thesáurum castitátis invádat. Licet enim ille locupletíssimus Christi amícus; quidquid hábuit, íntegrum secùm túlerit: & nobis tamen si vólumus totum relíquit. Ita ergo agámus bona illíus consectántes; ut qui in ætérnam glóriam suscitándus est, sub fine sæculórum: rédditus Ecclésiæ per rediviva in nobis mérita jam surréxerit.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis Parábolam hanc. Homo péregrè proficíscens; vocávit servos suos: & trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álij autem duo; álij verò unum: unicuíque secúndùm própriam virtútem. Et reliqua.

Homilia sancti Gregórij Nazianzéni.

Oratione Apolog.

REferam quæ Jesus discípulis suis ad prædicatiónem eos mittens præscríbit; quorum ne síngula éxplicē, hæc summa est: ut virtúte tales sint Pastóres; atque ita expedíti & modésti; & ut uno verbo dicā, cæléstes; ut non minùs ob eórum vitam, & mores, quam ob sermónem, atque doctrínam: Evangélium currat. Mihi verò timórem incútiunt étiam Pharisæi probris oneráti, & Scribæ redargúti; quibus cum nos virtúte longè superióres esse debeámus; quemádmodum nobis præcéptum est: si modò cælórum regnum cónsequi cúpimus; turpe profectò fúerit: si ipsis étiam pejóres inveniámur. Tu autem Dómine.

Lectio viij.

IN his ego cogitatióni-bus dies noctésque versor. Hæc medúllas étiam meas elíquant, & carnes confíciunt; nec me audácem esse sinunt ac sublatâ fácie incédere. Hæc ánimum meum dejíciunt, & mentem cóntrahunt; & linguæ vínculum injíciunt faciúntque, ut non de præfectúra nec de corrigéndis & emendándis áliis cógitem; id quod exuberántis cujusdam facultátis est sed quómodò veniéntem ipse iram effúgere; atque vítij rubíginis à me áliquid abstérgere queam. Purgaríque priùs, deínde purgáre sapiéntiâ ínstrui; atque ita demùm álios sapiéntiâ instrúere lux fieri, & álios illumináre. Ad Deum appropinquáre; & ita álios addúcere sanctificári, & pósteà sanctificáre; mánibus ducátum præstáre prudéntiâ cómite consílium dare. Tu autem.

Lectio ix.

QUis est qui contrà hæc ómnia; celeritátem pótiùs quàm securitátem & utilitátem expóscat. Quis est qui veritátis propugnatórem, uníus diéculæ spátio velut è luto, státuam finget. Illíus, inquam, qui cum Angelis stabit; cum Archángelis glorificábit; ad suprémum altáre hóstias transmíttet; Christo adjútor Sacerdótij erit figméntum instaurábit; imáginem represéntábit supérno mundo procreábit. Et ut quod majus est dicam; qui Deus futúrus sit & álios Deos factúrus. Scio cujus minístri simus; & ubi jaceámus & quo mittámur. Sciò quæ Dei sublímitas; quæ humána infírmitas ac rursum poténtia. Cœlum excélsum terra autem profúnda. Tu autem.

Ad Laudes & Horas ut in die. Ad Vesperas Aña & Psalmi de Feria occurr. Capit. Versus Antiph. ad Magnificat, ut in secundis Vesperis Festi.

Ad Processionem primum Responsor. Officij diei seq.

Oratio conveniens.

Ad Completor. Hymnus. Iste Conféssor lxxvj.

COMMUNE

Confessoris non Pontif.

Ad Vesperas, si sit Festum

Duplex, *Antiph.* Euge serve. *cum reliquis de Laudibus, ut infrà. Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica.* 145. *& loco ultimi. Psalmus.* Laudáte Dñm omnes Gentes. 150. *Si non sit festum duplex, Añа & Psalmi de Feria occurrente.*

Capitulum.

Justus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo; ad Deum qui fecit illum: & in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnificat, Añа. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei.

Orémus. *Oratio.*

Deus, qui nos beáti N. Confessóris tui, ánnuâ solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus: per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

Si adsit propria oratio, supradicta omnino omittitur.

Ad primam Processionem. ℟. j. Euge serve bone & fidélis quia super pauca fuísti fidélis super multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui.

Orémus. *Oratio.*

Adésto Dómine supplicatiónibus nostris: quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus; ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus: ejus qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Ad secundam Process. ℟. ij. Justus germinábit sicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Orémus. *Oratio.*

Intercéssio nos quæsumus Dómine beáti N. Confessóris tui comméndet; ut quod nostris méritis non valémus: ejus patrocínio assequámur. Per.

Ad Completor. Hymnus. Iste Conféssor. *ut in Communi Confess. Pontif.* lxxvj.

Ad Matutinum omnia ut in Communi Confessoris Pontificis, exceptis Lectionibus & Responsoriis.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 4. & 5.

Justus si morte præoccupátus fúerit: in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est: non diutúrna,

na, neque annórum número computáta. Cani autem sunt sensus hóminis: & ætas senectútis, vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus: & vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne malítia mutáret intelléctũ ejus: aut ne fictio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona; & inconstántia concupiscéntiæ transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa; plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Tu autem.

℟. Euge serve bone & fidélis quia super pauca fuísti fidélis super multa te constituam: * Intra in gáudium Dómini tui.

℣. Dómine quinque taléntа tradidísti mihi ecce ália quinque superlucrátus sũ. Intra in gáudium.

Lectio ij.

POpuli autem vidéntes & non intelligéntes: nec ponéntes in præcórdiis tália; quóniam grátia Dei & misericórdia est in sanctos ejus: & respéctus in eléctos illíus. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios; & juvéntus celériùs consummáta: longam vitam injústi. Vidébunt enim finem sapiéntis; & non intélligent quid cogitáverit de illo Deus: & quare muníerit illum Dóminus. Vidébunt & contémnent eum: Illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post hæc decidéntes sine honóre; & in contumélia inter mórtuos: in perpétuum. Quóniam disrúmpet illos inflátos sine voce; & commovébit illos à fundaméntis: & usque ad suprémum desolabúntur. Tu autem.

℟. Justus germinábit sicut lílium: * Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

℣. Et erit quasi olíva glória ejus & odor ejus ut Líbani. Et florébit.

Lectio iij.

ET erunt geméntes: & memória illórum períbit. Vénient in cogitatióne peccatórum suórum tímidi; & tradúcent illos ex advérso: iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justi in magna constántia advérsùs eos qui se angustiavé-

runt: & qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili; & mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis: dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes & præ angústiâ spíritûs geméntes; Hi sunt quos habúimus aliquándo in derísum: & in similitúdinem impropérij. Nos insensáti; vitam illórum æstimabámus insániam: & finem illórum sine honóre. Ecce quomodò computáti sunt inter filios Dei: & inter sanctos sors illórum est. Tu autem.

℟. Stolâ jocunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum pane vitæ & intelléctûs, & aquâ sapiéntiæ salutáris potávit eum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio iv.

GAudéte in Dómino dilectíssimi; qui inter contínua suæ pietátis beneficia, indúlsit hóminem mundo: cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico Gaudéte; quòd factus de médio, appropiávit Deo; ut multò plures ejus intercessióne salvéntur, Habet ex homínibus: cui hóminum, peccáta donet misericors & miserátor Dóminus. Habet tempus & locum intercedéndi: pius & miséricors advocátus. Equidem locum quiétum: & tempus feriátum. In terris visus est: ut esset exémplo; in cælum levátus est: ut esset patrocínio. Hîc infórmat ad vitam: illîc invítat ad glóriam. Factus est mediátor ad regnum: qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor: qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat; & supplicántis afféctum: & supplicatiónis fructum. Tu autem.

℟. Audiam Dómine vocem laudis tuæ: * Et enárrem universa mirabília tua. ℣. Lavábo inter innocéntes manus meas, & circúmdabo altáre tuum Dómine. Et enárrem.

Lectio v.

HOdie pósito córpore; quo solo præpedíri ab ingréssu glóriæ videbátur;

tur ; tantò alácrior, quantò expedítior, penetrávit in sancta: símilis factus in glória sanctórum. Hódiè de novíssimo & húmili loco quem sibi ex consílio Salvatóris elégerat ; ipso summo patrefamílias evocánte, verus amícus ascéndit supérius: & est illi glória, coram simul discumbéntibus. Hódiè despécto mundo & mundi príncipe triumpháto ; suprà mundum verè ascéndit: accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsâ supelléctili meritórum ; clarus triúmphis: miráculis gloriósus. Pausat miles erudítus: & post labóres sudoréſque perá̧ctæ milítiæ; locátur felíciter: coronátur sublímiter. Tu autē.

℞. Dómine quinque taléntа tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Euge serve fidélis quia super pauca fuísti fidélis super multa te constítuam. * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Labóres mánuum tuárum quia manducábis, beátus es, & benè tibi erit. Intra in gáudium.

Lectio vj.

QUi sedit & flevit super flúmina Babylónis: sedet modò ad fontem vitæ ; & conversátio illi secùs torréntem voluptátis: cujus ímpetus lætíficat civitátem Dei. Invénit sibi fontem hortórum, púteum aquárum vivéntium ; & cum Samaritána potátur aquâ sapiéntiæ salutáris: ut non sítiat in ætérnum. Datur illi de fructu mánuum suárum ; & laudant eum in portis ópera ejus: & gloriátur testimónio consciéntiæ. Consciéntiæ dico suæ: non altérius. Sedet médius Angelórum; dignus planè eórum consórtio ; quórum desidério flagrat: puritáte vitæ castimónia decorátur. Tu autē.

℞. Super salútem & omnem pulchritúdinem diléxi sapiéntiam & propósui pro luce habére illam : * Venérunt mihi ómnia bona páriter cū illa. ℣. Hanc amávi & exquisívi à juvētúte meâ, & amátor factus sum formæ illíus. Venérūt mihi. Glória. Venérūt mihi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij: secúndùm Lucam.

Lectio vij.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis. Sint lumbi vestri præcíncti ; & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris ; & vos símiles hominibus expectántibus Dóminum suum : quando revertátur à núptiis ; ut cùm vénerit, & pulsáverit : conféstim apériant ei. Et reliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

Ex Serm. 22. in Lucam.

SInt lumbi vestri præcíncti, ibi præcingénda est virtus : ubi volúptas est compriménda. Nescit víncere vítia córporis : virtútis cíngulum qui depónit. Cincti ergo castitátis báltheo quod est insígne milítiæ Christiánæ ; fluxam carnis detruncémus ignáviam : & Regis nostri expectatióne pervígiles, insómnes somnum sæculi nesciámus. Non dórmiunt, inquit : nisi cùm malè fécerint. Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Beáti in quórum mánibus bonórum óperum lucent lucérnæ ; sic enim lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant bona vestra ópera : & magníficent Patrem vestrum qui est in cælis. Et ut lucérna ante óculos : opus bonum in méntibus sic refúlget. Tu autem.

℟. Notas mihi fecísti Dómine vias vitæ ; * Adimplébis me lætítiâ cū vultu tuo delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei tu es qui restituísti hæreditátem meam mihi. Adimplébis.

Lectio viij.

ET vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum : quando véniat à núptiis. Quia semper núptiis amícæ sunt faces ; lúminum testimónio celebrátur cástitas nuptiárum : sicut enim fregit lucem illícita qui præsumit ; sic multíplici corúscat in lúmine : lícita qui requírit. Et vos símiles homínibus expectántibus Dñm suum : quando véniat à núptiis. Hómines sunt qui more débitæ servitútis indeféssis excúbiis advéntum sui Dómini præstolántur ; qui verò sic ventri sérviūt, ut divinam nésciant servitútem : & de carnis voluptáte

ptáte sollíciti; sollicitúdinem occursûs Domínici perdidérunt: hómines non vocándi sunt, sed juménta. Tu autem.

℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas & osténdit illi regnum Dei & dedit illi sciéntiam Sanctórum: * Honestávit illum in labóribus suis. ℣. Descéndit cum illo in fóveam & in vínculis non derelíquit eum. Honestávit.

Lectio ix.

EX quo ad dispensándũ suã Ecclésiam Christus advénit: thálamus ornátur sponsæ. Et ornátur auro fidei; argénto sapiéntiæ; virtútum gemmis; sanctitátis velis; verecúndiæ rosis; líliis castitátis; pudóris víolis: & ad alta cœli pudicítiæ templum, fastígium virginitátis attóllitur. Nec desunt Psalmórũ cítharæ, Prophética órgana; Apostolórum voces: totæque symphóniæ cæléstium nuptiárum. Satis servo somni est: qui tali & tanto clamóre, non ad cæléstis Regis núptias suscitátur. Ut cùm vénerit & pulsáverit confféstim apériant ei. Véniens pulsat corda; benè cónscius áperit: malè cónscius claudit. Justa mẽs patéscit ad præmium; injústa quia non méruit: se præclúdit. Vigilémus ergo dilectíssimi; ut beatitúdinem quæ séquitur: consequámur. Tu autem.

℟. Beátus vir qui post aurum non ábiit nec sperávit in pecúniâ & thesáuris: * Fecit enim mirabília in vita sua. ℣. Ideò stabilíta sunt bona illíus in Dómino, & eleemósynas illíus enárrat omnis Ecclésia Sanctórum. Fecit enim. Glória Patri. Fecit enim.

Si verò fuerit Festum duplex vel occurrerit in Dominica, non dicitur Glória Patri. *quia dicitur* Te Deum Laudámus.

AD LAUDES.

Antiph. Euge serve bone, in módico fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Psalm. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.*

Aña. Fidélis servus & prudens quem constítuit Dñs super famíliam suam.

Aña. Amávit eum Dóminus & ornávit eum. Stolam glóriæ índuit eum.

Aña. Beátus ille servus cũ

vénerit Dóminus ejus, & pulsáverit jánuam; & invénerit eum vigilántem.
Aña. Ecce verè Israëlita in quo dolus non est.

Capitulum. Eccli. 39.

JUstus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo; ad Deum qui fecit illum: & in conspéctu Altíssimi deprecábitur.
℣. Stolâ jocunditátis.
℟. Induit eum Dóminus.
Ad Bened. Aña. Euge serve bone & fidélis, quia super pauca fuísti fidélis super multa te constítuam, dicit Dóminus.

Orémus. *Oratio*

DEus, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnuâ solemnitáte lætíficas concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus: per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Capitulum. Justus cor suum. *ut suprà.*
℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. Justum dedúxit. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. ℟. Justum dedúxit. Glória Patri. Justum dedúxit. ℣. Amávit eum Dóminus & ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum. *Oratio.* Deus qui nos beáti N. Confessóris tui. *ut suprà.*

Si adsit propria, supradicta omnino omittitur.

Ad Sextã, Capit. Sap. 10.

SApiéntia justum dedúxit per vias rectas; & osténdit illi, regnum Dei: & dedit illi sciéntiam Sanctórum.
℟. Amávit eum Dóminus & ornávit eum. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Amávtt eum. Glória Patri. Amávit eum.
℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orémus. *Oratio.*

ADésto Dómine supplicatiónibus nostris: quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus; ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus: ejus qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per.

Ad Nonam, Capitulum. Eccli. 31.

BEátus vir qui invéntus est sine mácula, & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesáuris; Quis est hic & laudábimus eum: fecit enim mirabília in vita sua.
℟. Justus ut palma florébit

bit sicut cedrus Líbani, Justus ut. ℣. In domo Dómini plantátus, Justus ut. Glória Patri. Justus ut.
℣. Stolâ jocunditátis.
℟. Induit eum Dóminus.

Orémus. *Oratio.*

INtercéssio nos quæsumus Dómine beáti N. Confessóris tui comméndet; ut quod nostris méritis non valémus: ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Ad Vesperas si sit Festum duplex. Aña. Euge serve. *cum reliquis de Laudibus. ut suprà. Psalmus.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica.* 145 *sed loco ultimi, Psalm.* Laudáte Dóminum omnes gentes. 150

Si non sit festum duplex Antiph. & Psalmi de Feria occurrente. Capitulum & Vers. ut in primis Vesp.

Ad Magnificat, Antiph. Similábo eum viro sapienti qui ædificávit domum suam supra petram. *Oratio ut in primis Vesperis.*

Ad Process. primum Respons. Officij diei seq. Orat. conveniens.

Ad Completorium Hymnus Iste Conféssor. lxxvi.

In Festo Confessoris non Pontificis trium Lectionum omnia ut suprà ritu quo notatum est in communi Apostolorum trium Lectionum. Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Capitulum, *Versus Antiph. ad Magnificat &* Oratio *ut suprà. In secundis Vesperis.*

Ad Compl. Hymnus. Iste Conféssor. lxxvi.

Ad Matutinum Invitat. Regem Confessórum Dóminum. Veníte adorémus, &c. *Novem Antiphonæ novem Psalmi ut suprà, duæ primæ Lectiones, de* Scriptura *occurrente, tertia, ut habetur in proprio*

Ad Laudes & Horas ut suprà.

Si contingat celebrari octavam de aliquo Confessore non Pontifice, Officium infra octavam fit eodem ritu quo in Festo trium Lectionum; duæ primæ Lectiones de Scriptura occurr.

Tertia ut habetur infrà pro qualibet die octavæ.

Ad Laudes & Horas ut in die Festi. Ad Vesperas Aña & Psalmi de Feria occurrente, Capitulũ, Versus, Aña, ad Magnificat & Orat. ut in ij. Vesp. Festi

Ad Completor. Hymnus.
Iste Conféssor. lxxvi.

Die secunda infra octav.
De Serm. S. Gregórij Naz.
In Laud. Athanasii. Lect. iij

SAnctum N. laudans: virtútem laudábo. Idem enim est illum dícere; quod virtútem Láudibus effér-re: quóniam virtútes in se omnes colléctas tenébat; vel ut vériùs loquar: te-net. Deo quippe omnes vi-vunt, qui piè religioséque vixérunt; etiámsi ex hac vita migrárint: Unde & Deus; Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, dícitur: ut vivéntiū Deus, non mortuórum. Virtútem autem laudans, Deum lau-dábo; à quo virtus homí-nibus est: idque ut per co-gnátam illuminatiónem; ad eum adducántur: seu potiùs reducántur. Nam cùm multa & magna sint atque ádeò tot & tanta, ut nemo ea sermóne complé-cti possit; quæ nos à Deo partim habémus partim habitúri sumus: máximum tamen & humaníssimum; est propénsio ad eum: at-que conjúnctio. Nam quod rebus in sensum cadénti-bus est sol: hoc iis quæ ánimo & ratióne intelli-gúntur est Deus. Tu autem Dómine.

Die tertia infra octavā.
De Sermóne S. Greg. Na-zianzéni. *Ibidem.*
Lectio iij.

FAcite ígitur; quicúmq; laudum illíus præcónes ac testes estis; ut virtútes illíus inter vos partiámini: ac præclárum certámen in-ter vos ineátis; viri simul & fœminæ; adolescéntes & vírgines; senes ac ju-nióres: Sacerdótes & pó-pulus. Solitárii & in soda-lítio vivéntes; qui simpli-citátis & qui exactióris vi-tæ studiósi: quorum vita aut contemplatióni addí-cta est, aut actióni. Hic il-líus, velut córpore vacán-tis, ac matériæ expértis; in jejúniis atque oratióni-bus assiduitátem láudi-bus vehat: ille insuperábi-lem in vigíliis ac Psalmó-diis vigórem. Alius egén-tium curam, & præsídium: álius ut vel supérbis & elá-tis restíterit; vel ad húmi-les se demíserit: narret. Qui solitáriam vitam a-gunt; laudent excitató-rem: qui in sodalítiis vi-vunt; legislatórem: símpli-

ces

ces ductórem. Tu autem.

Die quarta infra octav.

De Sermóne S. Ephrem Diáconi. *Lectio iij.*

SAnctus hic nimirum verè gressus virtútum; liber laudum; vita miraculórum: qui in carne grádiens, spiritu incedébat; communémque cum áliis in terrâ vitam degens: supérna contemplabátur. Beryllum; plectrum mysticæ cítharæ: regiónem sanctórum Angelórum oblectās. Certus agnus mátricis vitæ; Spiritûs sancti agrum ac hortum illústrans; desidério atque amóre exúltans: ac florem ex imâ radice pretiosíssimæ Crucis decérpens. Præsépe sacrórum dógmatum; lingua sermónum; præmium rectárum atque utílium cogitatiónum demérgens seípsum in profúndum Scripturárum: & præcláram indè margaritam háuriens divínæ vitis ornátus bonus; divínam cælitus dulcédinem enúntians; membrána pulchra divínæ sapiéntiæ quæ de cælo divínas impressiónes accépit; óptimus regni supérni campus: fértiles justítiæ fructus Deo prodúcens. Tu autem.

Die quinta infra octav.

De Sermóne S Euchérii Lugdunénsis Epíscopi.

Serm. de S. Maximo.

Lectio iij.

QUanta ornaménta; quanta monília virtútum; vobis fabricátus est Sanctus N. vobis enim iste Athléta Christi, in illo agóne sudávit: vobis dum se extóllit, fructificávit sibi. Illic ferens: vobis colligébat; sibi quærens vobis néscius acquirébat. Sibi paratúrus præcónia: vobis solutúrus usúram. Vobis hæc spiritális colúmba, cibum de illa Christi mensa: & Angélica congregatióne capiebat. Vobis potum de illo gratiárum fonte sítiens hauriébat; ut quasi mater sollícita, escas quas de illo vitæ hórreo súmpserat: in sensus nostros, pleno de corde transfúnderet. Vobis prophética hæc apis: salutífera in illo alveário, mella confécit; Vestris proféctibus militávit; sic lampas magna nō sibi accénditur: sed lumen suum éminùs circumjécta jaculátur. Speciósum fundēs flámmeum

fulgórem;

fulgórem; & univérsis qui assistunt integrum: & singulis totum.

Die sexta infra octav.

De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Episcopi.

Eodem Sermone.

Lectio iij.

INternórum bonórũ suórum formas ac spécies: elaborávit occultáre, Sanctus N. Ut de ornaméntis sanctæ ánimæ suæ dici ácipi possit; omnis glória ejus, filiæ regis ab intus: in fimbriis áureis circum amícta varietáte. Dignè in fimbriis áureis; quia magis ac magis: in óperum suórum fulsit extrémis. Dignè, inquam, in fimbriis áureis; quia pretiósior seípso: in novíssimis fuit. Et sicut hic dixit, in vestimentórum fine; ita ille in áctuum suórum consummatióne plus cláruit. Itaque dum in sancta Congregatióne; Angélicis stúdiis scholã Christi índuit: splendébat omnis pátria radiáta ac repercússa suórum luce meritórum. Inter hæc ille, cùm vellet augéri: nolébat agnósci. Quia hæc est natúra justítiæ; ut quãtò studiósius abscóndi optat; tantò clárius innotéscat: & occultátio ipsi prodítio sit.

Die septima infra octav.

De Sermóne S. Bernárdi Abbátis. *Serm. 1.*

Lectio iij.

SAncti N. vita & glória speciális, non tam ad glóriam, quàm ad virtútẽ próvocat: omnes qui recto sunt corde. Non recti planè; sed pervérsi est ánimi: antè quærere glóriam quàm exercére virtútem; & velle coronári: qui legítimè non certáverit. Vanũ est vobis inquit: antè lucẽ súrgere. Ita est, frustrà ad celsitúdinẽ nítitur glóriæ: qui priùs non cláruit virtúte. Frustrà fátuæ Vírgines sponso óbviam surgũt: quarum lámpades extinguúntur; & ídeò fátuæ; quia vácuis gloriãtur lampádibus: virtútis óleũ non habéntes. Virtus gradus ad glóriam: virtus mater glóriæ est. Fallax glória; & vana est pulchritúdo: quã illa non parturívit. Sola est cui glória jure debétur: & secùrè impénditur. Tu autem Dómine.

In die octava semiduplex majus, ad Vesperas Antiphona & Psalmi de

Feria occurrente, reliqua ut in primis Vesperis Festi. Duæ Processiones, ut ibidē ad Completorium Hymnus Iste Confessor. lxxvi.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno:

De Sermóne S. Joánnis Chrysóstomi.

Orat. de sancto Philogono, ante medium.

Lectio iv.

AD hanc beátam réquiem tránsiit beátus N. quænam ígitur orátio par sit viri láudibus quem Deus tam felíci sorte dignátus est? Non est ulla. Sed age, dic mihi; Num idcircò silébimus? Et cujus rei causâ convénimus? An dicémus nos haud posse magnitúdinem gestórum; oratióne cónsequi? Atqui ob hoc ipsum necésse est dícere; quandóquidē hæc est præcípua laudum illíus pars: quòd factis verba æquiparári non possint. Nam quorum benefácta natúram étiam súperant mortálem; perspícuum est: quòd horum laudes, éxcedunt linguam humánam. Haud tamen ob id aspernábitur offícium nostrum; quod pro víribus præstámus: sed suum imitábitur Dóminum. Síquidem & illi víduæ duos tantùm óbolos adjiciénti in gazophylácium; non tantùm duórum obolórum mercédem: sed multò ampliórem réddidit. Tu autem.

Lectio v.

PRoínde quāvis nostræ facultátes exíguæ sint: minimíque prétij; áttamen quæ póssumus: offérimus. Ea licet non respóndeant magnitúdini meritórum, ánimæ præclari justíque N. tamen hoc celsitúdinis illíus máximum fúerit arguméntum: quòd nec pusilla repéllat, sed idem fáciat quod solent dívites. Síquidem illi cùm accéperint à tenúibus exígua quibus non egent; sua vicíssim appónunt remunerántes eos: qui quod póterant obtúlerint. Itidem & hic cùm accéperit à nobis laudem verbis peráctam: quâ nequáquam eget; redonábit nobis per ipsa facta benedictiónem: quâ semper uti posśímus. Tu autem Dómine.

Lectio

Lectio vj.

UNdè ígitur laudatiónem illíus auſpicábimur? An à magiſtrátu quem Spíritus illi trádidit grátia; nam mundáni Magiſtrátus, nequáquam poſſunt Chriſtianórũ demonſtráre virtútes: quin pótiùs, frequénter habent accuſatiónem malítiæ. Quam ob cauſam quóniam & ſollicitúdines amicórum; & circumcurſatiónes; & adulatiónes aliáque permúlta his fœdióra: tales magiſtrátus ſolent conciliáre. Cæterùm ubi Deus ſuo ſuffrágio deſignárit áliquem: incorrúptum ſuffrágium; aliénum ab omni ſuſpicióne judícium; indubitáta fúerit deléċti cõprobátio: propter ejus qui delégit auctoritátem. Tu autem.

In tertio Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii: ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. c. 12.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis. Sint lumbi veſtri præcíncti; & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris: & vos símiles homínibus; expectántibus Dóminum ſuum: quando revertátur à núptiis. Ut cùm vénerit, & pulsáverit: confeſtim apériant ei. Et réliqua.

Hom. S. Auguſtini Epiſc.

Serm. 39. de Verbis Domini.

AUdíſtis modò Evangélium quid monúerit nos: cautos nos fáciens; & volens eſſe expedítos & parátos: ad expectándum noviſſima. Ut poſt noviſſima quæ ſunt in hoc ſæculo metuénda; ſuccédat réquies: quæ non habet finem. Beáti qui partícipes facti fúerint. Erunt autem tunc ſecúri: qui modò non ſunt ſecúri; & íterùm tunc timébunt: qui modò timére nolunt. Ad hanc expectatiónem; & propter hanc ſpem: Chriſtiáni facti ſumus. Nonne ſpes noſtra nõ eſt de hoc ſæculo? Non amémus ſæculum; ab amóre ſæculi hujus vocáti ſumus: ut áliud ſæculum ſperémus & diligámus. In hoc abſtinére nos debémus ab ómnibus illícitis concupiſcéntiis: hoc eſt lumbos accínctos habére; debémus & fervére, & lucére, in opéribus bonis: hoc eſt lucérnas ardéntes in mánibus habére. Tu autem.

Lectio

Lectio viij.

LUmbos nostros accínctos esse vóluit: & lucérnas ardéntes. Quid est lumbos accínctos? Declína à malo. Quid est lucére? quid est lucérnas ardéntes habére? Hoc est, & fac bonum. Quid est quod adjúnxit & ait? Et vos símiles estóte homínibus expectántibus Dóminũ suum: quando revertátur à núptiis. Nisi quod in illo Psalmo séquitur; Inquíre pacem: & perséquere eam. Hæc tria: Hoc est abstinéntia à malo; & operátio boni; & spes præmii ætérni: commemoráta sunt in áctibus Apostolórum. Ubi scriptum est. Quia docébat eos Paulus de continéntia; de justítia: & spe vitæ ætérnæ. Ad continéntiam pértinet; Sint lumbi vestri accíncti. Ad justítiam pértinet: Et lucérnæ ardéntes. Ad expectatiónem Dómini pértinet; Símiles estóte homínibus expectãtibus Dóminum suum: quæ est spes vitæ ætérnæ. Tu autem.

Lectio ix.

HAbéntes autem ista præcépta & promíssa; quid quærimus in terrâ? Dies bonos: ubi eos inveníre non póssumus. Scio enim quia eos quæritis; quandò aut ægrotátis, aut in tribulatiónibus estis: quæ abúndant in hoc sæculo. Quóniam quando ætas vergit ad finem; & senex plenus est querélis & nullis gáudiis: inter omnes tribulatiónes quibus contéritur genus humánum; non quærunt hómines nisi dies bonos: & vitam volunt longam quam hîc habére non possunt. Quia & longa hóminis vita tantâ brevitáte constríngitur ad univérsi sæculi illíus latitúdinem; quasi si una gutta: ad univérsum mare comparétur. Tu autem.

Ad Laudes & Horas omnia ut in die. Ad Vesperas Añæ & Psalmi de Feria occurrente cætera ut in die.

Ad Processionem primum Respons. Officij diei sequentis. Oratio conveniens.

Ad Completorium Hymnus. Iste Confessor. lxxvi.

COMMUNE VIRGINUM.

Ad Vesperas si sit Festum Duplex. Aña. In odórem, *cum reliquis de Laudibus.* cxxij. *Psalmi* De beáta María.

Maria Virgine. *ut in ejus Officio parvo ad Vesperas, ut infrà.* fol. 2.

Si verò non fuerit Festum Duplex Antiph. & Psalmi de Feria occurrente.

Capitulum. 2.Cor.10

QUi gloriátur in Dómino gloriétur; non enim qui seípsum comméndat ille probátus est: sed quem Deus cōméndat.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tuâ.

℟. Inténde próspere procéde, & regna.

Ad Magnificat, Aña. Ipsi sum desponsáta, cui Angeli sérviunt; cuius pulchritúdinem, sol & luna mirántur.

Pro Virgine & Martyre.

Orémus. *Oratio.*

INdulgéntiam nobis Dómine beáta N. Virgo & Martyr implóret; quæ tibi grata semper éxtitit, & mérito castitátis: & tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Pro Virgine tantum.

Orémus. *Oratio.*

EXáudi nos Deus salutáris noster; & sicut de Beátæ N. Vírginis festivitáte gaudémus: ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum nostrum.

Ad primam Processionem.

℟. j. Locútus est ad me unus ex septem Angelis dicens; Veni osténdam tibi novam nuptam sponsam Agni: * Et vidi Jerúsalem descendéntem de cælo ornátam monílibus suis.

Pro Virgine & Martyre.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam mártyrij contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ N. Vírginis, & Mártyris tuæ natalítiâ cólimus: per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

Pro Virgine tantum.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nos sanctæ Vírginis N. ánnuâ solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut ejus adjuvémur méritis: cujus castitátis radiámur exémplis. Per Dóminum.

Ad secundam Processionē.

℟. ij. Véniens à Líbano quàm pulchra facta es: * Et odor vestimentórum tuórum super ómnia arómata.

Pro Virgine & Martyre.
Orémus. *Oratio.*
OMnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius; ut qui beátæ N. Vírginis & Mártyris tuæ solémnia cólimus: ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro Virgine tantum.
Orémus. *Oratio.*
SAnctæ Vírginis tuæ N. Dómine supplicatiónibus tríbue nos fovéri: ut cujus solemnitátem débito celebrámus obséquio; ejus intercessiónibus commméndemur: & accendámur exémplis. Per Dóminum.

Ad Completoriũ, Hymnus.
JEsu coróna Vírginum;
Quem Mater illa cóncipit,
Quæ sola Virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe.
Qui páscis inter lília,
Septus chóreis Vírginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens præmia.
Quocúmque pergis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cursitant;
Hymnósque dulces pérsonant.
Te deprecámur lárgiùs,
Nostris adáuge sénsibus;
Nescíre prorsùs ómnia
Corruptiónis vúlnera.
Laus honor, virtus, glória
Deo Patri, & Fílio
Unà cum sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
℟. Amen.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Vírginum Dóminum Veníte adorémus. *Psalm.* Veníte exultémus. 2.

In primo Nocturno, Aña. O quàm pulchra est.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster: * quàm admirábile est nomen tuum, in univérsa terra.
Quóniam eleváta est, magnificéntia tua super cælos.
Ex ore infántium, & lacténtium, perfecísti laudem propter inimícos tuos: * ut déstruas inimícum, & ultórem.
Quóniam vidébo cælos tuos ópera digitórum tuórum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.
Quid est homo quòd memor es ejus: * aut filius hóminis,

hóminis, quóniam vísitas eum.

Minuísti eum paulóminùs ab Angelis: * glóriâ & honóre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus: * oves & boves univérsas: * ínsuper & pécora campi.

Vólucres cæli & pisces maris: * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster: * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra. Glória Patri.

Aña. O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte.

Antiphona. Hæc est.

Psalmus 15.

CONsérva me Dómine quóniam sperávi in te: * Dixi Dómino, Deus meus es tu: * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus: * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * pósteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum, per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei: * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præclaris: * étenim hæréditas mea, præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum: * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum & exultávit lingua mea: * ínsuper & caro mea, requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * neque dabis sanctum tuum, vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætitiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua, usque in finem.

Glória Patri.

Aña. Hæc est quæ nescívit thorum in delícto; habébit fructum, in respectióne

ne animárum sanctárum.

Antiphona. Quàm pulchri sunt gressus tui,

Psalmus 23.

DOmini est terra & plenitúdo ejus: * orbis terrárum & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini: * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam suam: * nec iurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ:* Dóminus fortis & potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ: * Dóminus virtútum, ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri.

Aña. Quàm pulchri sunt gressus tui calceaménti filia príncipis.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua,

℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

Pater noster.

Deprec. Exúrge Dómine. Súscipe deprecatiónem.

Benedictio. Adiútor.

Lectio j.

De Epístola primâ beáti Pauli ad Corínthios.

DE virgínibus præcéptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus à Dómino: ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse; propter instántem necessitátē: quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri: noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre: noli quærere uxórem. Si autē accéperis uxórem: non peccásti. Et si núpserit virgo: non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis: habébunt hujúsmodi. Ego

Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico fratres; Tempus breve est: réliquum est, ut & qui habent uxóres; tamquam non habéntes sint: & qui flent tamquam non flentes; & qui gaudent tāquam non gaudéntes; & qui emunt tanquam non possidéntes: & qui utúntur hoc mundo tamquam non utántur. Prǽterit enim figúra hujus mundi, Tu autem.

℟. Locútus est ad me unus ex septem Angelis dicens. Veni osténdam tibi novam nuptam sponsam Agni: * Et vidi Jerúsalem descendéntem de cælo ornátam monílibus suis.

℣. Et sústulit me in spíritu in montem magnum & altum. Et vidi.

Benedictio. Benedictiónibus suis.

Lectio ij.

VOlo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt: quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mnudi; quómodò pláceat uxóri: & divísus est. Et múlier innúpta & virgo; cógitat quę Dómini sunt: ut sit sancta córpore & Spíritu, Quæ autem nupta est cógitat quæ sunt mundi: quómodò pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico; non ut láqueum vobis injíciam; sed ad id quod honéstum est: & quod facultátem præbeat, sine impediménto: Dóminum obsecrándi. Tu autem.

℟. Véniens à Líbano quàm pulchra facta es: * Et odor vestimentórum tuórum super ómnia arómata.

℣. Speciósa facta es & suávis in delíciis tuis. Et odor.

Benedictio. Cœléstem benedictiónem.

Lectio iij.

SI quis autem turpem se vidéri exístimat super Vírgine sua; quòd sit superadúlta, & ita opórret fieri; quod vult fáciat: non peccat si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis; & hoc judicávit in corde suo, serváre Vírginem suam: benè facit. Igitur & qui matrimónio jungit Vírginem suam benè facit; & qui non jungit: mélius facit. Múlier alligáta est

legi:

legi : quanto témpore vir ejus vivit. Quòd si dormíerit vir ejus ; liberáta est : cui vult nubat. Tantum in Dómino. Beátior autem erit ; si sic permánserit ; secúndùm meum consílium : Puto autem quòd & ego Spíritum Dei hábeam. Tu autem.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, * Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem & mansuetúdinem & justítiã & dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Proptéreà. Glória Patri. Proptéreà.

In secundo Nocturno Antiphona. Spécie tua.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, velóciter scribéntis,

Speciósus formâ præ fíliis hóminum : * diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum potentíssimè.

Spécie tua & pulchritúdine tua : * inténde prósperè, procéde & regna.

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam : * & dedúcet te mirabíliter, déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ : * pópuli sub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga diréctiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam & odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum, in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi filia & vide, & inclína aurem tuam : * & obliviscere pópulum tuũ, & domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis.

Omnis glòria ejus fíliæ Regis ab intus : * in fimbriis

briis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi Vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne: * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filij: * constítues eos príncipes super omnem terram,

Mémores erunt nóminis tui: * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnū: * & in sæculum sæculi.

Glória Patri.

Aña. Spécie tua & pulchritúdine tua; inténde, próspere procéde, & regna.

Aña. Adjuvábit eam.

Psalmus 45.

DEus nostrum refúgium & virtus:* adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra: * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum, Altíssimus.

Deus in médio ejus non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra,

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob,

Veníte & vidéte ópera Dómini quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella, usque ad finem terræ.

Arcum cónteret & confrínget arma: * & scuta combúret igni.

Vacáte & vidéte quôniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob. Glória Patri.

Aña. Adjuvábit eam Deus vultu suo, Deus in médio ejus non commovébitur.

Aña. Hortus conclúsus.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus & laudábilis nimis: * in

in civitáte Dei nostri in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ: * mons Sion, látera aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur: * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce Reges congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in spíritu veheménti, cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus sic vídimus in civitáte Dómini virtútum: * in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam: * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus sic & laus tua in fines terræ: * justítiâ plena est, déxtera tua.

Lætétur mons Sion & exúltent filiæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion & complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * & distribúite domos ejus ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus Deus noster in ætérnum & in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Glória Patri.

Aña. Hortus conclúsus, soror mea; hortus conclúsus, fons signátus.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur. Pater noster. *Deprecat.* Osténde nobis. *Benedict.* Deus Dei Fílius.

Sermo sancti Ambrósij Epíscopi.

Lib. I. *de Virginibus.*

Lectio iv.

INvítat nunc integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus; ne véluti tránsitu quodã præstrícta videátur: quæ principális est virtus. Non enim ídeò laudábilis virgínitas; quia in martyribus reperítur: sed quia ipsa martyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere; quam nec natúra suis inclúsit légibus; aut quis naturáli voce complécti: quod su-

prà usum natúræ sit? E cœlo accersívit quod imitarétur in terris; nec immérito vivéndi sibi usum quæsívit è cœlo: quæ sponsum sibi invénit in cœlo. Hæc nubes, áëra, Angelos, sideráque transgrédiens; Verbum Dei in ipso sinu Patris invénit: & toto hausit péctore. Nam quis tantùm cùm invénerit relínquat boni; Unguéntum enim exinanítum est nomen tuum; proptéreà adolescéntulæ dilexérunt te: & attraxérunt te. Tu autem.

℟. Dilexísti justítiam & odísti iniquitátem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus. ℣. Omnis glória ejus fíliæ regis ab intùs, in fimbriis áureis. Proptéreà.

Benedictio. Ætérnam benedictiónem.

Lectio v.

EGo licèt laudatiónem, non suscéperim virginitátis, sed expressiónem; ad rem tamen pertinére árbitror; ut quæ sit ei pátria, quis auctor appáreat: ac priùs ubi sit pátria definiámus. Si enim ibi est pátria; ubi genitále domicílium: in cœlo profécto est pátria castitátis. Itaque hîc ádvena: ibi íncola est. Quid autem est cástitas Virginális; nisi expers cótagiónis intégritas? Atque ejus auctórē quem póssumus existimáre nisi immaculátum Dei Fílium; cujus caro non vidit corruptiónem? Divínitas non est expérta contagiónem. Vidéte ígitur quanta Virginitátis mérita sint. Christus ante Vírginem: Christus ex Vírgine; à Patre quidem natus antè sæcula: sed ex Vírgine natus ob sæcula. Illud natúræ suæ: hoc nostræ utilitátis est. Illud erat semper: hoc esse vóluit. Spectáte, áliud virginitátis méritum. Christus virgo, vírginis sponsus; & si dici potest: Christus vírgineæ castitátis; Virgínitas enim Christi; non Virginitátis est Christus. Tu autem.

℟. A dextris est mihi Dóminus ne commóvear. * Propter hoc delectátum est cor meum & exultávit lingua mea. ℣. Consérva me Dómine quóniam in te sperávi, dixi Dómino: Deus meus es tu. Propter.

Bened. Grátia Spíritûs.

Lectio

Lectio vj.

AUdi ígitur filia & vide & inclína aurem tuam: & oblivíscere pópulum tuum & domum patris tui; quóniam concupívit rex spéciem tuam: quia ipse est Deus tuus. Advérte quantum tibi Spíritus sanctus: Scriptúræ divínæ testificatióne detúlerit. Regnum, aurum, pulchritúdinem. Argentum; vel quia sponsa es Regis ætérni: vel quia invíctum ánimum gerens ab illécebris voluptátum; non captíva habéris: sed quasi Regína domináris. Aurum; quia sicut illa matéries examináta igne, pretiósior est: ita córporis spécies virginális; Spíritu consecráta divíno: formæ suæ acquírit augméntum. Pulchritúdinem verò, quis potest majórem existimáre: decóre ejus, quæ amátur à Rege; probátur à Júdice; dedicátur Dómino; consecrátur Deo? Semper sponsa; semper innúpta; ut nec amor finem hábeat: nec damnum pudor. Hæc profécto vera pulchritúdo est: cui nihil deest. Quæ sola merétur audíre à Dómino: tota es formósa: próxima mea: & reprehénsio non est in te. Tu autem.

℟. Induit me Dóminus vestiménto salútis, & induménto lætítiæ circúdedit me:* Et tamquā sponsam decorávit me corónâ. ℣. Gaudens gaudébo in Dño & exultábit ánima mea in Deo meo. Et tamquam. Glória. Et tamquā.

In tertio Nocturno.

Aña. Surge Aquilo.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis:* díligit Dóminus portas Sion, super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babylónis, sciéntium me.

Ecce alienígenæ & Tyrus, & pópulus Æthyopum: * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet homo: * & homo natus est in ea; * & ipse fundávit eam Altíssimus.

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, & príncipum: * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium óm-

nium, habitátio est in te.
Glória Patri.
Aña. Surge Aquilo & ventus Auster, perfla hortum meum, & fluent arómata illíus. *Aña.* Médiâ nocte.

Psalmus 96.

DOminus regnávit exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus:* justítia & judíciũ corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet: * & inflammábit in circúitu, inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ:* vidit & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriã ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * & qui gloriántur, in simuláchris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es, super omnes Deos.

Qui dilígitis Dóminum odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum: * de manu peccatóris, liberávit eos.

Lux orta est justo: * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memóriæ, sanctificatiónis ejus. Glória Patri.

Aña. Média nocte clamor factus est; ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

Aña. Vírgines prudéntes.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus: * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum; * ante conspéctum géntium, revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ, salutáre Dei nostri: * jubiláte Dómino omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cythara

thara, in cythara & voce psalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in cōspéctu Regis Dómini: * moveátur mare & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu simul: * montes exultábunt à conspéctu Dómini: * quóniam venit, judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia: * & pópulos in æquitáte.

Glória Patri.

Aña. Vírgines prudéntes sumpsérunt óleum in vasis suis, cum lampádibus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Pater noster.

Deprecatio. Adjutórium nostrum.

Benedictio. Redémptor.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Símile est regnum cælórum decem Virgínibus; quæ accipiéntes lámpades suas: exiérunt óbviàm, sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ: & quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ accéptis lampádibus: non sumpsérunt óleum secum. Et réliqua.

Homília sancti Augustini Epíscopi.

Serm. 23. de Verbis Domini.

Inténtum me fecit Evāgélium sanctum. Etiam ipsas Vírgines & ipsas feréntes lampádes; álias dixit prudéntes: álias stultas. Undè intuémur; undè discérnimus? de óleo. Aliquid magnum signíficat óleum: valdè magnum. Putas non cháritas est? Quæréndo dícimus: non senténtiam præcipitámus. Undè mihi videátur óleū cháritas significári? dicam vobis. Apóstolus dicit; Adhuc supereminentiórem vobis viam demónstro. Supereminentiórem viam, quam demónstrat: Ecce si linguis hóminum loquar & Angelórum; charitátem autem non hábeam: factus sum æraméntum sonans, aut cymbalum tínniens. Ipsa est superéminens via; id est cháritas: quæ méritò, óleo significátur. Tu autem.

℟. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus : * Myrrhæ & thuris, & univérsi púlveris pigmentárij. ℣. Emissiónes tuæ paradísus malórum punicórum, cum pomórum frúctibus. Myrrhæ.

Benedict. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio viij.

VOluérunt óbviàm ire sponso. Quid est ire obviàm sponso? corde ire: expectáre ejus advéntum. Sed ille tardábat. Dum tardat ille: dormiérunt omnes. Quid est omnes? Et fátuæ & sapiéntes; dormitavérunt omnes: & dormiérunt. Putámus bonus est somnus iste? Quid est somnus iste? ne forte tardánte sponso; quóniam abúndat iníquitas: refrigéscet cháritas multórũ. Síccine intellectúri sumus istum somnum? non mihi placet. Dico quare. Quia sunt ibi prudéntes; & utíque quandò dixit Dóminus, quóniam abundávit iníquitas: refrigéscet cháritas multórum. Subjécit & ait. Qui autem perseveráverit usque in finem: hic salvus erit. Ubi vultis esse istas prudéntes? Nonnè in his quæ perseveráverunt usque in finem. Non ob áliud prorsùs admitteréntur intrò: nisi quia perseveravérunt usque in finem. Tu autem.

℟. Surge própera amíca mea & veni; jam enim hyems tránsiit, imber ábiit & recéssit : * Flores apparuérunt in terra. ℣. Vox túrturis audíta est in terra nostra, ficus prótulit grossos suos. Flores apparuérunt.

Benedictio. Ad supernórum cívium.

Lectio ix.

NE fortè inquiunt non sufficiat nobis & vobis, ire pótiùs ad vendéntes: & émite vobis. Non consuléntium, sed irridéntium est ista respónsio. Quare irridéntium: quia sapiéntes erant; quia sapiéntia erat in illis: non enim sapiéntes de suo erant. Sed illa in illis erat sapiéntia de qua scriptum est in quodam libro; quæ dicit contemptóribus suis, cùm vénerint ad mala quę illis mináta est: Et ego vestræ perditióni superirridébo.

débo. Quid mirũ est, quia sapiéntes írrident fátuas? quid est irridére? Ite ad vendéntes & emíte vobis. Quæ non solebátis benè vívere; nisi quia vos hómines laudábant: quia vobis óleum vedébant. Quid est óleum vendébant? laudes vendébant. Qui vendunt laudes nisi adulatóres? quantò magis non acquiescerétis adulatóribus; & intùs óleum portarétis: & propter bonam consciéntiã ómnia bona ópera facerétis. Tu autem.

℟. Laudáte Dñm Deum nostrum: * Qui non deséruit sperántes in se & in me adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël.

℣. Laudáte Dóminum omnes gentes, & collaudáte eum omnes pópuli. Qui non deséruit. Glória Patri. Qui non.

Si sit Festum Duplex, vel occurrerit in Dominica dicitur. Te Deum laudámus. *Et tunc non dicitur* Glória Patri.

AD LAUDES.

Antiphona.

IN odórem unguentórum tuórum currémus; adolescéntulæ dilexérunt te nimis. *Psalmus* Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.* 2o. *Antiph.* Pulchra es & decóra filia Jerúsalem; terríbilis ut castrórum ácies ordináta. *Aña.* Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. *Aña.* Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me, in ætérnum. *Antiphona.* Revértere revértere; Sunamítis, revértere, revértere; ut intueámur te.

Capitulum. 2. Col. 10.

QUi gloriátur in Dómino gloriétur; non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est: sed quem Deus cõméndat.

℣. Audívit & lætáta est Sion.

℟. Et exultavérunt fíliæ Judæ.

Ad Benedictus, Antiph. Ecce quod cupívi jam vídeo quod sperávi jam téneo; illi sum juncta in cælis quem in terris pósita totâ devotióne diléxi.

Orémus. *Oratio.*

INdulgéntiam nobis Dómine beáta N. Virgo & Martyr implóret; quæ tibi

grata semper éxtitit, & mérito castitátis: & tuæ professióne virtútis. Per.

Pro Virgine tantum.

Orémus. *Oratio.*

Exáudi nos Deus salutáris noster; ut sicut de beátæ N. Virginis festivitáte gaudémus: ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Capitulum.

Qui gloriátur. *ut suprà.*

℟. Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ. Spécie ℣. Inténde prósperè procéde & regna. Spécie. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Oratio. Indulgéntiam. *vel* exáudi, &c.

Ad Sextam, Capitulum.

Æmulor enim vos Dei æmulatióne; despondi enim, vos uni viro: Vírginem castam exhibére Christo.

℟. Adjuvábit eam Deus vultu suo. Adjuvábit.

℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Adjuvábit. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Pro Virgine & Martyre.

Orémus. *Oratio.*

Deus qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam Mártyrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ N. Vírginis & Mártyris tuæ, natalítia cólimus: per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Pro Virgine tantum.

Orémus. *Oratio.*

Deus qui nos sanctæ Vírginis N. ánnuâ solemnitáte lætíficas; concéde propítius ut ejus adjuvémur méritis: cujus castitátis radiámur exémplis. Per Dóminum.

Ad Nonam, Capitulum.

1. Cor. 7.

Mulier innúpta, & virgo; cógitat quæ Dómini sunt: ut sit sancta córpore, & spíritu.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. Diffúsa. ℣. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. Diffúsa. Glória Patri. Diffúsa.

℣. Audívit & lætáta est Sion.

℟. Et exultavérunt fíliæ Judæ.

Orémus

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui infírma mūdi éligis ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius; ut qui beátæ N. Vírginis & Mártyris tuæ, solémnia cólimus: ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro Virgine tantum.

Orémus. *Oratio.*

SAnctæ Vírginis tuæ N. Dómine supplicatiónibus tríbue nos fovéri: ut cujus venerábilem solemnitátem débito celebrámus obséquio; ejus intercessiónibus commendémur: & accendámur exémplis. Per Dóminum.

Ad Vesperas si sit Festum Duplex. Aña. In odórem. *cum reliquis de Laud. Psalmi, ut in primis Vesp.*

Si autem non sit Festum duplex dicuntur Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Capitul. *& Versus ut suprà in j. Vesperis.*

Ad Magnificat, Antiph. Annulo suo subarrhávit me Dóminus meus Jesus Christus, & tamquā sponsam decorávit me coróuâ. *Oratio.* Indulgéntiam. *ut suprà.*

Ad Processionem primum Respons. Officij diei sequentis. Oratio conveniens.

Ad Complet. Hymnus. Jesu coróna Vírginum.

In Festo Virginis trium Lectionum omnia ut sup.

Ad Vesperas Antiphonæ Psalm. de Feria occurrente. Capitul. Versus ut in secundis Vesperis Antiph. ad Magnificat. Annulo suo.

Oratio ut suprà.

Ad Complet. Hymnus. Jesu corona Vírginum.

Ad Matutinum, Invit. Regem Vírginum Dóminum. Veníte adorémus.

Novem Antiphonæ & novem Psalmi ut sup. Ritu notato in Comm. Apostolor. Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente. Tertia ut habetur in Proprio. Ad Laud. & Horas ut sup.

Si contingat celebrari oct. de aliqua Virgine; Officium infra octavam sit eodem ritu quo in Festo trium Lectionū. Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia ut habetur infra pro qualibet die oct. Ad Laudes & Horas ut in die Festi. Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de

Feria occurrente, Capitulũ Versus, Aña ad Magnificat, & Oratio ut in ij. Vesp.

Ad Complet. Hymnus. Jesu coróna Vírginum.

Die secunda infra Oct. De Serm. S. Máximi Episc. *Serm. in Natali S. Agnetis.*

Lectio iij.

CUm in toto mundo Virgineus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat; & sceptrígeram pudóris aulam immaculáto consérvet afféctu: eoúsque intégritas persevérávit ad palmam; ut in puéllis trophæum sanctitátis arríperet: & per vestígia Matris Vírginis, ad cæléstem thálamum perveníret. Hinc est quòd ánnulo fidei N. se ásserit subarrhátham: & clamat, se amóre sponsi constríctam. O quàm imitábile Virgínibus: Virgo tui amóris, tradidísti exémplum! O quàm sanctum pectóribus dandum virgíneis: tribuísti respónsum. Contemnéndo mundi divítias; execrándo carnis cõcupiscéntias: & solam Christi pulchritúdinem adamándo. Accédite ad puéllam, puéllæ; & díscite quales in péctore suo: circa amórem Christi, flammas accéndit. Dicit se amatóri suo serváre fidem; & ejus corpus concupíscere solũ: qui pro amóre hóminum, mortis non recusávit intéritum. Tu autem.

Die tertia infra octavã. De Sermóne sancti Máximi Epíscopi.

Eodem Sermone.

Lectio iij.

BEatíssima N. magnum de se pudicítiæ excitávit exémplum; cùm Virginitátem prætulit vitæ: omnémque à se amórem scelérum expéllens, trophæum crucis Christi arrípuit. Et tam contra libídines quàm étiam contra supplícia univérsa; fide pótiùs armáta quàm ferro: fórtiter dimicávit, & vicit. Aspicit dénique blãdiéntem, & ténuit; minántem incéndium: atténdit, & ridet. Nescit amáre áliquid quod transit; & dum nimis virginitátem díligit: nec ludíbria; nec flammas; nec supplícia: nec carnífices métuit. Postrémò nec gládium: furéntis percussóris expávit. Compéllitur Virgo ornaménta suscipe-

ſuſcípere córporis; ſed ténuit: quóniam jam ſuſcéperat mentis. Et quia non de elegántiâ córporis humáni placére ſtudébat; quia timébat de fœditáte ánimæ Dómino diſplicére: dabat intùs per fidem ſuæ menti candórem; pulchritúdinem excolébat ánimæ; & quantùm ſitiébat ut ánimam ſuam pulchram fáceret: tantùm in córpore erubeſcébat ſe eſſe formóſam. Tu autem Dómine.

Die quarta infra octav.

De Sermóne ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Lib. de ſancta Virginitate ſub initium.

Lectio iij.

CUm ipſa ígitur univérſa Eccléſia virgo ſit deſponsáta uni viro Chriſto; ſicut dicit Apóſtolus: quanto digna ſunt honóre membra ejus; quæ hoc cuſtódiunt étiam in ipſa carne, quod tota cuſtódit in fide. Quæ imitátur matrem viri ſui: & Dómini ſui. Nam Eccléſia quoque & mater & virgo eſt. Cujus enim integritáti conſúlimus; ſi virgo non eſt? Aut cujus prolem allóquimur; ſi mater non eſt? María corporáliter caput hujus córporis péperit; Eccléſia ſpirituáliter membra illíus cápitis parit. In utrâque virgínitas, fœcunditátem non impedit: in utrâque fœcúnditas, virginitátem non ádimit. Proíndè cùm Eccléſia univérſa ſit ſancta & córpore & ſpíritu; nec tamen univérſa ſit córpore virgo ſed ſpíritu: quantò ſánctior eſt in his membris, ubi virgo eſt, & córpore, & ſpíritu. Tu autem.

Die quinta infra octav.

De Sermóne ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

De eodem Libro.

Lectio iij.

HAbeant conjúgia bonum ſuum non quia filios prócreant: ſed quia honéſtè, quia lícitè, quia pudícè, quia ſociáliter prócreant: & procreátos páriter, ſalúbriter, inſtánter edúcant. Quia thori fidem ínvicem ſervant: quia ſacraméntum connúbij non víolant. Hæc tamen ómnia humáni offícij ſunt múnera; virginális autem intégritas, & per piam cōtinéntiam ab omni con-

cúbitu immúnitas: Angélica pórtio est, & in carne corruptíbili incorruptiónis perpétuæ meditátio. Cedat huic, omnis fœcúnditas carnis: omnis pudicítia conjugális. Illa non est in potestáte: illa non est in æternitáte. Profécto habébunt magnum áliquid præter cæteros in illa commúni immortalitáte: qui habent áliquid jam non carnis, in carne. Tu autem.

Die sexta infra octav.

Sermo sancti Gregórij Nysséni.

Lib. de Virginitate.

Lectio iij.

QUi Virginitáte nitens; vero sponso adhæret ánimus; non à corpóreis solùm abscédit sórdibus: sed hinc quidem ille puritátem auspicábitur; símili verò étiam ratióne, paríque diligéntia ad ómnia pertendet; idque ádeò timens, ne quò extra honésti ac officij ratiónem vergénte corde: mali alicújus commércio, adúlteræ mentis labē áliquam, ea parte admíttat. Verbi grátia, qui Dómino adhæret ánimus: ut unus cum eo fiat spíritus; velut sociális vitæ jura proféssus; ut eum solum, ex toto corde, totáque virtúte díligat: nec adúlteræ adhærébit; ne unum cum illâ corpus efficiátur: nec áliud quidquam eórum quæ salúti advérsa sunt, admíttet.

Die septima infra octav.

De Sermóne S. Methódij, Patriárchæ Constantinopolitáni.

Lib. de Castitate.

Lectio iij.

CHristus ipse, ánimas in Virginitátis propósito constánter comméndans, ait. Sicut lílium in médio spinárum: sic próxima mea in médio filiárum. Lílio cómparans propter puritátem, fragrántiam, suavitátem; & hilaritátem recreántis óculos speciéi: donum Virginitátis. Verna quippe res Virgínitas; mólliter efflorescéntibus, & semper cándidus exhálans calícibus incorruptiónem. Unde & se amáre ipsíus foris formam; fatéri non erubéscit: dum in sequéntibus, sic ait: Cor abstulísti nobis soror mea sponsa; cor

cor abstulísti nobis uno ex óculis tuis: in uno ornaménto cervícum tuárum. Has, Christus, animábus, quæ ad Virginitátis castra accessérunt, laudes canit; omnes uno circumscríbẽs sponsæ vocábulo: quóniã sponsam sponso nuncupári decet, prorsúsque illibátam servári. Instar horti signáti; ubi ómnia cæléstis fragrántiæ arómata nascúntur: ut solus véniens ea carpat Christus, incorpóreis gemmántia frúctibus. Tu autem.

In die octava semiduplex majus. Omnia ut in die ad Vesp. Antiph. & Psalmi de Feria occur. Capitul. ℣. & Aña, ad Magnif, ut in primis Vesperis festi. Duæ Processiones ut ibidem.

Ad Complet. Hymnus. Jesu coróna Vírginum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Gregórij Nysséni.

Libro de Virginitate.

Lectio iv.

QUod in intemeráta María corporáli gestum ratióne est: ut plenitúdo divinitátis in Christo virginitátis flore eluceret; hoc ipsum in omni quoque ánimo, qui virginitáte fúlgeat: ratióne præstátur. Cùm Dóminus non ámpliùs corporáli advéntu véniat; (Non enim adhuc inquit secúndùm carnẽ Christũ nóvimus:) sed ita ut spirituáli ratióne domo péctoris excipiátur; ac unâ Patrem suum indúcat: uti quodam loco testátur Evangélium. Igitur tanta vis Virginitátis est: ut & in cœlis apud Patrem spirituum máneat; & cum mundo superióribus potestátibus choros ducat: atque ad humánam ipsa salútem conétur. Quæ nimírum ad humánæ vitæ cõmérciũ Deum per se ipsa trahat; inque seípsâ, ad cæléstium rerum cupiditátem, velut ádditis pennis hóminem érigat: ac velut vínculum humánæ cũ Deo necessitúdinis exístat. Dum res tanto intervállo à se natúra dissitas: quæ média intercédit, ad consénsum cogit ac concórdiam. Tu autem.

Lectio v.

SUblímis desidérij sóciam ac adjutrícem; ut in

in divínis lítteris appellári solet: virginitátem homini esse dícimus. Ut enim reliquórum studiórum artes quædam, quibus síngula quæque, nostris dédita curis, exequámur: adinvétæ sunt. Sic Virginitátis quoq; disciplína mihi ars quædam & facúltas diviniória vitæ esse vidétur; quæ in carne vivéntes: ad natúræ córpore vacántis, similitúdinem compónat. Vitæ enim hujus stúdium omne ac institútum illud est: ne libídinum insúltu ánimi altitúdo in húmile trahátur; nevè ánimus qui sublímia pétere ac cæléstia contuéri debet: ad carnis sanguiníque vítia, affectúsq; ac libídines prolabátur. Quo enim modò qui carnis terrénæ libídini cohæréscat: ac qui omnẽ humánis affectibus cupiditátem addíxerit; ad cognátum ac spiritále lumẽ mentis óculum eréxerit? cùm ex pravâ ac inerudítâ occupatióne, ad terréna lutéáque vergat propénsè, atque ferátur. Tu autem.

Lectio vj.

Videtúrque ejus quæ in futúro ævo fruénda est, beatitúdinis; simulachrũm quóddam Virginális vita exístere: multa signa præferens illórũ bonórum, quæ sunt per spem repósita. Fácilè verò eórum quæ dicta sunt véritas dilucéscat: oratiónis accuráto exámine. Primũ quidem; quòd qui semel peccáto mórtuus est: deínceps vivat Deo. Qui non ámpliùs morti fructíficet; sed quoad licet, consummátâ in se carnáli vitâ: beátam demùm spem & apparitiónem magni Dei expéctet; nullo intervállo inter se Deúmque advéntum: per intercéptas generatiónes relícto. Deínde quæ in resurrectióne exímia futúra bona sunt: iis in hac ipsá vitâ frúitur. Si enim vita Angélis compar, post resurrectiónem à Dómino justis promíssa est: hocque Angélicæ natúræ próprium, ut sint à núptiis immúnes; jam promissiónis bona accépit: qui sanctórum commíxtus splendóribus; vitáque impollútâ: Spirítuum puritátem imitátur. Tu autem Dómine.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis. Símile est regnum cælórum decem Virgínibus; quæ accipiéntes lámpades suas: exiérunt óbviam, sponso, & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ: & quinque prudéntes; sed quinque fátuæ accéptis lampádibus: non sumpsérunt óleum secum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 22. de Verbis Domini.

VIdéntur mihi quinque Vírgines; significáre quinque partítam continéntiam: à carnis illécebris. Continéndus est enim ánimi appetítus, à voluptáte oculórum; à voluptáte áurium; à voluptáte olfaciéndi: gustandi, tangéndi. Sed quia ista continéntia partim córam Deo fit ut illi placeátur interióre gáudio consciéntiæ; partim coram homínibus tantùm, ut glória humána capiatur: quinque dicúntur sapiéntes, & quinque stultæ. Utræque tamen Vírgines; quia utráque continéntia est: quamvis divérso fómite gáudeat. Lámpades autem sunt, quia mánibus portántur ópera: quæ secúndùm istam continéntiam fiunt. Tu autem.

Lectio viij.

SEd quinque fátuæ; accéptis lampádib⁹ suis: non sumpsérunt óleum secum. Multi enim quamvis de Christi bonitáte plúrimum sperent; gáudium tamen non habent, dum continénter vivunt: nisi in láudibus hóminum. Non ergo habent óleum secum: nam ipsam lætítiam, óleo significári árbitror. Proptérea, inquit, unxit te Deus, Deus tuus: óleo lætítiæ. Qui autem non proptérea gaudet; quia Deo intrínsecus placet: non habet óleum secum. Prudéntes autem accepérunt óleum secum in vasis, cum lampádibus suis; id est lætítiam óperum bonórum: in corde atque consciéntia posuérunt. Sic & Apóstolus monet. Probet se, inquit, homo

mo: & tunc in ſemetípſo habébit glóriam, & non in áltero. Tu autem.

Lectio ix.

EUntibus autem illis émere: venit ſponſus. Id eſt inclinántibus ſe illis in ea quæ foris ſunt: & sólitis gaudére præséntibus; quia gáudia intérna: non nóverant. Venit ille qui júdicat. Et quæ parátæ erant; id eſt, quibus bonum coram Deo teſtimónium conſciéntia perhibébat: intravérunt cum eo ad núptias; id eſt, ubi munda ánima: ſempitérno Dei Verbo fœcundáta, copulátur. Clauſa eſt jánua, id eſt, recéptis illis, qui ſunt in Angélicam vitã immutándi: Omnes enim reſurgémus inquit; ſed nõ omnes immutábimur: clauſus eſt áditus ad regnum cælórum. Non enim poſt judícium: pater precum, aut meritórum locus. Noviſſimè autem véniunt & réliquæ Vírgines dicéntes; Dómine, Dómine: aperi nobis. Non dictum eſt quòd émerint óleum; & ideò intelligéndæ ſunt, nullo jam remanénte, de aliénis láudibus & magnis afflictatiónibus: redíre ad implorationem Dei. Sed magna eſt ejus ſevéritas poſt judícium; cujus ante judícium: ineffábilis miſericórdia prærogáta eſt. Tu autem.

Ad Laudes & Horas omnia ut in die. Ad Veſperas, Antiphonæ & Pſalmi de Feria occurrente.

Capitul. Verſ. Antiph. ad Magnific. & Orat. ut in ſecundis Veſperis Feſti. Ad Completor. Hymnus. Jeſu coróna Vírginum.

Ad Proceſſionem 1. Reſp. Officij diei ſequentis.

Oratio conveniens.

COMMUNE
Mulierum ſanctarum.

Ad Veſperas ſi ſit Feſtum duplex. Antiph. Dum eſſet Rex, *cum reliquis de Laudibus Pſalmi.* De beáta María. *ut in ejus Officio parvo ad Veſperas. Si non ſit Feſtum duplex Antiphonæ & Pſalmi de Feria occurrente.*

Capitulum. Prov. 31.

MUlíerem fortem quis invéniet? procul & de últimis finibus prétiũ ejus; confidit in ea cor viri ſui: & ſpóliis non indigébit. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine

chritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna.

Ad Magnificat, Aña. Omnis qui se exáltat humiliábitur; & qui se humíliat exaltábitur, dicit Dñs.

Orémus. *Oratio.*

Exáudi nos Deus salutáris noster; ut sicut de beátæ N. festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis, erudiámur affectu. Per Dóminum.

Ad primam Processionem.

℟. j. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: *Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnũ.

Orémus. *Oratio.*

Précibus nostris Dómine sanctæ N. festa celebrámus; præsta quæsumus; ut quæ peccatórum nostrórum præpediúntur obstáculis; illíus méritis reddántur accépta. Per Dóminum.

Ad secundã Processionem.

℟. ij. Inítium sapiéntiæ timor Dómini, intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Orémus. *Oratio.*

In sanctæ N. festivitáte pretiósa, tua Dómine mirabília prædicántes, vota nostra deférimus: præsta quæsumus; ut sicut ejus tibi grata sunt mérita; sic nostræ servitútis, accépta reddántur officia. Per Dóminum.

Ad Completorium.

Hymnus.

Fortem viríli pectóre,
Laudémus omnes fœminam;
Quæ sanctitátis glóriâ,
Ubíque fulget ínclyta.

Hæc Christi amóre saúcia,
Dum mundi amórem nóxium
Horréscit; ad cæléstia
Iter perégit árduum.

Carnẽ domans jejúniis,
Dulcíque mentem pábulo
Oratiónis nútriens,
Cæli potitur gáudiis.

Rex Christe virtus fórtium
Qui magna solus éfficis;
Hujus precátu quæsumus,
Audi benígnus súpplices.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc & in perpétuum.
Amen.

Ad Matutinum.

Invitator. In honórem beatíssimæ N. jubilémus; Et cantémus Dómino.

Psal.

Psal. Venite exultémus. 3.

In primo Nocturno.

Aña. O quàm pulchra est, casta generátio, cum claritáte. *Psalm.* Dómine Dóminus noster. *ut suprà in communi Virginum*, cxv.

Aña. In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi mánibus meis. *Psalm.* Consérva me Dómine. cxvj.

Aña. Deus ádjuvat me, Dñs suscéptor est ánimæ meæ. *Psalm.* Dómini est terra. *ut suprà*. cxvij.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua.

℟. Inténde prosperè; procéde, & regna. Pater noster.

Deprec. Exúrge Dómine. Súscipe deprecatiónem.

Benedict. Adjútor & propítius.

De Parábólis Salomónis.

Proverb. 31.

Lectio j.

MUlíerem fortem quis invéniet? procul & de últimis fínibus prétium ejus; confídit in ea cor viri sui: & spóliis non indigébit. Reddet ei bonum & non malum: ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam & linum: & operáta est consílio mánuum suárum; facta est quasi navis institóris: de longè portans panē suum. Et de nocte surréxit; dedítque prædam doméstícis suis: & cibária ancíllis suis. Consíderávit agrū & emit eum: de fructu mánuum suárum, plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos: & roborávit bráchium suum. Tu autem.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem & mansuetúdinem, & justítiam & dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Proptérea. *Benedict.* Benedictiónibus suis.

Lectio ij.

GUstávit & vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucérna ejus. Manū suam misit ad fórtia: & dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi: & palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis; omnes enim doméstici ejus: vestiti sūt duplícib⁹. Stragulátam vestē fecit sibi; byssus & púrpura: induméntum ejus. Nóbilis in

portis

portis vir ejus : quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit & véndidit: & cingulum trádidit Chananæo. Tu autē.

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini, intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * Laudátio ejus manet, in sæculum sæculi. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus laudátio ejus.

Benedict. Cæléstem benedictiónem.

Lectio iij.

FOrtitúdo & decor induméntum ejus: & ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ: & lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerâvit sémitas domûs suæ: & panem otiósa non comédit. Surrexérunt filij eius; & beatíssimam prædicavérunt: vir ejus & laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia; & vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: & laudent eam in portis, ópera ejus. Tu autem.

℟. Spem in álio numquam hábui præter in te Deus Israël: * Qui irásceris & propitiáris & ómnia peccáta hóminum, in tribulatióne dimíttis. ℣. Meménto Dómine, & osténde te nobis, in témpore tribulatiónis nostræ. Qui irásceris. Glória Patri. Qui irásceris.

In secundo Nocturno.

Antiphona. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde prósperè, procéde & regna. *Psalmus.* Eructávit cor meum verbum bonum. *ut sup. in Communi Virg.* cxix.

Aña. Adjuvábit eam Deus vultu suo, Deus in médio ejus, non commovébitur. *Psalmus.* Deus nostrum refúgium. cxx.

Aña. Bonum est speráre in Dómino quàm speráre in princípibus. *Psalm.* Magnus Dóminus & laudábilis, nimis. cxx.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Pater noster.

Deprecatio. Osténde nobis Dómine.

Benedict. Deus Dei Fílius.

De Sermóne sancti Gregórij Nazianzéni.

In Laudem S. Gorgoniæ.

Lectio

Lectio iv.

BEáta N. pudicítiæ quidem laude ádeò præstitit; adeóque non modò omnes ætátis suæ mulieres: sed étiam véteres quæ eo virtútis génere floruísse dicúntur, antecélluit; ut cùm in duo hæc génera vita nostra omnis divísa sit: nimírum in matrimónium & cælibátum; quorum álterum ut præstántius & divínius: ita majóris quoque labóris & perículi; álterum humíliùs quidem & abjéctiùs: cæterùm minóri perículo obnóxium; vitátis utriúsque status incómmodis: quidquid in utróque cómmodi erat, delégerit, in unúmque coégerit. Altérius népè sublimitátem: altérius securitátem. Fuerítque, citrà supercílium pudíca; cælibátus cómmoda matrimónio témperans: ac re ipsâ osténdens, néutrum horum suâpte natúrâ tale esse; ut nos prorsùs vel Deo vel mundo adstríngat: vel ab his pénitùs nos séparet. Tu autem.

℟. Dilexísti justítiam & odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus. ℣. Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus; in fímbriis áureis. Proptéreà. *Bened.* Ætérnam benedict.

Lectio v.

NOn enim quia carni conjúncta erat; idcírcò à Spíritu disjúncta est: nec quia pro cápite virum habébat; idèò primárium caput ignorávit. Sed mundo, naturæque háctenùs obsecúta; ut carnis legi, vel ei pótiùs qui hanc carni legem indíxit satisfáceret: totam se pósteà Deo consecrávit. Enim verò divínus Sálomon in provérbiis; fœminam domi manéntem virúmque amántem laudat: quæ honéstè in domo versátur; ac muliébria officia viríli & strénuo ánimo exéquitur: sempérque ad fusum & colum manus obfirmat; cæteráque ómnia præstat: quæ ille de honéstâ & indústriâ matrónâ prædicávit. Ego verò si ab his rebus laudándæ N. arguménta péterem: simíliter fácerem, ac si ab umbrâ státuam laudárem; aut ab únguibus leónem: ejéctis majóribus & excellentióribus. Tu autem.

℟. Deus.

℟. Deus, in te ſperávi; Dómine non confúndar in ætérnum: * In tua juſtítia líbera me & éripe me.
℣. Quóniam tu es patiéntia mea Dómine, Dómine ſpes mea à juventúte meâ. In tua juſtítia.
Benedictio. Grátia Spíritûs ſancti.

Lectio vj.

QUænam umquam dígnior fuit quæ in públicum ſe inférret; quænam tamen ráriùs viſa eſt: minúſque virórum óculis pátuit? Quænam óculos æquè frænávit; quænam riſum ádeò irríſit' ádeò ut vel léviter ſubrisíſſe, propè modum nímiùm ipſi viderétur? Quænam áuribus ſuis jánuas magis impóſuit? Quænam rursùs eas divíno ſermóni magis apértas hábuit? Imò, quænam mentem linguæ moderatrícem magis præfécit, ad prænuntiándas Dei juſtificatiónes? Quænam modum ordinémque lábiis ſuis magis conſtítuit? Unus illi rubor placébat quem gignit pudor: unus candor quem parit abſtinéntia. Tu autem.
℟. Parátum cor meum Deus, parátum cor meum: *Cantábo & Pſalmum dicam Dómino. ℣. Exúrge glória mea, exúrge Pſaltérium & cythara, exúrgam dilúculo. Cantábo. Glória Patri. Cantábo.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Déxtera Dómini fecit virtútem; déxtera Dómini exaltávit me. *Pſalm.* Fundaménta ejus in móntibus ſanctis. *ut ſup. in Cõmuni Virg.* cxxiij.
Aña. Surge áquilo & veni auſter, perfla hortum meũ & fluent arómata illíus.
Pſalmus. Dóminus regnávit. cxxiv. *Antiphona.* Quã pulchri ſunt greſſus tui calceaménti, filia príncipis. *Pſal.* Cantáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília. cxxiv.
℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. Pater noſter.
Deprecatio. Adjutórium noſtrum.
Benedictio. Redémptor humáni.
Léctio ſancti Evangélij ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis. Símile

mile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro; quem qui ínvenit homo abscóndit; & præ gáudio illíus vadit, & vendit univérsa quæ habet: & emit agrum illum. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

De Parabolis inventa margar. & Sagena missa.

CHristus Iesus Cæléstia terrénis comméndat exémplis; de præséntibus sápere dat futúra: invisibília, visibílibus insímulat arguméntis. Probat hoc, similitúdines, quas nobis hódie Evangélicus clamat audítus. Símile est regnum cælórum; hómini negotiatóri: quærénti bonas Margarítas. Néminem qui hoc audit nomen negotiatóris offéndat: hîc negotiatórem lóquitur; qui dat misericórdiam: non qui dat fœnoris, semper usúram. Providéntem, ornaménta virtútum: non irritaménta vitiórum; gravitátem morum: non lápidum póndera perferéntẽ. Honestátis, non luxùs monília portántem; gestántem non voluptátis pompam: sed insígnia disciplínæ. Tu autem.

℟. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum, sicut vírgula fumi; ex aromátibus: * Myrrhæ & thuris & univérsi púlveris pigmentárij. ℣. Emissiónes tuæ Paradísus malórum punicórum; cum pomórum frúctibus. Myrrhæ.

Benedict. Unigénitus Dei Fílius. *Lectio vij.*

SImile est regnum cęlórum: sagénæ missæ in mare. Similitúdo hæc prodit: cur in apostolátum piscatóres elégerit Christus; & captóres píscium: fécerit hóminum piscatóres; ut divíni Judícij typus: arte piscatóriâ monstrarétur. Pisces cóngregat captúra confúsos: sed in vasa discrétio dat eléctos; sic vocátio Christiána: justos & injústos, malos bonósque cóngregat; sed bonos malósque: eléctio Divína discérnit. Símile est regnum cælórum: Sagénæ missæ in mare. Ad hujus sæculi mare: tumens pompâ; elátum vértice; undósum sectis; inscítiâ fluctuans; clamósum lítibus; fremens irâ: sævum perfídia;

diâ; peccátis náufragum; impietáte demérsum: misit Piscatóres suos Christus. Tu autem.

℟. Misericórdiam & judícium cantábo tibi Dómine; psallam & intélligam: * In via immaculáta quandò vénies ad me. ℣. Perambulábam in innocéntiâ cordis mei in médio domûs meæ. In via.

Bened. Ad supernórum.

Lectio ix.

IN consummatióne sæculi; exíbunt Angeli Dei: & segregábunt malos de médio justórum. In consummatióne sæculi. Qui consummatiónem sæculi credit; quid de sæculi minoratióne causátur? qui confidit mansúra succédere; habére quid quærit transitúra? Fratres; mundus de fine princípium sumit: fine innovátur, non déficit creatúra. Sæculum deficit; non Creatóri, sed crímini: neque justis, sed peccatóribus finiúntur eleménta. In consummatióne sæculi; exíbunt Angeli: separáre justos. Nec quisquam dúbitet; sanctis Angelos esse paritúros: quibus obséquium suum promíttit & Christus. Christi vox est: præcíngar me, & ministrábo vobis. Segregábũt malos de médio justórum. Portáte justi; portáte: imo indúcias justi date; brevis ista mixtúra: longâ separatióne pensábitur. Tu autem.

℟. Státuit Dóminus supra petram pedes meos, & diréxit gressus meos, Deus meus: * Et immísit in os meum cánticum novum. ℣. Expéctans expectávi Dóminum & respéxit me; & exaudívit deprecatiónem meam. Et immísit. Glória Patri. Et immísit.

Si sit Festum Duplex, vel in Dominica occurr. dicitur. Te Deum laudámus. *Et tunc omittitur.* Glória Patri.

AD LAUDES,

Antiphona.

DUm esset Rex in accúbitu suo, nardus mea, dedit odórem suum. *Psalmus.* Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.* 2o. *Antiphona.* In tribulatióne invocávi Dóminum, & exaudívit me in latitúdine. *Aña.* Sub umbra illíus quem desiderábam sedi, & fructus

ejus

ejus dulcis gútturi meo. *Aña.* Jocundáre filia Sion: exúlta satis, filia Jerúsalem, allelúia. *Aña.* Revértere, revértere Sunamítis; revértere, revértere, ut intueámur te.

Capitulum. Prov. 31.

MUlierem fortem quis invéniet? procul & de últimis finibus prétium ejus; Confídit in ea cor viri sui: & spóliis non indigébit.

℣. Audívit & lætáta est Sion.

℟. Et exultavérunt filiæ Judæ.

Ad Benedictus, Aña.

Ego autem ad Dóminum aspíciam, & expectábo Deum salvatórem meum.

Orémus. *Oratio.*

EXáudi nos Deus salutáris noster; ut sicut de beátæ N. festivitáte gaudémus: ita piæ devotiónis, erudiámur affécu. Per Dóminum

Ad Tertiam, Capitulum.

Mulierem fortem quis invéniet. *ut suprà.*

℟. Spécie tua, & pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde prósperè, procéde, & regna. Spécie tua. Glória Patri. Spécie tua. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Oratio. Exáudi nos Deus salutáris noster. *ut suprà.*

Ad Sextam, Capitulum.

MAnum suam apéruit inopi; & palmas suas extendit ad páuperem: non timébit Dómui suæ, à frigóribus nivis.

℟. Adjuvábit eam Deus vultu suo. Adjuvábit.

℣. Deus in médio ejus non commovébitur. Adjuvábit. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedixit te Deus in ætérnum.

Orémus. *Oratio.*

PRécibus nostris Dómine, sanctæ N. festa celebrámus: præsta quæsumus; ut quæ peccatórum nostrórum præpediúntur obstaculis: illíus méritis reddántur accépta. Per Dóminum.

Ad Nonam, Capitulum.

MUltæ filiæ congregavérũt divítias, tu supergréssa es univérsas: fallax grátia, & vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum ipsa laudábitur.

℟. Diffúsa est grátia in

lábiis

labiis tuis. Diffúsa.

℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Diffúsa. Glória Patri. Diffúsa.

℣. Audívit & lætáta est Sion. ℟. Et exultavérunt filiæ Judæ.

Orémus. *Oratio.*

IN Sanctæ N. festivitáte pretiósa, tua Dómine mirabília prædicántes, vota nostra deférimus: præsta quæsumus; ut sicut ejus tibi grata sunt mérita: sic nostræ servitútis, accépta reddántur officia. Per Dóminum.

Ad Vesperas si sit duplex, Aña. Dum esset Rex. *cum reliquis de Laudibus. Psalmi.* De Beátâ. *ut in ejus Officio parvo.*

Si non sit Festum duplex, Aña & Psalmi de Feria occurrente. Capit. & Versus ut suprà, in primis Vesp.

Ad Magnifiat, Aña. Læva ejus sub cápite meo & déxtera illíus amplexábitur me in ætérnum.

Oratio. Exáudi nos Deus salutáris noster. *ut suprà ad Laudes.*

Ad Processionem, primum Resp. Officij diei sequentis.

Ad Complet. Hymnus. Fortem viríli péctore.

Pars Æstiva.

In festo Mulieris sanctæ trium Lectionum. Omnia ut suprà, ritu quo notatum est in Communi Apostolorum, trium Lectionum.

Ad Vespe. Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente Capitulum Versus Antiph. ad Magnificat. Læva ejus. *ut in secundis Vesperis Festi. Ad Complet. Hymnus.* Fortem viríli péctore.

Oratio ut suprà. Ad Matutinum Invitator. In honórem. *ut sup.* cxxxvij.

Novem Antiphonæ & novem Psalmi ut suprà. Ritu quo notatum est in Communi Apostolorum.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia ut habetur in proprio. Ad Laudes & Horas ut sup.

Si contingat celebrari octavam de aliqua Muliere sancta. Officium infra octavam fit eodem ritu quo in Festo trium Lectionum. Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente; tertia ut habetur infra pro qualibet die octavæ. Ad Laudes & Horas ut in die Festi, Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Capitul. Versus, Antiphona ad Ma-

gnificat & Oratio ut in secundis V. speris diei Festi.

Ad Complet. Hymnus.

Fortem virili péctore.

Die secunda infra octav.

De Sermóne S. Ambrósij Epíscopi.

Libro de Viduis.

Lectio iij.

VIdua non abstinéntia tantùm córporis definítur; sed virtúte designátur: cui præcépta non do ego sed Apóstolus tríbuit; honorificéntiam non solus impártior: sed géntium Doctor prius détulit, dicens. Víduas honóra: quæ verè víduæ sunt. Si qua autem vídua filios aut nepótes habet; discat primùm suam domum régere: & mútuam vicem réddere paréntibus. Unde & advértitur, utrúmque pietátis affectum víduæ inésse debére; ut filios díligat: paréntibus déferat. Ità dum obséquium paréntibus repéndit; magistérium exércet in filios: suóque ipsa remunerátur officio; cùm id quod áliis defert: sibi próficit. Hoc enim, inquit, accéptum est coram Deo. Et ídeò; si cógitas vídua quæ Dei sunt: debes id sequi quod Deo placére didicísti. Et suprà quidem sanctus Apóstolus; ad continéntiæ stúdium víduas cohortátus, dixit: eas cogitáre quæ sunt Dómini. Tu autem.

Die tertia infra octav.

De Sermóne S. Ambrósij Epíscopi.

Eodem Libro.

Lectio iij.

NEc sola tamen cástitas córporis, víduæ fortitúdo est: sed magna & ubérrima disciplína virtútis; quæ in opéribus bonis testimónium hábeat: si filios educáverit; si hospítio recéperit; si sanctórum pedes láverit; si tribulatiónem patiéntibus subministráverit: si postrémò, omne opus bonū fúerit subsecúta. Vides quàm multas virtútum comprehénderit disciplínas. Primò pietátis officium; secúndò hospitalitátis & humilitátis obséquium; tértiò misericórdiæ ministérium, liberalitatísque subsídium: ad summam omnis executiónem boni óperis flagitávit. Et ídeò adolescentióres devitándas putat: eo quòd non váleant tan-

tæ ópera implére virtútis. Etenim vicína est lápsibus adolescéntis: quia variárum æstus cupiditátum, fervórem caléntis inflámmat ætátis; boníque Doctóris est: matériam arcére peccáti. Prima enim institutiónis est disciplína; culpam avértere: secúnda, virtútem infúndere. Tamen cum scíverit Apóstolus; Annam illam ab adolescéntiâ octogenáriam víduam, dominicórum óperum extitísse prænúntiam: non putò quòd junióres, revocándas putárit à viduitátis affécta; máximè cùm díxerit: mélius est núbere quàm uri. Nam útique pro remédio núptias suásit: ut peritúra sanétur; non pro electióne præscrípsit: casta & cóntinens, quid sequátur. Tu autem.

Die quarta infra octavam.

De Sermóne S. Ambrósij Epíscopi.

Eodem Libro.

Lectio iij.

MAgna planè fœmina; quæ divíno judício: méruit ómnibus anteférri. Ne fortè illa sit: quæ de fide suâ, ad subsídium hóminum, duo testaménta contúlerit. Et ídeò nulla plus fecit; nec quisquam hóminū, quantitátem pótuit collatiónis ejus æquáre: quæ fidem cùm misericórdia copulávit. Et tu ígitur quæcúmque vitam stúdio viduitátis exérces; ne dúbites ad gazophilácium, duo æra deférre: vel fídei plena vel grátiæ. Felix illa: quæ de thesáuro suo, íntegram Regis imáginem profert. Thesáurus tuus sapiéntia; thesáurus tuus cástitas, atque justítia est: thesáurus tuus, intelléctus bonus. Qualis ille thesáurus fuit; de quo Magórum viri: aurum, thus, myrrham cùm adorárent Dóminum protulérunt. Auro, Regis poténtiam declarántes; Deum thure venerántes: myrrhâ resurrectiónem córporis confiténtes. Habes & tu thesáurum hunc: si in te requíras. Habémus enim thesáurum in vasis fictílibus: habes aurum quod cónferas. Non enim reniténtis metálli prétium de te Deus éxigit; sed illud aurum: quod judícij

die néqueat ignis exúrere. Tu autem.

Die quinta infra octav.

De Sermóne. S. Ambrósij Epíscopi.

Eodem Libro.

Lectio iii.

Vidétis ígitur sanctæ fœminæ; quàm fœcúnda sit vídua prole virtútum; meritorúmque suórum sóbole: quæ períre non possit. Bona ígitur vídua egére non novit; & si fessæ fúerit ætátis, & suprémæ paupertátis: eruditiónis tamen suæ solet habére mercédem. Etsi próximi defúerint; invénit tamen extráneos, qui matrem colant: revereántur paréntem; parvísque alimentórum súmptibus: mercédem cúpiant suæ commendatiónis acquírere. Plus enim víduæ rependunt mérita: quàm cibus ab ea sumptus impéndit. Sed tristes vidétur dúcere dies: & láchrymis tempus exígere; hoc beátior: quòd perpétua sibi gáudia, exíguis flétibus emit; parvísque moméntis: témpora acquírit ætérna. Quibus benè dícitur; Beátæ tristes: ipsæ enim ridébitis. Quis ígitur falsas præséntium imágines gaudiórum; futûræ securitátis, præferat voluptáti? An despicábilis nobis, auctor vidétur; ille Domínici córporis auctor eléctus: qui cínerem sicut panem manducábat, & potum cum fletu miscébat? ut vespertínis láchrymis: matutínæ sibi, lætítiam redemptiónis acquíreret. Tu autem.

Die sexta infra octav.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Lib. de Viduitate.

Lectio iij.

Quæ autem innuptárũ castitátem Deo vovent; ipsam spem súbtrahunt: quæ fomes amóris est. Unde facíliùs concupiscéntia refrænátur: quę nullâ expectatióne succénditur. Contra quam tamen nisi orétur, ut superétur: ipsa illícita exoptátur ardéntiùs. Delíciæ ígitur spirituáles; delíciis carnálibus: in sancta castitáte succédant. Léctio, Orátio, Psalmus; bona cogitátio; bonórum óperum frequentátio; spes futúri sæculi: & cor sursum. Atque de his

ómnibus

ómnibus gratiárum áctio Patri lúminum; à quo sine ulla dubitatióne, omne datum óptimum, & omne donum perféctum: Scriptúra teste descéndit. Nam quando pro delíciis nuptárum; quas in carne virórum hábuit: aliárum carnálium deliciárum, tamquam in solátium úsus assúmitur; quid ego dicam quæ sequántur mala? Cùm bréviter Apóstolus díxerit; vivéntem mórtuam esse víduam: quæ in delíciis vivit. Tu autem.

Die septima infra octav.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Eodem Libro.

Lectio iij.

IN ómnibus sanè spiritálibus delíciis quibus fruúntur innúptæ; sancta eárum conversátio cauta étiam debet esse: ne fortè cùm mala vita non sit per lascíviam; mala sit fama: per negligéntiam. Nec audiéndi sunt sive viri sancti, sive fœminæ; quando reprehénsâ in áliquo negligéntiâ suâ: per quam fit ut in malam véniant suspiciónem; unde suam vitam longè abésse, sciunt: dicunt. Sibi coram Deo sufficere consciéntiam; existimatiónem hóminum non imprudénter solùm, verùm étiam crudéliter contemnéntes: cùm occídunt ánimas aliórum sive blasphemántium viã Dei; quibus secúndùm suam suspiciónem: quasi turpis quæ casta est dísplicet vita sanctórum; sive étiam cum excusatióne imitántium: non quod vident, sed quod putant. Proíndè quisquis à crimínibus flagitiórum, atque facinorum vitam suam custódit: sibi benè facit; quisquis autem étiam famam: & in álios misséricors est. Nobis enim necessária est vita nostra: áliis fama nostra. Et útique étiam quod áliis ministrámus misericórditer ad salútem: ad nostram quoque redúndat utilitátem. Tu autem.

In die octava, semiduplex majus, omnia ut in die, ad Vesperas Antiph. & Psalmi de Feria occurrente Capit. Versus Antiph. ad Magnif. ut in j. Vesperis Festi.

Duæ Processiones ut ibid.

Ad Completorium Hymn.

Fortem viríli péctore.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

De Sermóne sancti Gregórij Nazianzéni.

In Laudem S. Gorgoniæ.

Lectio iv.

ECquæ domum suam piis homínibus excipiéndis magis propósitam hábuit; diviníſque opibus magis adáuxit? Et quod est præstántiùs; quænam pari pudóre, tamque sanctis & Deo gratis incéssibus: ad eos excipiéndos perréxit. Quænam ínsuper ánimum in afflictiónibus minùs afflíctum præstitit? Quænam rursùs calamitósis & ægrotántibus; magis condóluit? Quænam liberaliórem manū; egéntibus perréxit? Equidem in illa ornándâ; his Jobi verbis: uti non dúbitem. Porta ipsíus cuívis veniénti patébat: nec extra jacébat peregrínus; cæcórum óculus erat: pes claudórum, mater orphanórum. Tu autem Dómine.

Lectio v.

QUodque præclaríssimum; non magis studébat óptima vidéri: quàm revérâ esse. Quin pótiùs; in abscóndito apud eum qui abscóndita intuétur: pietátem luculénter excolébat. Omnia mundi príncipi erípuit; ómnia in tuta illa hórrea tránstulit: nihil terræ, præter corpus relíquit. Omnia cum altérius vitæ spe commutávit; has unas opes mórtuas relíquit: nempe probitátis imitatiónem, atque ejúsdem laudis stúdium. Ac de ipsâ non minùs verè quàm magníficè prædicári potest; quòd virtútes partim imitáta est: partim ita gessit, ut eárum ab ipsa exémpla peteréntur; quodque eas partim invénit: partim superávit. Sic enim omnes virtútum números absólvit; ut ne mediócriter quidē unam: Sic rursùs in unoquóque génere excélluit; ut vel unum solum instar ómnium: abúndè sufficeret. Tu autem Dómine.

Lectio vj.

O Squálidum corpus: & induméntum virtúte solâ florens! ô noctes insómnes; & psalmórum cantûs, & statiónem: ex die in diem desinéntem! O noctúrnum clamórem; nubes

nubes penetrántem ; ad Deúmque pervadéntem ! O fœmíneam natúram ; quæ propter commúne salútis certámen ; natúram virílem superásti ; atque ostendísti maris & fœminæ nómine ; non ánimos sed córpora sola distíngui! O acérbe gustus ; & Eva, nostri géneris, & peccáti mater ; & tu serpens impóstor ; ac mors dénique ipsa ; continéntiâ illíus, cibíque parcitáte devícta ! O Christi exinanítio, & servi forma ; & passiónes ipsíus mortificatióne decorátæ ! Sed jam óperæ prétium est ; præmia quoque pietátis adjícere. Tu autem Dómine.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélij ; secúndùm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo témpore ; Dixit Jesus Discípulis suis. Símile est regnum cælórum; thesáuro abscóndito in agro ; quem qui ínvenit homo abscóndit ; & præ gáudio illíus vadit,& vendit univérsa quæ habet ; & emit agrũ illũ. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Exposit. in idem Evang.

THesáurus iste in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ & sciéntiæ abscónditi ; aut Deus verbum est ; qui in carne Christi vidétur abscónditus ; aut sanctæ Scriptúræ ; in quibus repósita est,notítia Salvatóris. Quem cùm quis in eis invenérit;debet ómnia istíus mundi emoluménta contémnere ; ut illum possit habére quem répperit. Quod autem séquitur ; quem cùm invénerit homo abscóndit ; idcircò dícitur ; non quòd hoc de invídiâ fáciat ; sed quòd timóre servántis & noléntis pérdere ; abscóndat in corde suo ; quem prístinis prætulit facultátibus. Tu autem.

Lectio viij.

ITerùm símile est regnũ cælórum ; hómini negotiatóri. Aliis verbis id ipsum quod suprà dícitur. Bonæ Margarítæ, quas quærit ínstitor ; lex & Prophétæ sunt. Audi Márcion ; audi Manichæe ; Bonæ Margarítæ sunt lex & Prophétæ ; & notítia veteris instruménti. Unum autem est pretiosíssimum

Margarítam, sciéntia Salvatóris; & Sacraméntum Passiónis illíus: & resurrectiónis arcánum. Quod cū invénerit homo negotiátor, símilis Pauli Apóstoli: ómnia legis prophetarúmque mystéria, & observatiónes prístinas, in quibus inculpátè víxerat; quasi purgaménta contémnit, & quisquílias: ut Christum lucrifáciat. Non quòd invéntio novæ margarítæ: condemnátio sit véterum margaritárum; sed quòd comparatióne ejus: omnis ália gemma vílior sit. Tu autem.

Lectio ix.

ITerùm símile est regnū cælórum: Sagénæ míssæ in mare. Impléto Jeremíæ vaticínio, dicéntis: Ecce ego mittam ad vos piscatóres multos; postquam audiérunt Petrus & Andreas; Jacóbus & Joánnes filij Zebedæi: Sequímini me & fáciam vos piscatóres hóminum; contexuérunt sibi ex véteri & novo Testamēto: Sagénam Evangelicórum dógmatū. Et misérunt eam in mare hujus sæculi: quæ usque hódie in médiis flúctibus téndítur; cápiens de salsis & amáris gurgítibus quicquid incíderit: id est, & bonos hómines & malos; & óptimos pisces: & péssimos. Cùm autem vénerit cōsummátio & finis mundi; ut ipse infrà maniféstiùs dísserit: tunc Sagéna extrahétur ad littus; tunc verum secernendórum píscium signum demonstrábitur: & quasi in quodam quietíssimo portu; boni mitténtur in vasa cæléstium mansiónum: malos autem torréndos, & exsiccándos, gehénnæ flamma suscípiet. Tu autem.

Ad Laudes & Horas, omnia ut in die. Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Capitulum, Versus, Antiph. ad Magnificat, & Oratio ut in secundis Vesperis diei festi. Ad Completorium Hymn. Fortem viríli péctore.

Ad Processionem, primum Respons. Officij diei seq. Oratio conveniens.

IN FESTO

Dedicationis Ecclesiæ. Duplex primæ Classis.

Ad Vesperas, Antiph. Domum tuam Dómine, *cum reliquis de Laudibus,* ut

ut infrà. Psalmi de Dominica 145. & loco ultimi Psalmi, dicitur Laudáte Dóminum omnes Gentes. 150.

Capitulum. Apoc.21.

Vidi civitátem sanctam Jerúsalem novam, descendéntem de cælo, à Deo parátam: sicut sponsam ornátam viro suo.

℣. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo.

℟. In longitúdinem diérum.

Ad Magnificat Antiph. Ornavérunt fáciem Templi corónis áureis; & dedicavérunt Altáre Dómino: & facta est lætítia magna in pópulo, Allel.

Duplicatur.

In ipso die Dedicationis Ecclesiæ & per octavam, & quando varianda est Oratio, ob concursum Dedicationis alterius Ecclesiæ.

Orémus. *Oratio.*

Deus qui invisibíliter ómnia cóntines, & tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis: templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illústra; & concéde, ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint: consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per Dóminum.

In Anniversario Dedicationis Eccles. & per oct.

Orémus. *Oratio.*

Deus qui nobis per síngulos annos hujus sancti Templi tui consecratiónis réparas diem; & sacris semper mystériis repræsētas incólumes: Exáudi preces pópuli tui, & præsta; ut quisquis hoc tēplum benefícia petitúrus ingréditur: cuncta se impetrásse lætétur. Per Dñm.

Processio in Presbyterio.

℟. Cùm exíret Jacob de terra sua, vidit glóriam Dei & ait: * Quàm terríbilis est locus iste, non est hìc áliud nisi domus Dei, & porta cœli.

Ad ij. Magnificat, Aña. Hæc est domus Dómini & porta cœli, & vocábitur nomē loci hujus, aula Dei.

Orémus. *Oratio*

Deus qui de vivis & eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ concédis habitáculum: auxiliáre pópulo supplicánti; ut quod Ecclésiæ tuæ corpo-

rálibus próficit spátiis: spiritálibus amplificétur augméntis. Per Dñm.

Ad Completoriũ. Hymnus.

URbs Jerúsalem beáta,
Dicta pacis vísio;
Quæ constrúitur in cælis
Vivis ex lapídibus;
Et Angelis coronáta,
Ut sponsáta cómite.

Nova véniens è cælo
Nuptiáli thálamo:
Præparáta ut sponsáta,
Copulétur Dómino:
Platéæ & muri ejus
Ex auro puríssimo.

Portæ nitent Margarítis
Adytis paténtibus:
Et virtúte meritórum
Illúc introdúcitur;
Omnis qui ob Christi nomen
Hic in mundo prémitur.

Tunsiónibus pressúris
Expolíti lápides;
Suis coaptántur locis
Per manus artíficis:
Disponúntur permansúri
Sacris ædifíciis.

Glória & honor Deo
Usquequáque altíssimo;
Una Patri Filióque,
Inclyto Paráclyto:
Cui laus est & potéstas
Per ætérna sæcula. Amen.

Ad Matutinum, Invitatorium. Præoccupémus fáciem Dómini, In confessióne sanctórum. *Psalm.* Veníte. 2. *Duplicatur.*

In primo Nocturno, Aña. Tóllite portas príncipes vestras.

Psalmus 23.

DOmini est terra & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam suam: * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri.

Aña. Tóllite portas príncipes vestras & elevámini portæ æternáles.

Aña. Hæc est domus Dómini.

Psalmus 28.

AFférte Dómino filij Dei: * afférte Dómino filios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriã nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas: * Deus majestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros: * & confringet Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani: * & diléctus quemádmodum filius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: * vox Dómini concutiéntis desértum: * & commovébit Dóminus desértum cades.

Vox Dómini præparántis cervos & revelábit condénsa: * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: * & sedébit Dñs Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Glória Patri.

Ana. Hæc est domus Dómini & porta cæli, & vocábitur nomen loci hujus aula Dei.

Antiphona. Erit mihi.

Psalmus 41

QUemádmodum desíderat cervus, ad fontes aquárum: * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum, * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei.

Fuérunt mihi láchrymæ meæ panes die ac nocte: * dum dícitur mihi quotídie, ubi est Deus tuus.

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis, sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea, & quare contúrbas me? * spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: * proptérea memor ero tui de terra Jordánis: * & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat: * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam: * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ: * dicam Deo, Suscéptor meus es.

Quare oblitus es mei, & quare contristátus incédo: * dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea: * exprobravérunt mihi qui tríbulant me, inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies, ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea & quare contúrbas me?

Spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei & Deus meus. Glória Patri.

Aña. Erit mihi Dóminus in Deum, & lapis iste vocábitur domus Dei.

℣. Adoráte Dóminum in aula sancta ejus. ℟. Tóllite hóstias & introíte in átria ejus. Pater noster.

Deprec. Exúrge Dómine. Súscipe. *Benedictio.* Adjútor, &c.

De libro secúndo Paralipómenon. *Cap.* 7.

Lectio j.

CUm compléstet Sálomon fundens preces, ignis descéndit de cœlo & devorávit holocáusta, & víctimas: & majéstas Dómini implévit Domum. Nec póterant Sacerdótes íngredi templum Dómini: eò quòd impléstet majéstas Dómini, templum Dómini. Sed & omnes filij

filij Israël vidébant descendéntem ignem, & glóriam Dómini super domum; & corruéntes proni in terram super paviméntum stratum lápide, adoravérunt & laudavérunt Dóminum: quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus. Rex autem & omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino. Mactávit ígitur Rex Sálomon hóstias boum vigínti duo míllia; aríetum centum vigínti míllia: & dedicávit domum Dei Rex & univérsus pópulus. Tu autem Dómine.

Responsoria. Duplicantur.

℟. Cùm exíret Jacob de terra sua vidit glóriam Dei & ait: * Quàm terríbilis est locus iste: non est hìc áliud, nisi domus Dei & porta cæli. ℣. Verè Dóminus est in loco isto & ego nesciébam. Quàm terríbilis. Glória Patri. Sicut erat. Cùm exíret.

Benedict. Benedictiónibus suis.

Lectio ij.

SAcerdótes autem stabant in officiis suis; & Levítæ in órganis cárminum Dómini: quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum; Quóniam in ætérnũ misericórdia ejus: Hymnos David canéntes per manus suas. Porrò Sacerdótes canébant tubis ante eos: cunctúsque Israël stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrij ante Templum Dómini; obtúlerat enim ibi holocáusta, & ádipes pacificórum: quia altáre æneum quod fécerat, non póterat sustinére holocáusta, & sacrificia & ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus; & omnis Israël cum eo: Ecclésia magna valdè, ab introítu Emath usque ad torréntem Ægypti. Fecítque die octávo collèctam; eò quòd dedicásset altáre septem diebus: & solemnitátem celebrásset diébus septem. Tu autem.

℟. Si Dóminus Deus meus fúerit mecum, in via ista qua ego ámbulo; & custodíerit me & déderit mihi panem ad edéndum; & vestiméntum quo opériar; & revocáverit me cum salúte: * Erit mihi

mihi Dóminus in refúgium, & lapis iste in signum. ℣. Surgens ergo manè, tulit lápidem quem suppoſúerat cápiti suo; & eréxit in títulum: Dicens. Erit mihi. Glória Patri. Si Dóminus. *Benedict.* Cœléstem benedict.

Lectio iij.

COmplevítque Sálomon domum Dómini, & domum Regis; & ómnia quæ dispoſúerat in corde suo ut fáceret: in domo Dómini & in dômo sua, & prosperátus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte: & ait. Audívi oratiónem tuam; & elégi locum istum mihi: in domum Sacrificij. Si cláusero cælum, & plúvia non flúxerit; & mandávero & præcépero locústæ, ut dévoret terram; & mísero pestiléntiam in pópulum meum; convérsus autem pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit: & exquisíerit fáciem meam & égerit pœniténtiam à viis suis péssimis; & ego exáudiam de cœlo & propítius ero peccátis eórum: & sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti; & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus: qui in loco isto oráverit. Elégi enim & sanctificávi locum istum; ut sit nomen meum ibi in sempitérnum: & permáneant óculi mei; & cor meum ibi cunctis diébus. Tu autem.

℟. Erit mihi Dóminus in Deum, & lapis iste quem eréxi in títulum; vocábitur domus Dei: & de univérsis quæ déderis mihi: * Décimas & hóstias pacíficas ófferam tibi.

℣. Et appellávit nomen urbis Bethel; vovit étiam votum dicens. Décimas. Glória Patri. Erit mihi.

In secundo Nocturno.

Añã. Ædificávit Móyses.

Psalmus 42.

JUdica me Deus, & discérne causam meam de gente non sancta: * ab hómine iníquo & dolóso érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea: * quare me repulísti, & quare tristis incédo: * dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam & veritátem tuam: * ipsa me

me deduxérunt & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cythara Deus Deus meus: * quare tristis es ánima mea & quare contúrbas me?

Spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei & Deus meus. Glória Patri.

Aña. Ædificávit Móyses altáre Dómino Deo.

Aña. Non est hîc áliud.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus & laudábilis nimis: * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ: * mons Sion, látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur: * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum: * in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam: * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion & exúltent filiæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion & complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum & in sæculum sæculi! * ipse reget nos in sæcula.

Glória Patri.

Aña. Non est hîc áliud nisi domus Dei & porta cæli.

Aña. Eréxit Jacob.

Psalmus 83.

QUàm diléćta tabernácula tua Dómine

virtútum: * concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea, exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: * & turtur nidum sibi, ubi repónat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum: * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit in valle lachrymárum: * in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor: * ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus Deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam. * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus: * & réspice in fáciem Christi tui.

Quia melior est dies una in átriis tuis, super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei: * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te. Glória Patri.

Antiphona. Eréxit Jacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper.

℣. Introíte portas Dómini in confessióne. ℟. Et átria ejus in hymnis.

Pater noster.

Deprec. Osténde nobis.

Benedict. Deus Dei Fílius.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 5. in Dedicat. Eccles.

Lectio iv.

FEstívitas hodiérna fratres; tantò nobis debet esse devótior: quantò familiárior est. Nam cæteras quidem Sanctórum solemnitátes, cum Ecclésiis áliis habémus communes; hæc verò, sic nobis est própria: ut necésse sit, vel à nobis eam, vel à némine celebrári. Nostra est: quia de Ecclésiâ nostrâ;

ſtra; magis autem noſtra: quia de nobis ipſis. Mirámini fórſitan; & erubéſcitis: celebrári feſta de vobis. Sed quid lápides iſti potuérunt ſanctitátis habére; ut eórum ſolémnia celebrémus? Habent útique ſanctitátem: ſed propter córpora veſtra. An verò córpora veſtra ſancta eſſe quis dúbitet? quæ templum ſancti Spíritûs ſunt. Tu autem.

℟. Ædificávit Noë altáre Dómino, ófferens ſuper illud holocáuſtum; odorátus eſt Dóminus odórem ſuavitátis, & benedíxit eis: * Créſcite & multiplicámini, & repléte terram. ℣. Ecce ego ſtátuam pactum meum vobíſcum, & cum ſémine veſtro poſt vos, Créſcite. Glória Patri. Ædificávit.

Benedictio. Ætérnam benedict.

Lectio v.

QUando enim domus iſta per manus Pontíficum dedicáta eſt Dómino; propter nos ſine dúbio factum eſt: non ſolùm qui præséntes ſumus; ſed & quicúmque uſque in finem ſæculi: Dómino ſunt in hoc loco militatúri. In nobis proindè ſpirituáliter impléri necéſſe eſt: quæ in pariétibus viſibíliter præceſsérunt. Et ſi vultis ſcire; hæc útique ſunt, aſpérſio; inſcríptio; inúnctio; illuminátio: benedíctio. Hæc útique in hac visíbili domo fecére Pontífices; hæc & Chriſtus aſsiſtens Póntifex futurórum bonórum: inviſibíliter quotídie operátur in nobis. Primò síquidem aſpérgit nos hyſsópo ut mundémur; lavémur, dealbémur; dicatúrque de nobis: quæ eſt iſta, quæ aſcéndit dealbáta? Tu autem Dómine.

℟. Ornavérunt fáciem Templi corónis áureis, & dedicavérunt Altáre Dómino: * Et facta eſt lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis & confeſſiónibus, benedicébant Dómino. Et facta eſt. Glória Patri. Ornavérunt.

Benedictio. Grátia Spíritûs ſancti.

Lectio vj.

JAm verò benedictiónem quidem expectémus in fine; quando apériet manum ſuam: & implébit omne

omne ánimal benedictióne. Nam in quátuor præmíssis mérita constant: in benedictióne sunt præmia. In benedictióne tota complébitur grátia sanctificatiónis; quando jam in domum transíbimus non manufactam: ætérnam in cælis. Ipsa est quæ constrúitur vivis ex lapídibus; Angelis scílicet: & homínibus. Simul enim ædificátio: & dedicátio ipsa complébitur. Disjúncta nimírum ligna & lápides domum non fáciunt; nec in eis habitáre quis potest: sola verò conjúnctio domum facit. Sic cæléstium spiríttuum perfécta únitas; sine ulla sibi divisióne connéxa: integram & cóngruam Deo reddit habitatiónem; quam ineffabíliter beatíficat: inhábitans glória majestátis. Tu autem.

℟. Exaudísti Dómine oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo, * Bénedic & sanctífica domum istam in sempitérnum Deus Isráël.

℣. Stetit autem Sálomon, ante altáre Dómini; & expándit manus suas in cælum & ait. Bénedic. Glória Patri. Exaudísti.

In tertio Nocturno, Aña. Vidit Jacob scalam.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

Memor ero Raab, & Babylónis sciéntium me.

Ecce alienígenæ & Tyrus, & pópulus Æthíopum: * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet homo: * & homo natus est in ea: * & ipse fundávit eam Altíssimus.

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum: * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium, habitátio est in te.

Glória Patri.

Aña. Vidit Jacob scalam súmmitas ejus cælos tangébat, & descendéntes Angelos: & dixit; Verè locus iste sanctus est.

Antiph. Qui hábitat.

Psalmus 90.

QUi hábitat in adjutório Altíssimi: * in pro

protectióne Dei cæli commorábitur.

Dicet Dómino, Suscéptor meus es tu: * & refúgium meum, Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium* & à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi: * & sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus: * non timébis à timóre noctúrno.

A sagítta volánte in die: * à negótio perambulánte in ténebris: * ab incúrsu & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille: * & decem míllia à dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit,

Verúmtamen óculis tuis considerábis: * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es Dómine spes mea: * altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum: * & flagéllum non appropinquábit, tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te: * ut custódiant te, in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te: * ne fortè offéndas ad lápidem, pedem tuum.

Super áspidem & basilíscum ambulábis: * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me sperávit liberábo eum: * prótegam eum quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me & ego exáudiam eum: * cum ipso sum in tribulatióne: * erípiam eum & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum: * & osténdam illi salutáre meum.

Glória Patri.

Aña. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cæli commorábitur.

Aña. Tóllite hóstias.

Psalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus:* in ómnibus pópulis.

pópulis, mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus & laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes Deos.

Quóniam omnes dij géntium dæmónia; * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia & magnificéntia, in sanctificatióne ejus.

Affërte Dómino pátriæ géntium: * afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias & introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli & exúltet terra: * cõmoveátur mare & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte: * & pópulos in veritáte sua.

Glória Patri.

Aña. Tóllite hóstias & introíte in átria ejus; adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

℣. Non est hìc áliud nisi domus Dei. ℟. Et porta cæli. Pater noster.

Deprecatio. Adjutórium nostrum.

Benedictio, Redémptor humáni.

Léctio sancti Evangélij secúndùm Lucam.

Lectio vij.

IN illo témpore: ingréssus Jesus perambulábat Hiérico. Et ecce vir nomine Zachæus; & hic erat princeps publicanórum: & ipse dives. Et quærébat vidére Jesum quis esset; & non póterat præ turba: quia statúrâ pusillus erat. Et præcúrrens ascéndit in árborem sycómorum; ut vidéret illum: quia inde erat transitúrus. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Tr. de cæco & Zachæo.

VEnit Princeps publicanórum, & transibat Jesus:

Jesus: qui omne proflígat peccátum, omnem delet malítiam; ténebras convértit in lucem: ac prava redúcit ad rectitúdinem. Zachæus statúra brevis; desidério exténtus, ac prócerus: pusíllo córpore magno ánimi sēsu; quærébat Jesum vidére, & non póterat: quòd statúrâ pusíllus esset. Ac antevértens; súbtili quadam arte; id quod statúræ déerat: sibi parat. Ascéndens enim in árborem Sycómorum: transeúntem Jesum spectábat. At Dóminus noster Jesus Christus: de quo ait Paulus, qui novit fácere superabundánter quàm pétimus aut intellígimus; non illi tantum concéssit, quantum desiderábat: sed plusquàm expectábat. Tu autem.

℟. Dómine si convérsus fúerit pópulus tuus, oráverit ad sanctuárium tuum; tu exáudies de cœlo Dómine: * Et líbera eos de mánibus inimicórum eórum. ℣. Et dimítte peccáta servórum tuórum, & pópuli tui Israël. Et líbera. Glória Patri. Dómine.

Benedict. Unigénitus Dei Fílius. *Lectio viij.*

Aucúpio Zachæum capit; exque árbore éxcutit: ac in tabernáculum ille suum indúcit. Quod olim quidem peccatórum erat opplétum calígine: hódiè collustrávit pietátis jubar. Ingréssum ítaque Salvatórem: publicánus gaudens excépit. O exímiam Dómini benignitátem! Qui ab omni immúnis peccáto est: cùm peccatóribus versátur. Fons justítiæ: cum matériâ atque fómite injustítiæ. Fomes quippè injustítiæ: avára cupíditas. Intrávit in ædes publicáni; non quem ulla avarítiæ calígo violáret: sed qui justítiæ splendóre avarítiam delére. Ac vide rem mirábilem. Continuò Zachæus stans pro vestíbulo; dimídium, inquit, bonórum meórum: do paupéribus. Nondùm edóctus es: & obséqueris; nondum didicísti: & servâsti. Tu autem.

℟. Audi Dómine hymnum & oratiónem quam servus tuus orat coram te hódiè, ut sint óculi tui apérti, & aures tuæ inténtæ:

tæ : * Super domum istam die ac nocte. ℣. Qui regis Israël inténde ; qui dedúcis velut ovem Joseph ; qui sedes super Chérubim appáre. Super domum, Glória Patri. Audi.

Bened. Ad supernórum.

Lectio ix.

HOdie, inquit, salus huic dómui facta est. Ipse seípsum justificávit ; non quòd Christum simplíciter víderit ; sed quòd Christi légibus morem gessit. Hódiè salus dómui huic facta est ; eo quòd & ipse sit filius Abrahæ. Antequam ópera Abrahæ fáciat ; non filium Abrahæ, sed Zachæum símplici nómine appéllat ; ubi verò Patriárchæ ópera implévit ; in páuperes humanitátem proféssus ; ac injústi quæstus abdicatiónem ; tunc ait esse & illum filium Abrahæ. Et nos ígitur fratres ; etsi Christiáni sumus, & dícimur ; nihil nos ita Christiános osténdit ; ac veritátis opus. Ne ergo opéribus appellatiónem injúriâ violémus ; sed opéribus fidem condecorémus. Fídei ratióne filij Abrahæ audímur ; audiámur ejus filij ; óperum claritáte. Tu autem.

℟. Tu Dómine universórum, qui nullam habes indigéntiam ; voluísti templum tuum fieri in nobis : * Consérva domum istam immaculátam in ætérnum Dómine. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Consérva.

Hoc Responsoriorum non duplicatur quia dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Antiph. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo in longitúdinem diérum. *Psalm.* Dóminus regnávit. *cum reliq. de Dominica. 20.* *Aña.* Introíte portas Dómini in confessióne, & átria ejus in hymnis. *Aña.* Domus mea domus oratiónis vocábitur. *Aña.* Templum Dómini sanctum est, Dei cultúra est Dei ædificátio est. *Antiph.* Benè fundáta est domus Dómini supra firmam petram.

Capitulum. Apoc. 12.

VIdi civitátem sanctam Jerúsalem novam, descendéntem de cœlo ; à Deo parátam ; sicut sponsam, ornátam viro suo.

ſuo. ℣. Domus mea.
℟. Domus oratiónis vocábitur.

Ad Benedictus, Aña. O quàm metuéndus eſt locus iſte: verè non eſt hic áliud niſi domus Dei & porta cœli. *Duplicatur.*

Orémus. *Oratio.*

DEus qui nobis per síngulos annos hujus ſancti Templi tui conſecratiónis réparas diem; & ſacris ſemper myſtériis represéntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, & præſta; ut quiſquis hoc templum beneficia petitúrus ingréditur: cuncta ſe impetráſſe lætétur. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Capitulum. Vidi Civitátem. *ut ſuprà.*
℟. Domum tuam Dómine decet ſanctitúdo.
℣. In longitúdinem diérum. Glória Patri.
℣. Adoráte Dóminum, in aula ſancta ejus.
℟. Tóllite hóſtias & introíte in átria ejus.

Orat. Deus qui nobis per síngulos annos. *ut ſuprà.*

Ad Sextam, Capitulum. Apoc. 21.

ET audívi vocem magnam de throno dicéntem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis, & ipſi pópulus ejus erunt: & ipſe Deus, cum eis erit, eórum Deus. ℟. Adoráte Dóminum in aula ſancta ejus.
℣. Tóllite hóſtias & introíte in átria ejus.
Glória Patri. ℣. Domus mea. ℟. Domus oratiónis vocábitur.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui de vivis & eléctis lapídibus ætérnum Majeſtáti tuæ condis habitáculum: auxiliáre pópulo ſupplicánti; ut quod Eccléſiæ tuæ corporálibus próficit ſpátiis: ſpiritálibus amplificétur augméntis. Per Dóminum.

Ad Nonam, Capitulum. Apoc. 21.

NOn intrábit in eam áliquod coinquinátum; aut abominatiónem fáciens & mendácium: niſi qui ſcripti ſunt, in libro vitæ Agni.
℟. Hæc eſt domus Dómini & porta cœli. ℣. Et vocábitur nomen loci hujus aula Dei. Glória Patri.
℣. Domum tuam Dómine, decet ſanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Orémus.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui Ecclésiam tuam Sponsam vocáre dignátus es: ut quæ habéret grátiam per fidei devotiónem, habéret étiam ex nómine pietátem; da, ut omnis hæc plebs nómini tuo sérviens, hujus vocábuli consórtio digna esse mereátur; & Ecclésia tua in Templo (cujus anniversárius Dedicatiónis dies celebrátur) tibi collécta, te tímeat; te díligat, te sequátur; ut dum júgiter per vestígia tua gráditur: ad cæléstia promíssa te ducénte perveníre mereátur. Per Dóminum.

Ad Vesperas, *Aña.* Domum tuam. *cum reliquis de Laudib. Psalmi de Dominica & loco ultimi Psalmi dicitur* Lauda Jerúsalem Dóminum 168.

Capitulum. Vidi civitátem. *ut suprà* ℣. Domum tuam. *ut suprà.*

Ad Magnificat, Aña. Ornavérunt fáciem Templi corónis áureis & dedicavérunt altáre Dómino, & facta est lætítia magna in pópulo, allel. *Duplicatur.*

Orat. Deus qui nobis per síngulos annos. *ut suprà.*

Ad Completor. Hymnus. Urbs Jerúsalem beáta.

Infra octavam Dedicationis Officium fit ut in die, ritu simplici. Ad Matutinum Invitatorium, novem Aña, & novem Psalmi ut in die. Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurr. Tertia ut infrà, pro qualibet die. Ad Laudes & Horas ut in die. Ad Vesperas Antiph. & Psalmi de Feria occurrente. Capit. *Vers. Aña. ad Magnificat, & Oratio ut in secundis Vesperis diei Festi. Ad Completorium. Hymnus.* Urbs Jerúsalem beáta.

Die secunda infra octav.
De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.
In natalem Eccles. Ser. 1.

Lectio iij.

HÆc ómnium credéntium mater est: quæ natos ad mortem, regénerat ad salútem. per quam Christus plus restítuit in grátiam, quàm périit in natúrâ: & Adæ transgressóris degénerem prolem in adoptiónem divínæ patemitátis assúmpsit; & de paradíso exhæredátos: cœli réddidit hærédes. Hæc est quæ post Synagógam promíssa

promíſſa eſt ; hæc enim jam in primo hómine præfiguráta eſt. Nam ſicut ex Adæ látere fabricáta erat Eva ; ita ex Chriſti córpore & vúlnere redémpta crevit Ecclésia. Hæc intra arcam dilúvio exundánte ſerváta ; Crucis benefícium & baptíſmatis myſtérium præſignávit. Hæc Sara ſtérilis & deſperáta in ſenectúte ; único pígnore fœcúnda præcécinit. Ut enim, Ecclésia únicum ; id eſt, dilectíſſimum Deo pópulum ſæculo jam ſeneſcénte progénuit. Hæc eſt Regína illa de qua ad Dóminum dícitur. Adſtitit Regína à dextris tuis in veſtítu deauráto ; circumamícta varietáte id eſt, diversárum circúmdata pretióſo decóre virtútum. Tu autem Dómine.

Die tertia infra octav.
De Sermóne S. Euchérij Lugdunénſis Epíſcopi.
In natalem Eccleſ.
Serm. 2.
Lectio iij

HÆc eſt illa Regína Saba quæ venit à pártibus Æthiópiæ audíre ſapiéntiam Salómonis. Venit Ecclésia ad Redémptórem ; & eruditórem ſuum ut de ſtultítia erróris, doctrínam percíperet veritátis. De qua pléniùs ſicut audívimus ; Regum deſcríbit hiſtória ita dicens. Et ingréſſa Regína Saba in Jerúſalem cum multo comitátu & divítiis ; Camélis portántibus arómata ; & aurum infinítum nimis ; & gemmas pretióſas ; venit ad Salomónem & locúta eſt ei univérſa quæ habébat in corde ſuo. Ergo in figúra Regínæ hujus, Ecclésia venit ex géntibus ; & à fínibus terræ impónens finẽ cupiditátibus vitiíſque terrénis ; audíre ſapiéntiã Salomónis id eſt, viri Pacífici Dómini noſtri Jeſu Chriſti ; qui fecit utráque unum ſolvens inimicítias inter Deum & hóminem. Venit in carne ſua ; venit poſt véteres & profánas ſuperſtitiónes audíre & díſcere. De fídei illuminatióne & judício futúro ; de ánimæ immortalitáte de ſpe reſurrectiónis, & glóriæ. Venit ergo in Jerúſalem cum multo comitátu ; id eſt, non jam cum

una gente Judæórum; sicut primò Synagóga solos hábuit Hebræos: sed cum totíus mundi géntibus, diversísque natiónibus. Venit ergo éxhibens múnera digna Christo: aurum & gemmas pretiósas. Tu autem.

Die quarta infra octav.

De Sermóne S Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

In natal. Eccl. Serm. 4.

Lectio iij.

VEllem charíssimi; ut atténtiùs agerémus causâ salútis ætérnæ; & crébriùs ad sacratíssimæ Ecclésiæ límina: pretiósas supplicatiónum nostrárum hóstias deferrémus. Certè si haberémus áliquam matrem poténtem; nóbilem; locuplétem; certátim ad honórem illíus curreremus: sédulis penetrále ejus frequentarémus officiis. Veréntes: ne áliquid de expectáta hæreditáte subtráheret. Etiámsi duri essémus ac désides; vel tépidam pietátem: ardens cupiditas mentirétur. Et quæ nobílior mater; quàm hæc quæ pígnora sua in Dei grémium adoptióne felíci transcríbit? Quæ dítior; quàm quæ filios suos cæléstis regni possessióne gloríficat? & tamen hanc tamquam páuperem, infirmámque contémpsimus; cujus potéstas ac nutus nihil médium habet: extra cujus sinum incúrritur mors ætérna; intra cujus sinum: & vita invenítur, & glória. Tu autem.

Die quinta infra octav.

De Sermóne S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

In natal. Eccles. Serm. 4.

Lectio iij.

AGnoscámus adorándę matris nostræ quanta sit glória; quæ inter ipsa primórdia: tantis honoráta est téstibus. Quæ per sacrum sánguinem prædicáta. Quo illa génere, dilatáta est: quo redémpta. Ait autem sermo divínus; Díligit Dóminus portas Sion: super ómnia tabernácula Jacob. Quid díligit in Jacob? Judáïcam plebem; in Sion: intellígite Christiánam. Díligit Dóminus portas Sion: id est, réspuit Synagógam, & præelégit Ecclésiam. Scire autem debémus quæ & quanta sit inter utrámque

que distántia. Synagóga est natiónis uníus congregátio: Ecclésia est universárum géntium multitúdo. Illic tabernácula in Judæis: hîc fundaménta sunt in Christiánis. Et ídeò umbra intellígitur in tabernáculis; virtútum verò solíditas: in móntium fundaméntis. Tu autem Dómine.

Die sexta infra octavam.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

In Dedic. Eccles. Serm. 1.

Lectio iij.

CElébritas hujus Congregatiónis: dedicátio est domûs oratiónis. Domus ergo nostrárum oratiónum ista est: domus Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi; nos in hoc sæculo ædificámur: ut in fine sæculi dedicémur. Ædifícium, imo ædificátio habet labórem: dedicátio exultatiónem. Quod hîc fiébat quando ista surgébat; hoc fit modò: cùm congregántur credéntes in Christum. Credéndo enim quasi de silvis & móntibus ligna & lápides præcidúntur: cùm verò catechizántur; baptizántur: formántur tamquam inter manus fabrórum & opíficum; dolántur; collineántur: complanántur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt: nisi quando charitáte compaginántur. Tu autem.

Die septima infra octav.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

In Dedic. Eccles. Serm. 2.

Lectio iij.

SIcut hoc ædifícium visíbile factum est nobis corporáliter congregándis; ita illud ædifícium quod nos ipsi sumus: Deo spirituáliter habitatúro constrúitur. Templum enim Dei sanctum est, inquit Apóstolus: quod estis vos. Sicut hoc terrénis mólibus constrúimus: sic illud benè compósitis móribus erigámus. Hoc enim nunc visitántibus nobis; illud in fine sæculi: Dómino veniénte dedicábitur. Quando corruptíbile hoc nostrum índuet incorruptiónem & mortále hoc nostrum, índuet immortalitátem; quia corpus humilitátis nostræ: conformábit córpori glóriæ suæ. Vidéte

enim quid dicat in Psalmo dedicatiónis. Convertísti luctum meum in gáudium mihi; conscidísti saccum meum & accinxísti me lætítiâ: ut cantet tibi glória mea, & non compúngar Tu autem.

In octava Dedicationis semiduplex majus. Ad Vesperas, Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Capitul. Versus, Aña ad Magnificat & Oratio ut in primis Vesperis Festi.

Ad Completor. Hymnus. Urbs Jerúsalem beáta.

Ad Matutinum omnia ut in die, exceptis Lectionibus.

In primo Noctur. Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 1. in vidi Dominum.

Lectio iv.

CUm decénte circumspectióne, ad Ecclésiam accedámus; ne pro peccatórum remissióne; étiam accessiónem peccátis adjúnctam: domum referámus. Quid autem est quod à nobis repóscitur: ut dum divínos hymnos resonámus; multo tremóre contrácti; multáque religióne ornáti: ita demum eos offerámus? Nam sunt quidam inter eos qui hîc adsunt: quos nec vestræ quidem charitáti árbitror esse ignótos; qui contemnéntes Deum, ac Spíritûs elóquia pro vulgáribus ac profánis ducéntes: incompósitas voces emittunt; nihilóque méliùs se gerunt iis: quos habet insánia. Toto córpore tumultuántes, ac circumácti; moréſque præ se feréntes: à spirituáli statióne aliénos. Miser & inféllix! Oportébat te cum tremóre ac reveréntia, Angélicam glorificatiónem resonáre; cumque terróre confessiónem réddere conditóri: ac per hanc delictórum véniam postuláre. Tu verò mimórum, ac saltatórum, mores huc indúcis: dum indecénter manus jactas; pédibus subsúltas: totóque circumágeris córpore. Tu autem.

Lectio v.

NOn cógitas quòd Angeli huic stupéntes assístunt mensæ; cumque reveréntia: hanc circumvállant. Iterùm tu ista non cógitas; quóniam ea quæ in

in theátris audiúntur quæque spectántur: mentem tuam obscurárunt Et ídeò quæ illic gerúntur in Eccléſiæ ritus indúcis; & ídeò clamóribus, nihil certè ſignificántibus: ánimum incompóſitum evúlgas. Quómodò ergo véniam poſtulábis tuórum delictórum? Quómodò ad misericórdiam Dóminum infléctes; qui contémptam offers precatiónem? Dicis; Miserére mei Deus: & mores à misericórdia aliénos decláras. Clamas; Salva me: & córporis ſpéciem à ſalúte aliénam éxprimis. Tu autem.

Lectio vj.

QUómodò non imitáris hanc vocem; quâ illic profers: dicens? Servíte Dómino in timóre: & exultáte ei cum tremóre. Hóccine eſt cum tremóre servíre: ſic diffúndi; diſtendíque; ut nec ipſe ſcias quid loquáris: incompóſito vocis boátu. Iſtud verò cõtémptûs eſt: non timóris. Arrogántiæ: non humilitátis. Iſtud ludéntium eſt pótiùs quàm divínas laudes cantãtium. Quid ígitur; eſt servíre Dómino in timóre? cùm omne præcéptum perfecérimus; ipſi in timóre & compunctióne confitéri: cordéque contríto; ac mente ſubmíſſa: Preces offérre. Tu autem.

In tertio Nocturno.

Léctio ſancti Evangélij: ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore: ingréſſus Jeſus perambulábat Hiérico. Et ecce vir nómine Zachæus; & hic erat princeps publicanórum: & ipſe dives. Et quærébat vidére Jeſum quis eſſet; & non póterat præ turba: quia ſtatúrâ pusíllus erat. Et præcúrrens aſcéndit in árborem ſycómorum; ut vidéret illum: quia inde erat transitúrus. Et réliqua.

Homília ſancti Petri Chrysólogi.

Homilia in idem Evang.

PRinceps publicanórum in civitáte pérdita; pérditi óperis Zachæus: egíſſe ſcríbitur principátum. Ex loco; persónâ; officio: reátus magnitúdo monſtrátur. Ut ex magnitúdine críminis: remitténtis elúceat magnitúdo. Et

quærébat Jesum vidére. Qui Christum vidére quærit; cælum unde Christus est: non terram de qua aurum est intueátur. Dives ergo qui sursum réspicit; non portat divítias: sed procúlcat. Nec incurvátur divítiis: sed levátur. Atque agit divitias; ad largiéntis obséquium: non ad divitiárum, & avarítiæ servitútem. Divitiárū servus, non Dóminus: est avárus. At misericors; tot servos se probat habére: quot nummos. Et non póterat præ turbâ: quia statúra pusíllus erat. Satis hic ánimo magnus erat: qui pusíllus videbátur in córpore; nam mente tangébat cœlos: qui córpore hómines non æquábat. Tu autem.

Lectio vij.

ET præcúrrens ascéndit in árborem. Quibus putas iste grádibus altíssimæ árboris, pervénit ad ramos: Iste calcávit terram; superascéndit aurum; transcéndit avarítiam: & totam divitiárum supergréssus est molem. Ut prosíliens in árborem véniæ: misericórdiæ apprehéndat fructum; & de speculâ confessiónis: indulgéntiæ cérneret largitórem. Ascéndit in árborem sycómorum. Mystério non casu, ascéndit in árborem sycómorum; ut unde Adam téxerat nuditátem córporis: Zachæus inde veláret fœditátem avarítiæ. Ut vidéret Jesum: quia inde erat transitúrus. Verè dixit transitúrus; quia Christus per terrénas vias & humános labóres non mansúrus vénerat: sed vénerat transitúrus. Tu autem.

Lectio ix.

DEscénde ergo; ut depónas tantæ fraudis ónera: póndera cupiditátis. Usurárum molem; magistérium publicáni: exactiónis crudelíssimæ principátum. Expedítus intres páuperis scholam; discipulátum misericórdiæ: pietátis usum. Patiéntiæ disciplinam; stúdia virtútum; sciéntiam divinitátis; tolerántiam passiónum: Philosóphiam mortis. Atque inter vitális ligni árdua: jam perféctus ascéndas. Descénde: quia hódie in domo tua opórtet me manére.

Cujus

Cujus domum non intráverit Christus ! ille ad divínam non pervéniet mansiónem ; & cujus hîc ad mensam non séderit Christus ! ille cæléstem non accúmbet ad mensam. Et festínans descéndit ! & suscépit eum gaudens. Gaudet quia suscépit susceptórem suum ; quia pastórem suum pascit ! quia reus júdicem suffrágio humanitátis inclínat. Tu autem.

Ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente. Cætera ut in secundis Vesperis Festi.

Ad Processionem primum Respons. Officij diei seq.

Oratio conveniens.

Ad Completor. Hymnus Urbs Jerúsalem.

OFFICIUM B. MARIÆ
IN SABBATO.

Omnibus Sabbatis per annum ; præterquam in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus & Vigiliis ; & nisi Officium fieri debeat de Feria. propter Officium alicujus Dominicæ infra Hebdomadam ponendum. ut dicitur in Rubrica de Dominic. ac nisi festum aliquod novem Lectionum & dies infrà octavam evenerit fit Officium de sancta Maria modo infrà scripto.

Ad Vesperas Feriæ Sextæ Antiphonæ & Psalmi de Feria occurrente.

Capitulum. Eccli. 24.

AB inítio & ante sæcula creáta sum ! & usque ad futúrum sæculum non désinam ; & in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat. Antiph. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles ; ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu, séntiant omnes tuum juvámen,

quicúmque célebrant tuã sanctam commemoratiónem.

Orémus. *Oratio.*

COncéde nos fámulos tuos quæsumus Dómine Deus, perpétuâ méntis & córporis salúte gaudére ; & gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítiâ : & ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum nostrum.

Si Feria sexta occurrat festum novem Lectionum, tunc fit tantum Processio de Beatâ Mariâ & dicitur Responsor. primum. Ave María.

Oratio ut suprà.

Ad Completorium.

Hymnus.

AVe maris stella,
Dei mater alma ;
Atque semper virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore :
Funda nos in pace
Mutans nomen Evæ.

Solve vincla reis ;
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse Matrẽ,
Sumat per te preces ;
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac & castos.

Vitam præsta puram
Iter para tutum ;
Ut vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto
Tribus honor unus.

Amen.

Ad Matutinum, Invit. Ave Maria grátia plena: Dóminus tecum.

℣. Spécie tua & pulchritúdine tua.

℟. Inténde, prósperè procéde & regna.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia, una ex inferius positis per ordinem. clxxviij.

℟. j. Ave María grátiâ plena, Dóminus tecum ; Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obumbrábit tibi : * Quod enim ex te nascétur Sanctum vocábitur Fílius Dei. ℣. Benedícta tu in muliéribus & benedíctus fructus ventris tui. Quod enim.

℟. ij.

℟. ij. Beátam me dicent omnes generatiónes : * Quia fecit mihi Dóminus magna, quia potens est : & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus in progénie & progénies timéntibus eum. Quia.

℟. iij. Fœlix valdè es sacra virgo María & omni laude digníssima. * Quia ex te ortus est sol justítiæ Christus Deus noster. ℣. Ora Dei Génitrix pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu ; séntiant omnes tuum juvámen ; quicúmque célebrãt tuam sanctam commemoratiónem. Quia. Glória Patri. Quia.

Ad Laudes Antiphona. Ave María grátia plena, Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. *Psal.* Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.* *Antiph.* Pulchra es & decóra filia Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. *Aña.* Benedícta tu in muliéribus, & Benedíctus fructus ventris tui, *Aña.* In odórem unguentórum tuórum currémus, adolescéntulæ dilexérunt te nimis, *Aña.* Quàm pulchri sunt gressus tui calceaménti, filia príncipis.

Capitulum. Ab inítio. *ut infrà.*

℣. Speciósa facta es.

℟. Et suávis in delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Ad Benedictus, Antiph. Beáta es María quæ credidísti ; perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Oratio.* Concéde nos fámulos tuos. *ut sup.*

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccli. 24. 1.

AB inítio & ante sæcula creáta sum : & usque ad futúrum sæculum non désinam ; & in habitatióne sancta : coram ipso ministrávi.

℟. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℣. Inténde próspere procéde & regna. Glória Patri. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Oratio. Concéde nos fámulos. *ut suprà.*

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 24. 1.

ET sic in Sion firmáta sum & in civitáte sanctificáta simíliter requié-

vi & in Jerúsalem potéstas mea; Et radicávi in pópulo honorificáto, & in parte Dei mei hæréditas illíus: & in plenitúdine sanctórum, deténtio mea. ℟. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Glória Patri.. ℣ Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórum Dómine delíctis ignósce: ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus: Genitrícis Fílij tui Dómini Dei nostri, intercessióne salvémur. Per eúmdem.

AD NONAM.

Capitulum.

IN platéis sicut cinnamómum & bálsamum aromatízans odórem dedi; quasi myrrha elécta: dedi suavitátem odóris. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedixit te Deus in ætérnum. Glória Patri. ℣. Elégit eam Deus & præelégit eam ℟. In Tabernáculis suis habitáre eam facit.

Orémus. *Oratio.*

COncéde miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam celebrámus: intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus, Per eúmdem.

Lectiones sequentes dicuntur singulis mensibus in Officio B. Mariæ in Sabbato ordine infrà scripto.

MENSE MAIO

Sermo sancti Augustini Epíscopi.

Sermo. 18. de Sanctis.

MAter géneris nostri pœnam íntulit mundo: Génitrix Dómini nostri salútem édidit mundo. Auctrix peccáti Eva: auctrix meriti María. Eva occidéndo óbfuit: María vivificándo prófuit. Illa percússit: ista sanávit. Hæc enim mirábili atque inæstimábili modo ómnium & suum péperit Salvatórem. Quæ hæc virgo tam sancta ad quam veníre dignarétur Spíritus? Quæ tam speciósa; ut eam Deus sibi elígeret sponsam? Quæ tam casta: ut esse posset virgo post partum? Hæc est, Dei templum;

plum; fons ille signátus: & porta in domo Dei clausa. Ad hanc namque ut dixi, Spiritûs descendit: hanc virtus Altíssimi obumbrávit. Hæc est immaculáta cóitu; fœcúnda partu; Virgo lactans: Angelórum & hóminum cibum nútriens. Méritò namque beáta singulári à nobis præcónio extóllitur: quæ singuláre commércium mundo præbuit. Dénique tantùm se ad cæli vestígia sublevávit; ut Verbum in princípio apud Deum: de supérnâ cæli arce suscíperet. O fœlix María & omni laude digníssima! O Virgo Dei Génitrix gloriósa! O sublímis puérpera: cuius viscéribus auctor cæli terræque commíttitur.

MENSE JUNIO.

Sermo S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

Homil. 2. in Natalem Domini.

OBstupéscit natúra rerum; Virgo prócreat sóbolem: nullum procreándæ sóbolis expérta consórtem. Et veniénti in vitam hómini per uníus confertur mystérium munus duórum. Creátor ex creatúra sua náscitur. Et fructum ventris sui María mater innúpta mirátur: ac fœmina auctóris sui auctor efficitur. Quid primum mirer; quidve postrémum; quòd sine concéptu est colláta Maríæ fœcúnditas: an quòd per partum magis est glorificáta Maríæ virgínitas? Sed non mirum si ita péperit: talis erat ille cui núpserat. Ait enim Angelus stupénti Maríæ; Spíritus sanctus supervéniet in te: & virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ecce María præbitúra Deo nascénti córporis sui habitáculum: prius mente efficitur Dei templum. Subséquitur Evangelísta dicens: Et beáta quæ crédidit. Videámus ergo an símplicem nobis hóminem nasci índicet: ordo ipse nascéndi. Fílius Vírgini Maríæ ab Angelo promíttitur; à Spíritu sancto donátur: & quasi verè Deus credéndo concípitur.

MENSE JULIO.

Sermo sancti Gregórij Neocesaréæ Epíscopi.

In Annunt. Serm. I.

COnveniénter Angelus sanctæ Mariæ Vírgini ómnium primæ salutatiónis verba hæc, Ave grátiâ plenâ Dóminus tecum, prælocútus est: quòd cum illa grátiæ omnis thesáurus repósitus. Ex cunctis enim generatiónibus hæc sola sancta córpore & spíritu fuit: soláque portántem ómnia verbo portat. Nec solùm mirári est sanctæ Vírginis formam corporálem; verùm étiam ánimi virtútes: ac præcláros mores. Et ideò eam primò Angelus verbis illis: Ave grátiâ plenâ, consalutávit. Dóminus tecum. Non terrénus sponsus: sed ipse sanctitátis Dóminus ac castitátis Pater; incorruptiónis cónditor: ac dator libertátis; salútis procurator; veræque pacis árbiter: atque largítor. Qui ex terrâ vírgine formávit hóminem; exque illíus costâ tulit hóminem; hic Dóminus tecum: ac ex te rursúm. Agite ígitur charíssimi: nos quoque Angélicam consectántes laudē; quantò faciliùs candóre débitum persolvámus: atque dicámus, Ave grátiâ plenâ: Dóminus tecum. Tuum enim verè est ut áveat; gaudeásque quòd tecum divína grátia uti novit habitáculum elégit cum ancílla Rex glóriæ; cum speciósâ speciósus forma præ filiis hóminum: cum impollúta, qui sanctíficat univérsa.

MENSE AUGUSTO.

Sermo sancti Basílij Seleúciæ Epíscopi.

De sanctiss. Dei Genitrice.

QUænam vocális ádeò lingua; ut digna Maríæ laudum cántica queat persólvere: Per eam namque magna ac præclára bona adépti sumus. Quibus laudum flóribus débitam ei plectémus corónam? Ex ipsâ enim flos Jesse germinávit, genúsq; nostrum glóriâ & honóre coronávit; quæ digna satis in eam conferémus encómia; cujus infra méritum exístant quæ mundi sunt ómnia? Cùm enim Paulus in hæc verba de áliis Sanctis pronuntiáverit; Quibus dignus non erat mundus: quid de Deíparâ dictúri sumus; quæ tantò supra Mártyres omnes

nes splendóre enítuit? Quãtis Sol stellárum micántes rádios fulgóribus vincit? Cóngruè planè id in eam Salomónis acclamémus elógium; Multæ fíliæ fecérunt virtútem; tu autem émines ac univérsas es supergréssa: ô sacra Virgo per quam méritò Angeli exúltant in hóminum ministérium missi.

MENSE SEPTEMBRI.

Sermo sancti Ephrem Diáconi.

De SS. Mariæ Laudibus.

DEi splendidíssimũ & luculentíssimum vas: Ave Dómina María grátiâ plenâ. Ave in muliéribus Virgo beatíssima. Ave stella fulgentíssima: ex quâ Christus pródiit. Ave illustríssima lux Mater & Virgo. Ave quæ mirífìcè Regem ómnium peperísti. Ave per quam claríssimus nobis Sol justítiæ illúxit. Ave Dómina cunctis sublímior. Ave Cánticum Cherúbicũ & hymnódia Angelórum. Ave pax, gáudium, consolátio & salus mundi. Ave géneris humáni lætítia. Ave Patrum præcónium & Prophetárum decus. Ave Mártyrum pulchritúdo & coróna Sanctórum. Ave piórum glória & laus in solitúdine degéntium. Ave præclaríssimum Hierárchiæ cæléstis ornaméntum. Ave pulchra hymnigraphórum ómnium orátio. Ave præstantíssimum orbis terræ miráculum. Ave terrigenárũ ómnium delectátio. Ave paradísæ deliciárum, totiúsque amœnitátis & immortalitátis. Ave lignum vitæ, gáudium & volúptas. Ave lílium convállium & vallum fidélium & mundi salus. Ave tranquillíssimus portus & à flúctibus procellísque agitatórum liberátrix desideratíssima. Ave nostra periclitántium auxiliátrix.

MENSE OCTOBRI.

Sermo S. Euchérij Lugdunénsis Epíscopi.

In natalem Domini. Ser. 2.

AGnósce, ô verè Beáta María glóriam tuam. Illam inquam glóriam quam tibi vel Angelus nuntiávit: vel Joánnes per os Elízabeth matris adhuc de secréto úteri prophetávit. Benedícta ítaque tu inter mulíeres

&

& benedíctus fructus ventris tui. Et unde mihi hoc ut véniat mater Dómini ad me? Exúlta María mater salútis humánæ, ecce Dómini mei universo mundo per tanta retrò sæcula promíssum prima suscípere meréris advéntum. Habitáculum imménsæ majestátis efficeris; spem terrárum; decus sæculórum; commúne ómnium gaúdium: peculiári múnere novem ménsibus sola póssides. Initiátor ómniũ rerum abs te initiátur; Et profundéndum pro mundi vitâ sánguinem de córpore tuo accépit: ac de te sumpsit. Nihil tibi María cum cæteris commúne mátribus est. Médicum enim dolórum nostrórum sine dolóre paris: sanatórem depraváti sæculi atque corrúpti sine ulla pudóris corruptióne progéneras. Nec enim decébat; ut qui ad hoc vénérat; ut violáta in íntegrum restitúeret: áliquid de matérna integritáte violáret. Ecce uno partu tuo María universórum náscitur vita sæculórum; profers in lucem lucis paréntem: & Salvatórẽ hóminum. Angelórum patrem vocáre méreris Fílium tuum.

MENSE NOVEMBRI.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In Evang. Missus est.

Quisquis te intélligis in hujus sæculi proflúvio magis inter prócellas & tempestátes fluctuáre quàm per terram ambuláre; ne avértas óculos à María; à fulgóre hujus síderis ne discédas: si non vis óbrui procellis. Si insúrgant venti tentatiónum; si incúrras scópulos tribulatiónũ; réspice stellam: voca Maríam. Si jactáris supérbiæ undis; si ambitiónis, si detractiónis, si æmulatiónis; réspice stellam: voca Maríam. Si iracúndia aut avarítia aut carnis illécebra navículam concússerit mentis: réspice ad Maríam. Si críminum immanitáte turbátus, consciéntiæ fœditáte confúsus; judícij horróre pertérritus; bárathro incípias absorbéri tristítiæ desperatiónis abysso: cógita Maríam. In perículis; in angústiis; in rebus dúbiis; Maríam cógita: Maríam

ríam ínvoca. Non recédat ab ore, non recédat à corde; & ut ímpetres ejus oratiónis suffrágium: non déseras conversatiónis exémplum. Ipsam sequens non dévias; ipsam rogans non despéras; ipsam cógitans non erras; ipsâ tenénte non córruis; ipsâ protégente non métuis; ipsâ duce non fatigáris: ipsâ propítiâ pérvenis.

MENSE DECEMBRI.

Sermo sancti Hildephónsi Epíscopi.

Serm. 3. in Assumpt.

MEritó sancta & venerábilis Dei Génitrix Virgo María Cœlórum Regína; mundi Dómina singulári à nobis præcónio extóllitur: quæ singuláre commércium mundo præbuit. Tantum se ad cœli fastígium sublevávit; ut Verbum in princípio apud Deum: de summâ cœli arce suscípere. O fœlix María: & omni laude digníssima! O Génitrix gloriósa! O sublímis puérpera! cujus viscéribus auctor cœli, terræque commíttitur! Hæc est virgo lactans Dóminum. Cœli Angelórum cibum & hóminum nútriens. O felícia óscula lactántis labris impréssa. O fœlix puerpérium; lætabile Angelis: optábile sanctis; necessárium perditis: cóngruum profligátis! Quas ergo laudes, ô Dómina totius mundi salvátio fragílitas géneris humáni tibi persólvet? quæ solo tuo commércio recuperándi nobis áditum invenísti.

OFFICIUM PARVUM

Beatæ Mariæ Virginis.

Ave María; &c.

Deus in adjutórium, &c.

Ad Vesperas, Aña. Ave María.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos: * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in medio, inimicórum tuórum,

Tecum princípium in die virtútis tuæ: * in splendóribus sanctórum: * ex útero, ante Lucíferum génui te

Jurávit

Jurávit Dóminus & non pœnitebit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum: * secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextrix tuis * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita, in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Glória Patri.

Antiphona. Ave María grátiâ plena, Dóminus tecum; benedícta tu in muliéribus.

Aña. Pulchra es & decóra.

Psalmus 112.

Laudáte púeri Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum: * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus; * & super cœlos, glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster: * qui in altis hábitat, & humília réspicit, in cœlo & in terra?

Súscitans à terra ínopem: * & de stércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus: * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo: * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri.

Antiphona. Pulchra es & decóra filia Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Aña. Benedícta tu.

Psalmus 121.

Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * in domũ Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri: * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas: * cujus participátio ejus, in idípsum,

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israël, ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício: * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem

ſunt Jerúſalem:* & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua:* & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos:* loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei noſtri:* quæsívi bona tibi. Glória Patri.

Aña. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui.

Aña. In odórem.

Pſalmus 126.

NIſi Dóminus ædificáverit domum:* in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem:* fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem súrgere:* súrgite poſtquam ſedéritis, qui manducátis panẽ dolóris.

Cùm dedérit diléctis ſuis ſomnum:* ecce hærédítas Dómini, filij; merces fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis:* ita filij excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſidériũ ſuum ex ipſis:* non cõfundétur cũ loquétur, inimícis ſuis in porta.

Glória Patri.

Aña. In odórem unguentórum tuórum currémus; adoleſcéntulæ dilexérunt te nimis. *Aña.* Quàm pulchri ſunt greſſus tui.

Pſalmus 147.

LAuda Jerúſalem Dóminum:* lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum:* benedixit filiis tuis in te.

Qui póſuit fines tuos pacem:* ex ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium ſuum terræ:* velóciter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam:* nébulam ſicut cínerem ſpargit.

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccéllas:* ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emíttet verbum ſuum & liquefáciet ea:* flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob:* juſtítias & judícia ſua Iſraël.

Non fecit táliter omni natióni:* & judícia ſua, non manifeſtávit eis.

Glória Patri.

Aña.

Aña. Quàm pulchri sunt gressus tui calceaménti, filia príncipis.

Capitulum. Eccli. 24. *b*

AB inítio & ante sæcula creáta sum: & usque ad futúrum sæculum non défimam; & in habitatióne sancta: coram ipso ministrávi.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes. ℟. Quia fecit mihi magna quia potens est.

Ad Magnificat, Antiph. Respexísti humilitátem meam Dñe Deus meus.

Orémus. *Oratio.*

COncéde nos fámulos tuos quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis salúte gaudére; & gloriósâ Beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia: & ætérna pérfrui lætítia. Per Dñm.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuísti; da nobis in eódẽ Spíritu recta sápere: & de ejus semper consolatióne gaudére.

Orémus. *Oratio.*

ECclésiam tuam Dómine benígnus illústra; ut Beáti Joánnis Apóstoli & Evangelístæ illumináta doctrínis: ad dona pervéniat sempitérna.

Orémus. *Oratio.*

OMnes sancti tui quæsumus Dómine nos ubíque lætíficent, & ádjuvent; ut dum eórum mérita recólimus: patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

AD COMPLETORIUM

Ave María. *Vers.*

COnvérte nos Deus salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adiutórium meum inténde.

℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri. Allelúia. *vel* Laus tibi Dómine rex ætérnæ glóriæ. *Psalmus* 128.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea: * dicat nunc Israël.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea: * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres: * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídet cervíces peccatórum: * cõfundántur & convertántur

tur retrórsum, omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum: * quod priúsquàm evellátur exáruit.

De quo non implévit manum suam qui metit: * & sinum suum, qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui prætéribant, Benedíctio Dómini super vos: * benedíximus vobis, in nómine Dómini.

Glória Patri.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Domine: * Dómine exáudi vocem meã.

Fiant aures tuæ intendéntes: * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine: * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * & propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël: * ex ómnibus iniquitátibus ejus. Glória Patri.

Psalmus 130.

DOmine non est exaltátum cor meum: * neque eláti sũt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis: * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam: * sed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus est super matre sua: * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dómino: * ex hoc nunc & usque in sæculum. Glória Patri.

Hymnus. Ave maris stella, *ut suprà in Officio S. Mariæ in Sabb.* clxxvj.

Capitulum.

BEáta es María quæ Dóminum portásti creatórem mundi; Genuísti qui te fecit: & in ætérnum pérmanes virgo.

℟. Adjuvábit eam Deus vultu suo, Adjuvábit.

℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Adjuvábit. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus & præelégit eam.

℟. Et in tabernáculis suis habitáre

habitáre eam facit.

Aña. Beáta Mater & intácta Virgo, gloriósa Regína mundi digníssima; intercéde pro nobis ad Dóminum.

Canticum. Nunc dimíttis. 173.

Orémus. *Oratio.*

FAmulórum tuórum Dñe delíctis ignósce; & qui tibi placére de áctibus nostris non valémus: genitrícis Fílij tui Dómini Dei nostri intercessióne salvémur.

Orémus. *Oratio.*

ILlo nos igne quæsumus Dómine virtus Spíritûs sancti inflámmet; quem Dóminus noster Jesus Christus misit in terras: & vóluit veheménter accéndi.

Oratio. Omnes sancti. *ut suprà.* clxxxvj.

AD MATUTINUM.

℣. Dómine lábia. ℣. Deus in adjutórium. *Invitatorium.* Ave María grátia plena Dóminus tecum.

Psalmus. Veníte.

In primo Nocturno.

Quando dicitur tantum Officium parvum; tres sequentes Psalmi cum Aña & Vers. dicuntur Feria secunda & quinta, Aña. Post partum Virgo.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster: * quàm admirábile est nomen tuum, in univérsa terra!

Quóniam eleváta est, magnificéntia tua super cælos.

Ex ore infántium & lacténtium, perfecísti laudem propter inimícos tuos: * ut déstruas inimícum, & ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo quod memor es ejus: * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulóminùs ab Angelis: * glória & honóre coronásti eum: * & constituísti eum, super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus: * oves & boves univérsas: * ínsuper & pécora campi.

Vólucres cæli & pisces maris: * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster: * quàm admirábile

est

est nomen tuum, in univérsa terra.

Glória Patri.

Aña. Post partum virgo invioláta permansísti; Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Aña. Speciósa facta es.

Psalmus 15.

CONsérva me Dómine, quóniam sperávi in te: * dixi, Dómino Deus meus es tu: * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus: * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * pósteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum, de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum, per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei: * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hæréditas mea, præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum: * ínsuper & usque ad noctem, increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper* quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea: * ínsuper & caro mea, requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam, in inférno: * neque dabis sanctum tuum, vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ: * adimplébis me lætítia, cùm vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua, usque in finem.

Glória Patri.

Aña. Speciósa facta es, & suávis in delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Aña. Unguéntum.

Psalmus 23.

DOmini est terra & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini: * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo

mundo corde: * qui non accépit in vanum ánimam suam: * nec jurávit in dolo, próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras: * & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ: * Dóminus virtútum, ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri.

Aña. Unguéntum effúsum nomen tuum ídeò adolescéntulæ dilexérunt te nimis. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua. ℟. Inténde prósperè procéde & regna.

In secundo Nocturno.

Quando dicitur tantum Officium parvum; tres sequentes Psalmi cum Aña. & Vers. dicuntur Feria tertia & sexta. Antiphona. Spécie tua.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, velóciter scribẽtis.

Speciósus forma præ filiis hóminum: * diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo, super femur tuum, potentíssimè.

Spécie tua & pulchritúdine tua: * inténde, prósperè procéde, & regna.

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * & dedúcet te mirabíliter, déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ: * pópuli sub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta & cassia

sia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ Regum, in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis, in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi filia & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíscere pópulum tuũ, & domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus: * in fímbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi Vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne: * adducéntur in templum Regis.

Pro Pátribus tuis nati sunt tibi filij: * constítues eos príncipes, super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui: * in omni generatióne, & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum: * & in sæculum sæculi.

Glória Patri.

Aña. Spécie tua & pulchritúdine tua; inténde, prosperè procéde, & regna.

Aña. Adjuvábit eam.

Psalmus 45.

DEus nostrum refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérũt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes, in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster, Deus Jacob.

Veníte & vidéte ópera Dómini,

Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella, usque ad finem terræ.

Arcum cónteret: & confringet arma: * & scuta combúret igni.

Vacáte & vidéte, quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Glória Patri.

Aña. Adjuvábit eam Deus vultu suo; Deus in médio ejus, non commovébitur. *Aña.* Hortus conclúsus.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus & laudábilis nimis: * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ: * mons Sion, látera aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur: * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in Spíritu veheménti, cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum:* in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam: * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent filiæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion & compleҫtímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * & distríbuite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Glória Patri.

Aña. Hortus conclúsus soror mea, hortus conclúsus, fons signátus.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo.
℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

In tertio Nocturno.

Quando dicitur tantum Officium parvum; tres sequentes Psalmi cum Antiphona, & ℣. dicuntur Feria quarta & Sabbato.

Antiph. Homo natus est.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus Sanctis: * díligit Dóminus portas Sion, super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babilónis sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus & pópulus Æthyopum: * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet homo: * & homo natus est in ea: * & ipse fundávit eam Altíssimus.

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum: * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium, habitátio est in te.

Glória Patri.

Antiphona. Homo natus est in ea, & ipse fundávit eam Altíssimus.

Antiphona. Surge Aquilo.

Psalmus 96.

DOminus regnávit exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus: * justítia & judícium, corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet: * & inflammábit in circúitu, inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini, omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli, glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * & qui gloriántur, in simulachris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit & lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ: * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es, super omnes Deos.

Qui diligitis Dóminum

odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum: * de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo: * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memóriæ, sãctificatiónis ejus.

Glória Patri.

Antiphona. Surge áquilo & veni auster; perfla hortum meum; & fluent arómata illíus.

Antiphona. Sicut myrrha elécta.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi dextera ejus: * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus Salutáre suum: * ante conspéctum géntium, revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ Salutáre Dei nostri: * jubiláte Dómino omnis terra: * cantáte & exultáte & psállite.

Psállite Dómino in cythara, in cythara & voce Psalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini: * moveátur mare & plenitúdo ejus: * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu simul: * montes exultábunt à conspectu Dómini: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia: * & pópulos in æquitáte.

Glória Patri.

Antiphona. Sicut myrrha elécta, odórem dedísti suavitátis, sancta Dei Génitrix.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus, in ætérnum. Pater noster.

Deprecatio.

PRécibus & méritis beatíssimæ & gloriosíssimæ sempérque Vírginis Maríæ, & ómnium sanctórum & sanctárum; salvet nos & confórtet: omnípotens & miséricors Dóminus. Amen, Domne jube benedícere. Qui natus est de Vírgine succúrrat nobis hódie. Amen.

Lectio

Lectio j. Eccli. 24. b

IN ómnibus réquiem quæsívi: & in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit & dixit mihi creátor ómnium; & qui creávit me requiévit in tabernáculo meo: & dixit mihi. In Jacob inhábita; & in Israël hæreditáre: & in eléctis meis mitte radíces. Tu autem.

℟. Ave María grátiâ plena Dóminus tecum, Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obumbrábit tibi: * Quod enim ex te nascétur Sanctum vocábitur Fílius Dei ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. Quod enim. Domne jube benedícere. Déleat nostra crímina qui natus est de Vírgine María. Amen.

Lectio ij.

ET sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi: & in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto; & in parte Dei mei hæréditas illíus & in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. Tu autem.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna quia potens est, & sanctum nomen ejus.

℣. Et misericórdia ejus in progénie & progénies timéntibus eum. Quia fecit. Domne jube benedícere. Sancta María virgo Vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. Amen.

Lectio iij.

QUasi cedrus exaltáta sum in Líbano: & quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in cades; & quasi plantátio rosæ in Jéricho: quasi olíva speciósa in campis; & quasi plátanus exaltáta sum juxta aquas: in platéis. Sicut cinnamómum & bálsamum aromatízans odórem dedi: Quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Tu autem Dómine.

℟. Felix valde es sacra virgo María & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ Christus Deus noster.

℣. Ora Dei Génitrix pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu; séntiant

omnes tuum juvámen; quicúmque célebrāt tuam sanctam commemoratiónem. Quia.

In Laudibus, Antiphona Ave María grátiâ plena Dóminus tecum. *cum reliquis.* 20.

Aña. Pulchra es, & decóra; filia Jerúsalem; terríbilis ut castrórum ácies ordináta. *Aña.* Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. *Aña.* In odórem unguentórum tuórum currémus; adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

Antiphona. Quàm pulchri sunt gressus tui calceaménti, filia Príncipis.

Capitulum, Isaiæ. 11.

EGrediétur virga de radíce Jesse; & flos de radíce ejus ascéndet: & requiéscet super eum Spíritus Dómini.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum,

Ad Benedictus, Aña. Beáta es María quæ credidisti perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi à Dómino allelúia.

Orémus. *Oratio,*

DEus qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbū tuum Angelo nuntiánte carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut qui verè eam Dei Genitrícem crédimus: ejus apud te intercessiónibus adjuvémur.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuísti; da nobis in eódē Spíritu recta sápere: & de ejus semper consolatióne gaudére.

Orémus. *Oratio.*

ECclésiam tuam Dómine benígnus illústra; ut beáti Joánnis Apóstoli & Evangélistæ illumináta doctrínis: ad dona pervéniat sempitérna.

Orémus. *Oratio.*

OMnes Sancti tui quæsumus Dómine nos ubíque lætíficent & ádjuvent; ut dum eórum mérita recólimus: patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

AD PRIMAM,

Psalmus 53.

DEus in nómine tuo salvum me fac: * & in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam:

meam : * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsùm me : * & fortes quæsiérunt ánimam meam : * & non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me : * & Dóminus suscéptor est, ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis : * & in veritáte tua, dispérde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi : * & confitébor nómini tuo Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me : * & super inimícos meos despéxit óculus meus.

Glória Patri.

Psalmus 84.

BEnedixísti Dómine terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus salutáris noster : * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis : * aut exténdes iram tuam, à generatióne in generatiónem?

Deus tu convérsus vivificábis nos : * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam : * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem, in plebem suam,

Et super Sanctos suos : * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen propè timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória, in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi : * justítia & pax, osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est : * & justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * & terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * & ponet in via gressus suos. Glória Patri.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum omnes Gentes : * laudáte eum omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est

super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri.

Capitulum.

EGo quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: & flores mei, fructus honóris & honestátis.

℟. Ave María grátia plena Dóminus tecum. Ave.

℣. Benedícta tu in muliéribus & benedíctus fructus ventris tui, Ave. Glória Patri. ℣. Post partum. *ut infrà ad Tertiam.*

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus: nos fámulos tuos déxtera poténtiæ tuæ à cunctis prótege perículis; & beáta María semper Vírgine intercedénte: fac nos præsénti gaudére prosperitáte, & futúra.

Orémus. *Oratio.*

SAncti Spíritûs Dómine corda nostra mundet infúsio: & sui roris íntima aspersióne fœcúndet.

Oratio. Omnes sancti. *ut suprà.* cxcvj.

AD TERTIAM.

Psalmus 199.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi: * & exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis: * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi: * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ: * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi quia incolátus meus prolongátus est: * habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Glória Patri.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos ad montes: * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino: * qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum: * neque dórmitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet: * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te: * Dóminus protéctio tua, super manum déxteram tuā.

Per

Per dié sol non uret te:* neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum & éxitum tuum :* ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Glória Patri.

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi :* in domum Dómini ibimus.

Stantes erant pedes nostri :* in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas :* cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus tribus Dómini:* testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício :* sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem:* & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua :* & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos :* loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri :* quæsívi bona tibi. Glória Patri.

Capitulum. Eccli. 24.

ET sic in Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificáta simíliter requiévi; & in Jerúsalem potestas mea.

℟. Post partum Virgo inviolata permansísti. Post. ℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis. Post. Glória Patri. Post. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. *ut infra ad VI.*

Orémus. *Oratio.*

GRátiam tuam Dómine méntibus nostris infúnde; ut qui Angelo nuntiánte Christi filij tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem ejus & crucem, ad resurrectiónis glóriam perducámur.

Orémus. *Oratio.*

DEus qui Apóstolis tuis sanctum dedísti Spíritum, concéde plebi tuæ piæ petitiónis effectum; ut quibus dedísti fidem, largiáris & pacem.

Orat. Omnes sancti. cxcvj.

AD SEXTAM.

Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos :* qui hábitas in cælis.

Ecce ſicut óculi servórum : * in mánibus Dominórum ſuórum.

Sicut óculi ancíllæ in mánibus Dóminæ ſuæ : * ita óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, donec miſereátur noſtri.

Miſerére noſtri Dñe miſerére noſtri : * quia multũ repléti ſumus deſpectióne.

Quia multùm repléta eſt ánima noſtra : * oppróbrium abundántibus, & deſpéctio ſupérbis.

Glória Patri.

Pſalmus 123.

NIſi quia Dóminus erat in nobis: * dicat nunc Iſraël, Niſi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos : * fortè vivos deglutiſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos : * fórſitan aquæ abſorbuiſſent nos.

Torréntem pertransívit ánima noſtra : * fórſitan pertransiſſet ánima noſtra, aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus : * qui non dedit nos in captiónem, déntibus eórum.

Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt : * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus eſt: * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini: * Qui fecit cælum & terram.

Glória Patri.

Pſalmus 124.

QUi confídunt in Dño, ſicut mons Sion : * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúſalem.

Montes in circúitu ejus & Dóminus in circúitu pópuli ſui : * ex hoc nunc & uſque in ſæculum,

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum ſuper ſortem juſtórum : * ut non exténdant juſti ad iniquitátem manus ſuas.

Bénefac Dómine : * bonis & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes, addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem : * pax ſuper Iſraël. Glória Patri.

Capitulum. Eccli. 24.

SIcut cinnamómum & bálſamum aromatízans odórem dedi ; quaſi myrrha elécta : dedi ſuavitátem odóris.

℟. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis. Diffúſa.

℣. Proptérea benedíxit te Deus

Deus in ætérnum. Diffúsa.
Glória Patri. Diffúsa.
℣. Spécie tua & pulchritúdine tua, *ut infra ad* ix.

Orémus. *Oratio.*

CОncéde nos fámulos tuos quǽsumus Dómine Deus perpétua mentis & córporis salúte gaudére; & gloriósa Beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia: & ætérna pérfrui lætítia.

Orémus. *Oratio.*

ADsit nobis quǽsumus Dómine virtus Spíritûs sancti; quæ & corda nostra cleménter expúrget: & ab ómnibus tueátur advérsis.

Oratio. Omnes Sancti. *ut suprà.* cxcvj.

AD NONAM.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion:* facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum: * & lingua nostra èxultatióne.

Tunc dicent inter Gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram: * sicut torrens in austro.

Qui séminant in láchrymis: * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant: * mittentes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne: * portántes manípulos suos.

Glória Patri.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum: * in vanum laboravérunt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem: * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis qui mãducấtis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum: * ecce hæréditas Dómini, filij; merces fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis: * ita filij excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur cùm loquétur, inimícis suis in porta.

Glória Patri.

Psalmus 127.

BEáti omnes qui timent Dóminum: * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, & benè tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans: * in latéribus domûs tuæ.

Filij tui sicut novéllæ olivárum: * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo:* qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion: * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diebus vitæ tuæ.

Et vídeas filios filiórum tuórum: * pacem super Israël.

Glória Patri,

Capitulum. Cant. 6.

QUæ est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens; pulchra ut Luna, electa ut Sol: terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

℟. Spécie tua & pulchritúdine tua, Spécie, ℣. Inténde prósperè procéde & regna. Spécie. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Orémus. *Oratio.*

COncéde miséricors Deus fragilitáti nostræ præsidium; ut qui sanctæ Dei Genitrícis & Vírginis memóriam celebrámus: intercessiónis ejus auxilio, à nostris iniquitátibus resurgámus.

Orémus. *Oratio.*

MEntes nostras quæsumus Dómine paráclitus qui à te procédit illúminet: & indúcat in omnem sicut tuus promísit Fílius veritátem.

Oratio. Omnes sancti, *ut suprà.* cxcvj.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

IN choro dicitur singulis diebus non impeditis festo novem Lectionum post Officium diei; id est, Vesperæ post Vesperas, & Matutinum post Laudes diei, nisi alia sit consuetudo Ecclesiarum: extra chorum verò pro opportunitate Temporis.

Ad Vesperas absolutè incipitur ab Aña. Placébo.

Psalmus 114.

DIléxi: * quóniam exáudiet Dóminus, vocem orationis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi: * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni: * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine líbera ánimam meam, miséricors Dóminus & justus: * & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus: * humiliátus sum & liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam: * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte: * óculos meos à láchrymis: * pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino, in regióne vivórum.

Aña. Placébo Dómino in regióne vivórum.

Aña. Heu me!

Psalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi: * & exaudivit me.

Dómine líbera ánimam meam à lábiis iníquis: * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi aut quid apponátur tibi: * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ: * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi quia incolátus meus prolongátus est: * habitávi cum habi-

tántibus cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Aña. Heu me! quia incolátus meus prolongátus est. *Aña.* Dóminus.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos ad montes: * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino: * qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiónē pedem tuum: * neque dórmitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet: * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te: * Dóminus protéctio tua super manum déxteram tuam.

Per diem sol nō uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum: * & éxitum tuum ex hoc nunc & usque in sæculum.

Aña. Dóminus custódit te ab omni malo, custódiat ánimam tuam Dñs.

Aña. Si iniquitátes.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exáudi vocē meam.

Fiant aures tuæ intendéntes: * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine: * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * & propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël: * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Aña. Si iniquitátes observáveris Dómine, Dómine quis sustinébit?

Aña. Opera.

Psalmus 137.

COnfitébor tibi Dómine in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum

rum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum : * & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, & veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ : * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus & humília réspicit : * & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis vivificábis me : * & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam : * & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine misericórdia tua in sæculum * ópera mánuum tuárum ne despícias.

Añ. Opera mánuum tuárum ne despícias.

℣. Non intres in judícium cum servis tuis Dómine; quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Ad Magnificat, Antiph. Ego sum resurréctio & vita, qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit vivet; & omnis qui vivit & credit in me non moriétur in ætérnum.

Preces. Secr. Pater noster. Et ne nos, &c. ℣. In memória ætérna erunt justi. ℟. ab auditióne mala non timébunt. ℣. Ne tradas Dómine béstiis ánimas confiténtes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. ℣. Non intres in judícium cum servis tuis Dómine. ℟. Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens. ℣. A portis ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum ℣. Réquiem ætérnam. ℟. Et lux perpétua. ℣. Dómine exáudi, &c. ℟. Et clamor meus, &c.

Psalmus. Miserére mei Deus, 69. ℣. Réquiē ætérnam. ℟. Et lux ℣. Dómimine exáudi ℟. Et clamor. Dóminus vobíscum; Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Orémus, *Oratio.*

ABsólve Dómine ánimas famulórum tuórum ab omni vínculo delictórum : ut in resurrectiónis glória inter sanctos tuos resuscitáti respírent.

Oratio.

DEus véniæ largítor & humánæ salútis auctor, quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres qui ex hoc sæculo transiérunt beáta María semper Vírgine intercedénte cùm ómnibus sanctis tuis : ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

Oratio.

FIdélium Deus ómnium cónditor & Redēptor : animábus famulórum famularúmque tuórum, remissiónem cunctórum tríbue peccatórum ; ut indulgéntiam quam semper optavérunt : piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis & regnas ; &c. Dóminus vobíscum ; Requiéscant in pace ;

Ad Matutinum absolutè incipitur. Invitatorium. In manu tua Dómine omnes fines terræ. *Psalmus.* Veníte exultémus. 2.

In die commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & in die depositionis defuncti vel ob aliam peculiarem causam dicuntur tres infrà scripti Nocturni. Aliis temporibus dicitur tantùm unum Nocturnum cum Laudibus hoc ordine : Feria ij. & v. Primum Nocturnum. Feria iij. & vj. Secundum Nocturnum. Feria iv. & Sabbato. Tertium Nocturnum.

In primo Nocturno.

Pro Feria secunda & quinta, Ant. Dírige.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine : * intellige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ : * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo Dómine : * manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi & vidébo : * quóniam nō Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti

Odísti omnes qui operántur iniquitátem * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuã:* adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum : * linguis suis dolósè agébant : * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis : * secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos : * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et lætèntur omnes qui sperant in te : * in ætérnum exultábunt & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum : * quóniam tu benedíces justo.

Dómine ut scuto bonæ voluntátis tuæ, coronásti nos

Añ. Dírige Dñe Deus meus in conspéctu tuo viã meam. *Aña.* Convértere.

Psalmus 6.

DOmine ne in furóre tuo árguas me : * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei Dñe quóniam infirmus sum : * sana me Dómine quoniam conturbáta sunt, ómnia ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè : * sed tu Dómine úsquequò ?

Convértere Dómine & éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui:* in inférno autem, quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo : * lavábo per síngulas noctes lectum meum: * láchrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes, inimícos meos,

Discédite à me omnes

qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dñs, vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam. * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant & conturbéntur vehementer omnes inimíci mei: * convertántur & erubéscant, valdè velóciter.

Aña. Convértere Dómine & éripe ánimã meam: quóniam non est in morte qui memor sit tui.

Antiphona. Nequándò.

Psalmus 7.

DOmine Deus meus in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me.

Nequándò rápiat ut leo ánimam meam: * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus si feci istud: * si est iníquitas in mánibus meis.

Si réddidi retribuéntibus mihi mala: * décidam méritò, ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam & comprehéndat: * & concúlcet in terra vitam meam: * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge Dómine in ira tua: * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandásti: * & synagóga populórũ circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me Dómine secúndùm justitiam meam. * & secúndùm innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum & díriges justum: * scrutans corda & renes Deus.

Justum adjutóriũ meum à Dómino: * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus fortis & pátiens: * numquid irásci tur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis gládium suum vibrábit; * arcum suum teténdit & parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis: * ságittas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam: * concépit dolórem & péperit iniquitátem.

Lacum

Lacum apéruit, & effódit eum : * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus : * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndùm justítiam ejus : * & psallam nómini Dómini altíssimi.

Aña. Nequándo rápiat ut leo ánimam meam: * dum non est qui rédimat neque qui salvum fáciat.

℣. Convértere Dómine & éripe ánimam meam quóniam non est in morte qui memor sit tui.

Quando dicitur tantùm unum Nocturnum tunc dicitur loco: Convértere.

℣. Compláceat tibi Dómine ut éruas me : Dómine ad adjuvándum me festína ; *Secretò.* Pater noster. ℣. Et ne nos. ℣. Réquiem ætérnā ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

Lectio j. Job. 19.

SCio enim quòd Redémptor meus vivit : & in novíssimo die de terra surrectúrus sum. Et rursus circúmdabor pelle mea : & in carne mea vidébo Deum. Quem visúrus sum ego ipse ; & óculi mei conspectúri sunt : & non álius. Repósita est hæc spes mea : in sinu meo. Quare ergo nunc dícitis Persequámur eum ; & radicem verbi inveniámus advérsùs eum ? fúgite ergo à fácie gládij ; quóniam ultor iniquitátum gládius est : & scitóte esse judícium.

℟. Credo quòd Redémptor meus vivit & in novíssimo die de terra surrectúrus sim : * Et in carne mea vidébo Deum salvatórem meum. ℣. Repósita est hæc spes mea in sinu meo, quia rursus circúmdabor pelle mea. Et in carne.

Lectio ij.

QUare non in vulvæ mórtuus sum, egréssus ex útero non statim périj ? Quare excéptus génibus : Cur lactátus ubéribus ? Nunc enim dórmiens silérem & somno meo requiéscerem cum régibus & consúlibus terræ qui ædíficant sibi solitúdines : aut cum princípibus qui possident aurum & replent domos suas argénto ; aut sicut abortí-

vum.

vum abscónditum nō subsísterem: vel qui concépti non vidérunt lucem. Ibi ímpij cessavérunt à tumúltu: & ibi requiéverunt fessi róbore. Et quondam vincti páriter sine moléstia: non audiérunt vocem exactóris. Parvus & magnus ibi sunt: & servus liber à Dómino suo. Quare data est mísero lux, & vita his qui in amaritúdine ánimæ sunt? Qui expéctant mortem & non venit; quasi effodiéntes thesáurum: gaudéntque veheménter cùm invénerint sepúlchrū. Viro cujus abscóndita est via: & circúmdedit eum Deus ténebris. Antequam cómedam suspíro: & quasi inundántis aquæ sic rugitus meus. Quia timor quem timébam evénit mihi: & quod verébar áccidit. Nonne dissimulávi: Nonne sílui? Nonne quiévi? Et venit super me indignátio.

℟. Indúta est caro mea putrédine & sórdibus púlveris cutis mea áruit, & contrácta est: * Meménto mei Dómine quia ventus est vita mea. ℣. Dies mei velóciùs transiérunt quàm à texénte tela succíditur, & consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto.

Lectio iij.

Milítia est vita hóminis super terram. Et sicut dies mercenárij: dies ejus. Sicut cervus desíderat umbram; & sicut mercenárius præstolátur finem óperis sui; sic & ego hábui menses vácuos: & noctes laboriósas enumerávi mihi. Si dormíero dico. Quandò consúrgam? Et rursus. Expectábo vésperam: & replébor dolóribus usque ad ténebras. Indúta est caro mea putrédine: & sórdibus púlveris. Cutis mea áruit: & contrácta est. Dies mei velóciùs transiérunt; quàm à texénte tela succíditur: & consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto: quia ventus est vita mea. Et non revertétur óculus meus: ut vídeat bona. Nec aspíciet me: vísus hóminis. Oculi tui in me: & non subsístam. Sicut consúmitur nubes & pertránsit; Sic qui descénderit ad ínferos non ascéndet; nec revertétur ultrà in domum suam: neque cognóscet eum

eum ámpliùs locus ejus. ℟. Meménto mei Deus quia ventus est vita mea: * Nec aspíciet me visus hóminis. ℣. Et non revertétur óculus meus ut vídeat bona. Nec aspíciet.

In secundo Nocturno.

Pro Feria ij. & vj

Antiphona. Anima mea.

Psalmus 21.

DEus Deus meus réspice in me quare me dereliquísti? * longè à salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem & non exáudies : * & nocte & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, laus Israël.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt & liberásti eos.

Ad te clamavérunt & salvi facti sunt : * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis & non homo : * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me derisérunt me : * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino erípiat eum : * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxísti me de ventre : * spes mea ab ubéribus matris meæ : * in te projéctus sum ex útero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu : * ne discésseris à me.

Quóniam tribulátio próxima est : * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi : * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum : * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum : * & dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea : * & lingua mea adhæsit fáucibus meis : * & in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos : * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt

&

& inſpexérunt me : * diviſérunt ſibi veſtiménta mea : * & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem.

Tu autem Dñe ne elongáveris auxílium tuum : * ad defenſiónem meam cónſpice.

Erue à frámea Deus ánimam meam : * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis : * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio Eccléſiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum laudáte eum : * univérſum ſemen Jacob glorificáte eũ.

Tímeat eum omne ſemen Iſraël :* quóniam non ſprevit neque deſpéxit deprecatiónem páuperis.

Nec avértit fáciem ſuam à me : * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in Eccléſia magna : * vota mea reddam, in conſpéctu timéntium eum.

Edent páuperes & ſaturabúntur : * & laudábunt Dóminum qui requírunt eum : * vivent corda eórum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Reminiſcéntur & converténtur ad Dóminum, univérſi fines terræ.

Et adorábunt in conſpéctu ejus,* univérſæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini eſt regnum : * & ipſe dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ : * in conſpéctu ejus cadent omnes, qui deſcéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet : * & ſemen meũ ſérviet ipſi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * & annuntiábunt cæli juſtítiam ejus : * pópulo qui naſcétur quem fecit Dóminus.

Aña, Anima mea Deo vivet, qui non avértit fáciem ſuam à me.

Antiphona. Delícta.

Pſalmus 24.

AD te Dómine levávi ánimam meam : * Deus meus in te confído non erubéſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérſi qui ſúſtinent te, non confundéntur.

Cõfundántur omnes iníqua agéntes, ſupervácuè.

Vias tuas Dómine demónſtra

mónstra mihi : * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua & doce me : * quia tu es Deus salvátor : * & te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine : * & misericordiárum tuárum quæ à sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ : * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm misericórdiam tuam meménto mei tu : * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus : * propter hoc legem dabit, delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini misericórdia & véritas : * requiréntibus testaméntū eius, & testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo : * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur : * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum : * & testaméntum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum : * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me & miserére mei : * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt : * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam & labórem meum : * & dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos quóniā multiplicáti sunt : * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meā & érue me : * non erubéscam quoniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi : * quia sustínui te.

Líbera Deus Israël : * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Añа. Delícta juventútis meæ & ignorántias meas : ne memíneris Dómine.

Añа. Redemísti me.

Psalmus 30.

IN te Dómine sperávi non confúndar in ætérnum:

tuum: * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuá: * accélera ut éruas me,

Esto mihi in Deum protectórem & in domum refúgij: * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea & refúgium meum es tu: * & propter nomen tuum dedúces me & enútries me.

Edúces me de láqueo quem abscondérunt mihi: * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum: * Redemísti me Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes, supervácuè.

Ego autem in Dómino sperávi: * exultábo & lætábor in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam: * salvásti de necessitátibus, ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci: * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Miserére mei Dómine quóniam tríbulor: * conturbátus est in ira óculus meus: * ánima mea & venter meus.

Quóniam defécit in dolóre vita mea: * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea: * & ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos, factus sum oppróbriū vicínis meis valdè: * & timor notis meis.

Qui vidébant me foras fugérunt à me: * oblivióni datus sum; tamquam mórtuus à corde.

Factus sum tamquam vas pérditum: * quóniam audívi vituperatiónem multórum, commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent simul advérsùm me: * accípere ánimam meam consíliati sunt.

Ego autem in te sperávi Dómine: * Dixi Deus meus es tu: * in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum: * & à persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum: * salvum me fac in misericórdia tua: * Dómine non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubéscant ímpij & deducántur in inférnum: * muta

muta fiant lábia dolósa.

Quæ loquúntur advérsùs justum iniquitátem: * in supérbia, & in abusióne.

Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine: * quam abscondísti timéntibus te.

Perfecísti eis qui sperant in te: * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ; * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo; * à contradictióne linguárum,

Benedíctus Dóminus; * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi, in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ: * Projéctus sum, à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudísti vocem oratiónis meæ: * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum omnes Sancti ejus: * quóniam veritátem requíret Dóminus: * & retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite & confortétur cor vestrum: * omnes qui sperátis in Dómino.

Añā. Redemísti me Dómine Deus veritátis, in manus tuas commendo spíritum meum.

℣. Anima mea Deo vivet qui non avértit fáciem suam à me. *Quando dicitur unum tantum Noct.*

℣. Compláceat.ccix. *Secr.* Pater noster, &c. ℟. Réquiem ætérnam. ℣. Et lux perpétua.

Lectio iv.

DEus cujus iræ resístere nemo potest: & sub quo curvántur qui portant orbem. Quantus ego sum ego, ut respóndeam ei; & loquar verbis meis cum eo? qui étiam si habúero quidpiam justum non respondébo: sed meum júdicem deprecábor. Et cùm invocántē exaudíerit me: non credo quod audíerit vocem meam. In túrbine enim cónteret me: & multiplicábit vúlnera mea, étiā sine causa. Non concédet requiéscere spíritum meū: & implébit me amaritudínibus; Si fortitúdo quæritur: robustíssimus est. Si æquitas judícij: nemo pro me audet testimónium dícere. Si justificáre me volúero: os meum condemnábit me. Si innocéntem

rem osténdero : pravum me comprobábit. Etiam si simplex súero ; hoc ipsum ignorábit ánima mea: & tædébit me vitæ meæ. Unum est quod loquútus sum. Innocéntem & ímpium : ipse consúmit. Si flagéllat occídat semel : & non de pœnis innocéntum rídeat. Terra data est in manu ímpij : vultum júdicum ejus óperit. Quòd si non ille est: Quis ergo est? Dies mei velocióres fuérunt cursóre : fugérunt & non vidérunt bonum. Pertransiérunt quasi naves poma portántes : sicut áquila volans ad escam. Cùm díxero nequáquam ita loquar ; commúto fáciem meam : & dolóre tórqueor. Verébar ómnia ópera mea : sciens quòd non párceres delinquénti. Si autem & sic ímpius sum : quare frustrà labo rávi.

℟. Ne abscóndas me Dómine à fácie tua ; manum tuam longè fac à me: * Et formído tua non me térreat. ℣. Voca me & respondébo tibi ; aut certè loquar, & tu respónde mihi. Et formído tua.

Lectio v.

Dicam Deo. Noli me condemnáre. Indica mihi : cur me ita júdices. Numquid tibi bonum vidétur si calumniéris & ópprimas páuperē, opus mánuum tuárum ; & consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt, aut sicut homo videt ; & tu vides? Numquid sicut dies hóminis, dies tui ; & anni tui sicut humána sunt témpora : ut quæras iniquitátem meā, & peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim : cùm sit nemo qui de manu tua possit erúere. Manus tuæ fecérunt me & plasmavérunt me totum in circúitu; & sic repéntè præcípitas me? Meménto quæso quòd sicut lutum féceris me : & in púlveremedúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, & sicut cáseum coagulásti me : Pelle & cárnibus vestísti me : óssibus & nervis compegísti me. Vitam & misericórdiam tribuísti mihi : & visitátio tua custodívit spíritum meū.

℟. Quis mihi tríbuat ut in inférno prótegas me,

&

& abscóndas me; donec pertránseat furor tuus Dómine: * Nisi tu qui solus es & constítuas tempus, in quo recordéris mei.

℣. Quis det ut véniat petítio mea, & quod expécto tríbuat mihi Dóminus. Nisi tu.

Lectio vj.

QUantas hábeo iniquitátes & peccáta? scélera & delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento rápitur osténdis poténtiam tuam? & stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines? & consúmere me vis, peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedes meos; & observásti omnes sémitas meas? & vestígia pedum meórum considerásti. Qui quasi putrédo consuméndus sum? & quasi vestiméntum quod coméditur à tínea. Homo natus de muliére; brevi vivens témpore? replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur & contéritur; & fugit velut umbra? & numquam in eódem statu pérmanet. Et dignū ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos; & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu qui solus es?

℟. Versa est in luctum cythara mea & órganum meum in vocem fléntium: * Parce mihi Dómine nihil enim sunt dies mei.

℣. O custos hóminis quare posuísti me contrárium tibi, & factus sum mihimetípsi gravis? Parce mihi Dómine.

In tertio Nocturno.

Pro Feria iv. & Sabbato.

Antiphona. Anima autem.

Psalmus 94.

JUdica Dómine nocéntes me: * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & scutum: * & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam & conclúde advérsùs eos qui persequúntur me: * dic ánimę meæ, Salus tua ego sú.

Confundántur & reveréantur: * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsum & confundántur: * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti:* & Angelus Dñi coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum: * & Angelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui : * supervácuè exprobravérunt ánimã meã.

Véniat illi láqueus quem ignórat : * & cáptio quam abscõdit apprehéndat eũ:* & in láqueũ cadat in ipsũ.

Anima autem mea exultábit in Dómino : * & delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicẽt:* Dómine quis símilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus : * egénum & páuperem , à diripiéntibus eum.

Surgéntes testes iniqui:* quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis : * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi molésti essent : * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam : * & orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum & quasi fratrem nostrum sic complacébam : * quasi lugens & contristátus , sic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti sunt & convenérunt : * congregáta sunt super me flagélla ; & ignorávi.

Dissipáti sunt nec compúncti: * tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne: * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine quando respícies : * restítue ánimam meam à malignitáte eórum : * à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in Ecclésia magna : * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníquè : * qui odérunt me gratis , & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebàntur : * & in iracúndiâ terræ , loquéntes dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum : * dixérunt Euge, Euge , vidérunt óculi nostri.

Vidísti Dómine ne síleas : * Dómine ne discédas à me.

Exúrge & inténde judício meo Deus meus : * & Dóminus meus in causam meam.

Júdica me secúndùm justítiam tuā Dómine Deus meus : * & non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis Euge , euge ánimæ nostræ:* nec dicant Devorávimus eum.

Erubéscant & revereántur simul :* qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne & reveréntia : * qui malígna loquúntur super me.

Exúltent & læténtur qui volunt justítiam meam : * & dicant semper,Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam : * tota die laudem tuam.

Añа. Anima autem mea exultábit in Dómino, & delectábitur super salutári suo.

Antiphona. Compláceat.

Psalmus 39.

EXpéctans expectávi Dóminum :* & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas:*& edúxit me de lacu misériæ , & de luto fæcis.

Et státuit supra petram pedes meos : * & diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum , * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi & timébūt:*& sperábunt in Dño.

Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus : * & non respéxit in vanitátes, & insánias falsas.

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua* & cogitatiónibus tuis non estquis símilis tibi.

Annuntiávi & locútus sum : * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum & pro peccáto non postulásti: * tunc dixi , Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus vólui , & legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiā tuam in Ecclésia magna : * ecce lábia mea non prohibébo : * Dómine tu scisti.

Justítiam tuam non ab-

ſcóndi in corde meo: * veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi.

Non abſcóndi miſericórdiam tuam, & veritátem tuam à concílio multo.

Tu autem Dómine ne longè fácias miſeratiónes tuas à me: * miſericórdia tua, & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ: * & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ ſunt ſuper capillos cápitis mei: * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi Dómine ut éruas me: * Dómine ad adjuvándum me réſpice.

Confundántur & revereántur ſimul: * qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

Avertántur retrórſum & revereántur: * qui volunt mihi mala.

Ferant conféſtim confuſiónem ſuam: * qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exúltent & læténtur ſuper te, omnes quæréntes te: * & dicant ſemper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego autem mendícus ſum & pauper: * Dóminus ſollícitus eſt mei.

Adjútor meus & protéctor meus es tu: * Deus meus ne tardáveris.

Aña. Compláceat tibi Dómine ut éruas me: Dómine ad adjuvándum me feſtína.

Antiphona. Sitívit.

Pſalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fontem vivum: * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei.

Fuérunt mihi láchrymæ meæ panes die ac nocte: * dum dícitur mihi quotídie, Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordátus ſum & effúdi in me ánimam meam: * quóniam tranſíbo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confeſſiónis, ſonus epulántis.

Quare triſtis es ánima

mea

mea & quare contúrbas me : * spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: * proptérea memor ero tui de terra Jordánis:* & hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat : * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui, super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suã : * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ : * dicam Deo, Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei, & quare contristátus incédo ? * dum affligit me inimícus.

Dum confringúntur ossa mea : * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me, inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies, Ubi est Deus tuus ? * quare tristis es ánima mea, & quare contúrbas me?

Spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Aña. Sitívit ánima mea ad Deum fontem vivum, quando véniam, & apparébo ante fáciem Dómini?

Versus. Compláceat tibi Dómine ut éruas me: Dómine ad adjuvándum me festína ; Pater noster.

Réquiem ætérnam. Et lux perpétua, &c.

Lectio vij.

BReves dies hóminis : númerus mẽsium ejus apud te est. Constituísti términos ejus : qui prætceríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo ut quiéscat ; donec optáta véniat : sicut mercenárij dies ejus. Lignum habet spem : si præcísum fúerit ; rursum virésceit : & rami ejus púllulant. Si senúerit in terra radix ejus, & in púlvere mórtuus fuérit truncus illíus;ad odórem aquę germinábit : & fáciet comam, quasi cùm primùm plantátum est. Homo verò cùm mórtuus fúerit & nudátus atque consúmptus ; ubi quæso est?quómodò si recédant aquæ de mari ; & flúvius vacuefáctus aréscat : sic homo

cùm dormíerit non resúrget. Donec atterátur cœlum non evigilábit : nec consúrget de somno suo.

℟. Deus in te sperávi, Dómine, non confúndar in ætérnum :* In tua justítia líbera me & éripe me.

℣. Quóniam tu es patiéntia mea Dómine; Dómine spes mea, à juventúte mea. In tua justítia.

Lectio vilj.

QUis mihi tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus; & constítuas tempus in quo recordéris mei ? Putásne mórtuus homo rursum vivet ? Cunctis diébus quibus nunc mílito : expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me : & ego respondébo tibi. Opéri mánuum tuárum : pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti : sed parce peccátis meis. Signásti quasi in sácculo delícta mea : sed curásti iniquitátem meam. Mons cadens défluet : & saxum transfértur de loco suo. Lápides éxcavant aquæ : & alluvióne paulátim terra consúmitur. Et hóminem ergo simíliter perdes ? Roborásti eum páululùm : ut in perpétuum pertransíret. Immutábis fáciem ejus : & emíttes eum. Sive nóbiles filij ejus fúerint ; sive ignobíles : non intélligit. Attamen caro ejus dum vivit dolébit : & ánima ejus super semetípso lugébit.

℟. Velóciter exáudi me Dómine : * Quia defecérunt sicut fumus dies mei.

℣. Dies mei sicut umbra declinavérunt ; & ego sicut fœnum árui. Quia.

Lectio ix.

DIes mei transiérunt. Cogitatiónes meæ dissipátæ sunt : torquéntes cor meú. Noctem vertérũt in diem : & rursus, post ténebras, spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est : & in ténebris stravi léctulũ meum. Putrédini dixi. Pater meus es. Mater mea : & soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea ; & patiétiam meam quis consíderat ? In profundíssimum inférnum : descéndent ómnia mea : Putásne saltim : ibi erit réquies mihi.

℟. Peccávi

℟. Peccávi super númerum arénæ maris, & multiplicáta sunt peccáta mea: & non sum dignus vidére altitúdinem cœli, præ multitúdine iniquitátis meæ, quóniam irritávi iram tuam: * Et malum coram te feci. ℣. Precor Dómine, ut trànsferas iniquitátem servi tui, quia stultè egi nimis. Et malum.

In Laudibus absolutè dicitur, *Aña.* Exultábunt Dómino ossa humiliáta.

Psalmus. Miserére mei Deus. 69. *Aña.* Exáudi.

Psalmus 64.

TE decet hymnus Deus in Sion: * & tibi reddétur votũ in Jerúsalem.

Exáudi orationẽ meã: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos: * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti & assumpsísti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ: * Sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus salutáris noster: * spes ómniũ finiũ terræ, & in mari lõgè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia: * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitãt términos, à signis tuis: * éxitus matutíni, & véspere delectábis.

Visitásti terram & inebriásti eam: * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis: * parásti cibum illórum, quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébrians multíplica genímina ejus * in stillicídiis ejus, lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ: * & campi tui, replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti: * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óviũ & valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Aña. Exáudi oratiónem meam ad te omnis caro véniet. *Aña.* Me suscépit déxtera tua Dómine.

Psal. Deus Deus meus. 21.

Antiph. A portis ínferi.

Psalmus 38.

EGo dixi: * in dimídio diérum meórum, Vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum: * dixi, Non vidébo Dñm Deum, in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultrà: * & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est & convolúta est à me: * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut à texénte vita mea: * dum adhuc ordírer, succídit me.

De manè usque ad vésperam fínies me: * sperábam usque ad manè: * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea.

De manè usque ad vésperam fínies me: * sicut pullus hirúndinis sic clamábo: * meditábor ut colúmba.

Attenuáti sunt óculi mei: * suspiciéntes in excélso.

Dómine vim pátior, respónde pro me: * quid dicam aut quid respondébit mihi, cùm ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos: * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine si sic vívitur, & in tálibus vita spíritûs mei; corrípies me & vivificábis me: * Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima.

Tu autem eruísti ánimã meam ut non períret: * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te: * nõ expectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi sicut & ego hódiè: * Pater filiis notam fáciet, veritátem tuam.

Dómine salvum me fac: * & psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ, in domo Dómini.

Aña. A portis ínferi érue Dómine ánimas eórum.

Aña. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Psalmus. Laudáte Dóminum de cælis. 23.

℣. Audívi vocem de cælo dicéntem mihi: Scribe, Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur.

Ad Benedictus, Antiph. Omne quod dat mihi Pater

ret ad me veniet, & eum qui venit ad me: non ejíciam foras; ℣. Réquiem ætérnam. ℟. Et lux.

Preces. Secr. Pater noster. ℣. Et ne nos. ℣. In memória ætérna erunt justi. ℟. Ab auditióne mala non timébunt ℣. Ne tradas Dómine béstiis ánimas confiténtes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

℣. Non intres in judícium cum servis tuis Dómine. ℟. Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens. ℣. A portis ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum. ℣. Réquiem. ℟. Et lux. ℣. Dñe exáudi. ℟. Et clamor. *Psal.* Miserére mei Deus. 69.

℣. Réquiem. ℟ Et lux. ℣. Dómine exáudi. ℟. Et clamor. ℣ Dñs vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

ABsólve Dñe ánimas famulórum tuórum ab omni vínculo delictórum: ut in resurrectiónis glória, inter Sanctos tuos resuscitáti respírent.

Vel una ex orationibus inferius positis pro Defuncto sacerdote, vel pro Defuncto aut Defuncta, prout Officium fuerit celebratum.

Oratio.

DEus véniæ lárgitor & humánæ salútis auctor, quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, qui ex hoc sæculo transiérunt; Beáta María semper Vírgine intercedénte, cum ómnibus Sanctis tuis: ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

Oratio.

FIdélium Deus ómnium cónditor & redémptor: animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt: piis supplicatiónibus cōsequántur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre; in unitáte Spíritûs sancti Deus: Per ómnia sæcula sæculórum; Dñs vobíscum; ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Pro Defuncto.

Orémus. *Oratio.*

INclína Dómine aurem tuam ad preces nostras quibus misericórdiā tuam

súpplices deprecámur: ut ánimam fámuli tui quam de hoc sæculo migráre jussisti; in pacis ac lucis regióne constítuas: & Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem.

Pro Sacerdote Defuncto.

Orémus. *Oratio.*

DA nobis Dómine ut ánimam fámuli & Sacerdótis tui; quam de hujus sæculi eduxísti laborióso certámine: Sanctórum tuórum cœtui, tríbuas esse consórtem.

Si pro pluribus, dicitur in plurali (Famulórum & Sacerdótum) tuórum;

Pro una Defuncta.

Orémus. *Oratio.*

QUæsumus Dómine pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ; & à contágiis mortalitátis exútam: in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per Dóminum.

LITANIÆ.

SEquëtes Litaniæ cum ℣. ℟. & Psalmis dicuntur flexis genibus post Matutinum & Laudes diei, dicto Psalmo, Levávi *cum oratione. Tempore adventûs Feria ij. iv. & vj. usque ad diem 17. Decembris: & à Feria iij. post Dominic. j. Quadragesimæ inclusivè dicuntur Feria iij. v. & Sabbato usque ad Feriã v. in cœna Domini exclusivè; & tunc iis præponitur Antiphona quæ prædictis Feriis in Officio de Tempore assignatur. In adventu sequens Litania dicitur Feria ij: in Quadragesima verò dicitur Fer. iij.*

LITANIA PRIMA.

Incipitur flexis genibus.

KYrie eléison. Christe eléison. Christe audi nos. Christe audi nos.

Pater de cœlis Deus. Miserére nobis.

Fili Redémptor mundi Deus. Miserére nobis.

Spíritus sancte Deus. Miserére nobis.

Sancta Trínitas unus Deus. Miserére nobis.

Sancta María. Ora pro nobis. *Duplicatur.*

Quãdo fit Processio hic surgunt omnes, & procedũt.

Sancte Míchaël. ora.

Sancte Gábriel. ora.

Sancte Ráphaël. ora.

Sancte Joánnes. *Dupl.* ora.

Sancte Petre, ora.

Sancte Paule, ora.

Sancte Andrea, ora.

Sancte Jacóbe, ora.

Sancte

Sancte Joánnes, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Marce, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Stéphane, *Dup.* ora.
Sancte Line, ora.
Sancte Clete, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Sixte, ora.
Sancte Telésphore, ora.
Sancte Anthére, ora.
Sancte Cornéli, ora.
Sancte Marcélle, ora.
Sancte Polycárpe, ora.
Sancte Póthine cum sóciis tuis, ora.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora.
Sancte Apollinári, ora.
Sancte Cypriáne, ora.
Sancte Tróphime. ora.
Sancte Saturníne, ora.
Sancte Martiáli, ora.
Sancte Torquáte, ora.
Sancte Annemúnde, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Sylvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Zachária, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Juste, ora.
Sancte Albíne, ora.
Sancte Elpidi, ora.

Sancte Lupicíne, ora.
Sancte Lupe, ora.
Sancte Germáne, ora.
Sancte Cæsari, ora.
Sancte Hierónime, ora.
Sancte Viátor, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Hilárion, ora.
Sancte Machári, ora.
Sancta Blandina. ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Prisca, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Euphémia, ora.
Sancta Fides, ora.
Sancta Lúcia. ora.
Sancta Perpétua, ora.
Sancta Felícitas, ora.
Sancta María Magdaléna, Ora pro nobis.
Omnes Sancti. Oráte pro nobis. *Duplicatur.*
Propítius esto. Parce nobis Dómine.
Propítius esto. Líbera nos Dómine.
Ab insídiis diáboli. Líbera nos Dómine.
A persecutióne inimíci. Líbera nos Dómine.
A ventúra ira. Líbera.
A perículo mortis. Líbera.
A subitánea & improvísa morte. Líbera
Ab omni malo. Líbera.
Per Crucem tuam. Líbera.

Per Resurrectiónem tuam.
Líbera nos Dómine.
Per Ascensiónem tuam.
Líbera nos Dómine.
Per Spíritum Paráclitum.
Líbera nos Dómine.
In die Judícij. Líbera.
Peccatóres. Te rogámus audi nos.
Ut pacem nobis dones. Te rogámus audi nos.
Ut sanitátē nobis dones. Te rogámus audi nos.
Ut äëris tempériem nobis dones. Te rogámus.
Ut fructus terræ dare & conserváre dignéris. Te rogámus audi nos.
Ut misericórdia & piétas tua nos custódiat. Te rogámus audi nos.
Ut locum istum visitáre & consolári dignéris. Te rogámus audi nos.
Ut Pontíficem nostrum conserváre dignéris. Te rogámus audi nos.
Ut ei vitam & sanitátem dones. Te rogámus.
Ut univérsos gradus Ecclésiæ tuæ, régere & conserváre dignéris. Te rogámus audi nos.
Ut clerum & plebem sancti Stéphani conserváre dignéris. Te rogámus.
Ut univérsum pópulum Christiánum conserváre dignéris. Te rogámus audi nos.
Ut Regem nostrum conserváre dignéris. Te rogámus audi nos
Ut ei vitam & victóriam dones. Te rogámus.
Ut gentes quæ in sua ferritáte confídunt tuâ déxtera comprimántur. Te rogámus audi nos.
Ut Ecclésiam tuam defensáre dignéris. Te rogámus audi nos.
Ut eam semper exaltáre dignéris. Te rogámus.
Ut inimícos Sanctæ Dei Ecclésiæ comprímere dignéris. Te rogámus.
Vt errántes ad viā salútis redúcas. Te rogámus.
Ut in Christo quiescéntibus réquiem ætérnam dones. Te rogámus.
Ut nos exaudíre dignéris. Te rogámus.
Fili Dei. Te rogámus.
Fili Dei. Te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. Parce nobis Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. Lib. nos Dñe.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. Dona nobis pacem.

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. Miserére nobis,
Christe audi nos.
Christe audi nos.
Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.
℣. Deus Israël líbera nos, de manu ómnium qui nos odérunt; *Secretò.* Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Ego dixi Dómine miserére mei. ℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úsquequò. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine Deus meus in te sperávi. ℟. Salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me. ℣. Júdica Dómine nocéntes me. ℟. Expúgna impugnántes me. ℣. Apprehénde arma & scutum. ℟. Et exúrge in adjutóriũ mihi. ℣. Eripe me de inimícis meis Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus ĩn me líbera me. ℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris sánguinum salva me, ℣. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci. ℣. Eripe me Dómine ab hómine malo. ℟. A viro iníquo líbera me. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dñi. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dómine exaúdi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Psalmus 42.

Júdica me Deus, & discérne causam meam de gente non sancta: * ab hómine iníquo & dolóso érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea: * Quare me repulísti, & quare tristis incédo: * dum afflígit me inimícus.

Emítte lucem tuam & veritátem tuam: * Ipsa me deduxérunt & adduxérunt in mõtem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cythara Deus, Deus meus: * Quare tristis es ánima mea; & quare contúrbas me?

Spera

Spera in Deo quóniam adhuc confitébor illi:* salutáre vultûs mei, & Deus meus. Glória Patri.

Psalmus 69.

DEus in adjutórium meum inténde:* Dómine ad adjuvándum me festína.

Confundántur & revereántur: * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum & erubéscant: * Qui volunt mihi mala.

Avertántur statim & erubescéntes:* qui dicunt mihi, Euge, euge!

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te* & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper sum: * Deus ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus esto: * Dómine ne moréris.

Glória Patri.

Psalmus 85.

INclína, Dómine aurem tuam, & exaúdi me: * quóniam inops & pauper sum ego.

Custódi ánimam meam quóniam Sanctus sum: * Salvum fac servum tuú, Deus meus sperántē in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui:* quóniam ad te Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suavis & mitis: * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam:* & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te:* quia exaudísti me.

Non est símilis tui in Diis, Dómine: * Et non est secúndùm ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient & adorábunt coram te Dómine: * & glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu:* & fáciens mirábilia, tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus in toto

corde meo: * & glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia misericórdia tua magna est super me : * & eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus iníqui insurrexérunt super me : * & synagóga potentium quæsiérunt ánimam meam : * & non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu Dómine Deus, miserátor & miséricors : * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me & miserére mei : * Da impérium tuum púero tuo : * & salvum fac filiũ ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum : * ut vídeant qui odérunt me, & confundántur : * quóniam, tu Dómine, adjuvísti me, & consolátus es me.

Glória Patri.

℣. Dómine non secúndùm peccáta nostra fácias nobis. ℟. Neque secúndùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dñs vobíscum. ℟. Et cũ spíritu tuo.

Post Litaniam primam.

Orémus. *Oratio.*

DEus, cui próprium est, miseréri semper & párcere : súscipe deprecatiónem nostram; & quos delictórum caténa constríngit : miserátio tuæ pietátis absólvat. Per Dóminum nostrum.

Post Litaniam secundam.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde; ut mente & córpore páriter expedíti : quæ tua sunt, líberis méntibus exequámur. Per Dóminum nostrum.

Post Litaniam Tertiam.

Orémus. *Oratio.*

ECclésiæ tuæ, quæsumus Dómine, preces placátus admítte; ut destrúctis adversitátibus & erróribus univérsis : secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum nostrum.

In Adventu sequens Litania dicitur Feria iv. In Quadragesima verò dicitur Feria v.

LITANIA SECUNDA.

Incipitur flexis genibus.

KYrie eleíson. Christe eleíson. Christe audi

nos. Christe audi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserére nobis.

Fíli Redémptor mundi Deus, Miserére nobis.

Spíritus sancte Deus, Miserére nobis.

Sācta Trínitas unus Deus, Miserére nobis.

Sancta María, *Dupl.* ora.

Quādo fit Processio hîc surgunt omnes, & procedūt.

Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Sancte Ioánnes, *Dupl.* ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Stéphane, *Dup.* ora.
Sancte Timóthee, ora.
Sancte Tite, ora.
Sancte Juda, ora.
Sancte Sila, ora.
Sancte Calixte, ora.
Sancte Urbáne, ora.
Sancte Ignáti, ora.
Sancte Justíne, ora.
Sancte Donáte, ora.
Sancte Zachária, ora.
Sancte Epágate, ora.
Sancte Matúre, ora.
Sancte Attale, ora.
Sancte Alexánder, ora.
Sancte Póntice, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Appollóni, ora.
Sancte Chrysógone, ora.
Sancte Pancráti, ora.
Sancte Cosma, ora.
Sancte Damiáne, ora.
Sancte Génesi, ora.
Sancte Athanási, ora.
Sancte Paulíne, ora.
Sancte Euchéri, ora.
Sancte Veráne, ora.
Sancte Pátiens, ora.
Sancte Sacérdos, ora.
Sancte Rémigi, ora.
Sancte Súlpici, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancta Tecla, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Sancta Eulália, ora.
Sancta Leocádia, ora.
Sancta Margaríta, ora.
Sancta Colúmba, ora.
Sancta Crispína, ora.
Sancta Juliána, ora.
Sancta Sabína, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Sancta María Magdaléna: Ora pro nobis.

Omnes Sancti, &c. *ut in primâ Litania.*

In Adventu, sequens Litania dicitur Fria v. In Quadrages. verò dicitur Sabb.

LITANIA

LITANIA TERTIA.

Incipitur flexis genibus.

KYrie eleíson. Christe eleíson. Christe audi nos. Christe audi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserére nobis.

Fili Redémptor mundi Deus, Miserére nobis.

Spíritus sancte Deus, Miserére nobis.

Sãcta Trínitas unus Deus, Miserére nobis.

Sancta María, *Dupl.* ora.

Quãdo fit Processio hic surgunt omnes, & procedũt.

Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Sancte Joánnes, *Dup.* ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Mátthia, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Stéphane, *Dup.* ora.
Sancte Sixte, ora.
Sancte Fabiáne, ora.
Sancte Phoca, ora.
Sancte Bábyla, ora.
Sancte Fructuóse, ora.
Sancte Dionysi cum sóciis tuis, ora.
Sancte Alexánder, ora.
Sancte Ipipódi, ora.
Sancte Alcibíades, ora.
Sancte Marcélle, ora.
Sancte Valeriáne, ora.
Sancte Hyppólite, ora.
Sancte Sebastiáne, ora.
Sancte Tibúrti, ora.
Sancte Benígne, ora.
Sancte Mauríci cum sóciis tuis, ora.
Sancte Exúperi, ora.
Sancte Eustáchi cum sóciis tuis, ora.
Sancte Názari, ora.
Sancte Celse, ora.
Sancte Vitáli, ora.
Sancte Agrícola, ora.
Sancte Gervási, ora.
Sancte Prótasi, ora.
Sancte Geórgi, ora.
Sancte Agapite, ora.
Sancte Cyríace, ora.
Sancte Symphoriáne. ora.
Sancte Quintíne, ora.
Sancte Basíli, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Eúsebi, ora.
Sancte Fulgénti, ora.
Sancte Viventíole, ora.
Sancte Nicéti, ora.
Sancte Ætheri. ora.
Sancte Arigi, ora.
Sancte Génesi, ora.
Sancte Gebuíne; ora.
Sancte Peregríne, ora.
Sancte Baldomére, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancta Petronílla, ora.
Sancta Æmília, ora.

Sancta

Sancta Domitílla, ora.
Sancta Antónia, ora.
Sancta Rhódana, ora.
Sancta Biblis. ora.
Sancta Justa, ora.
Sancta Bárbara, ora.
Sancta Symphorósa, ora.
Sancta Eugénia, ora.
Sancta Basílla, ora.
Sancta Doróthea, ora.
Sancta María Magdaléna. Ora pro nobis.
Omnes Sancti, &c. *ut in prima Litania.*

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES.

DIcuntur in Feriali Officio flexis genibus à Feria secunda post Dominicam primam Quadragesimæ inclusivè; usque ad Feriam v. in cœna Domini exclusivè, Qualibet Feria secunda, quarta & sexta: & distribuuntur per Horas diei, ut infrà ordinatur.

AD LAUDES,

Post Orationem diei dicto. ℣. Benedicámus Dómino. *Statim dicitur.*

Psalmus 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me: * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dñe, quóniam infírmus sum: * sana me, Dñe, quóniã conturbáta sunt, omnia ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè: * sed tu Dómine úsquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte, qui memor sit tui: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum: * láchrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * Inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me omnes, qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit

vit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * Convertántur & erubéscant valdè velóciter.

Glória Patri.

℣. Dómine ne memíneris iniquitátum nostrarum antiquárum. ℟. Cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

EXáudi, quæsumus Dómine, gémitum pópuli supplicántis; ut qui de meritórum qualitáte diffídimus, non judícium sed misericórdiam cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum.

In fine non additur. ℣. Dóminus vobíscum. *nec.* ℣. Benedicámus Dómino, *Deinde dicitur Psalmus.* Levávi. *cum versu & Oratione ut in Psalterio.* 72.

AD PRIMAM.

Post Orationem. Véritas. *dicto.* Benedicámus Dómino. *dicitur.*

Psalmus 31.

BEáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes: * & quorũ tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum: * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea: * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci: * & injustítiam meam non abscóndi.

Dixi, Confitébor advérsùm me injustítiam meã Dómino: * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis Sanctus: * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne, quæ circúmdedit

cúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínstruam te in via hac, qua gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri ſicut equus & mulus: * quibus non eſt intelléctus.

In chamo & fræno maxíllas eórum conſtringe: * qui non appróximāt ad te.

Multa flagélla peccatóris: * ſperántem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte juſti: * & gloriámini omnes recti corde.

Glória Patri.

℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

AFflictiónem famíliæ tuæ, quæſumus Dómine inténde placátus; ut indúltâ véniâ peccatórum, de tuis ſemper benefíciis gloriémur. Per Dóminum noſtrum.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. ℣. Pretióſa.

AD TERTIAM.

Poſt Orationem diei dicto. Benedicámus Dómino, *dicitur*

Pſalmus 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me: * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam ſagíttæ tuæ infixæ ſunt mihi: * & confirmáſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniā iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meū: * & ſicut onus grave graváta ſunt ſuper me.

Putruérunt & corrúptæ ſunt cicatríces meæ: * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem: * tota die contriſtátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus * & non eſt ſánitas in carne mea.

Afflíctus ſum, & humiliátus ſum nimis: * rugiébam

giébam à gémitu cordis mei.

Dómine ante te omne desidérium meum : * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, * derelíquit me virtus mea, & lumen oculórum meórum : * & ipsum non est mecum.

Amíci mei, & próximi mei : * advérsùm me appropinquavérunt & stetérunt.

Et qui juxta me erant de longè stetérunt : * & vim faciébant, qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes:* & dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam : * & sicut mutus non apériens os sum.

Et factus sum sicut homo non áudiens : * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me Dómine, Deus meus.

Quia dixi, Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei : * & dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus : * & dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me : * & multiplicáti sunt, qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus : * ne discésseris à me.

Inténde in adjutórium meum : * Dómine, Deus salútis meæ.

Glória Patri.

℣. Et véniat super nos misericórdia tua, Dómine.
℟. Salutáre tuum secúndùm elóquium tuum.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

CLamántium ad te, quæsumus Dómine; preces

preces dignánter exáudi; Et sicut Ninivítis, in afflictióne pósitis pepercísti: ita & nobis in præsénti tribulatióne succúrre. Per Dóminum.

Deinde dicitur. ℣. Réquiem ætérnam.

Psalmus. De profúndis. 138.

AD SEXTAM.

Post Orationem.

Dicto. Benedicámus Dómino. *dicitur*

Psalmus 50.

MIserére mei Deus: * secúndùm magnam misericórdiam tuam.

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum: * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci: * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam: * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis: * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua: * & Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * & spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * & ímpij ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ: * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries: * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam, si voluísses, Sacrifícium dedíssem útique: * Holocáustis non dele

delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos. Glória Patri.

℣. Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum. ℟. Cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dñs vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

Auxiliáre, Dómine quæréntibus misericórdiam tuam: & da véniam confiténtibus, parce supplícibus; ut qui nostris méritis flagellámur: tuâ miseratióne salvémur. Per Dóminum nostrum.

Deinde dicitur. ℣. Réquiem ætérnam. *& Psalmus.* De profúndis. *ut in Psalterio.* 158.

AD NONAM.

Post orationem diei dicto. Benedicámus Dómino; *dicitur.*

Psalmus 101.

Dómine exáudi oratiónem meam: * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me: * In quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te: * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt, sicut fumus, dies mei: * Et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, & áruit cor meum: * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei: * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum Pellicáno solitúdinis: * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi: * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei: * & qui laudábant me, advérsùm me jurábant.

Quia

Quia cínerem tamquam panem manducábam : * & potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ : * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt : * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem Dómine in ætérnum pérmanes : * & memoriále tuum in generatióne & generatiónem.

Tu exúrgens miserébèris Sion : * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus : * & terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion : * & vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium : * & non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera : * & pópulus, qui creábitur laudábit Dóminum.

Quia prospéxit de excélso sancto suo : * Dñs de cælo in terram aspéxit.

Ut audíret gémitus compeditórum : * ut sólveret filios interemptórum.

Ut annúntient in Sion nomen Dómini ; * & laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum ; * & reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ ; * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatióne & generatiónem anni tui.

Inítio tu Dómine, terram fundásti ; * & ópera mánuũ tuárum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem pérmanes : * & omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur ; * tu autem idem ipse es, * & anni tui non defícient.

Filij servórum tuórum habitábunt : * & semen eórum in sæculum dirigétur. Glória Patri.

℣. Dómine, non secúndùm peccáta nostra fácias nobis. ℟. Neque secúndùm

dùm iniquitátes nostras retríbuas nobis.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui peccántium ánimas non vis períre, sed culpas; cóntine, quam merémur iram, &, quam precámur, super nos effúnde cleméntiam: ut de mœróre, gáudium tuæ misericórdiæ cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum.

Deinde dicitur. ℣. Réquiem ætérnam. *Et Psalmus.* De profúndis. *ut infrà.*

Quando vero contingit Officium Feriale, ad Nonam terminari propter subsequens festum novem Lectionum, tunc ad Nonam dicuntur tres ultimi Psalmi Pœnitentiales cum Versu & Oratione Nonæ ut suprà, omissis aliis Versibus & Orationibus quæ ad Vesperas & Completorium assignantur.

AD VESPERAS.

Post Orationem diei dicto. Benedicámus Dómino. *dicitur*

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes: * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël: * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum ;

℟. Et cum spíritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

Adesto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus: & quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges; intercedénte beáto Stéphano, Protomártyre tuo: consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum. Per Dóminum nostrum.

In aliis Ecclesiis profertur nomen Patroni.

AD COMPLETORIUM.

Finitâ Benedictione consuetâ, dicitur.

Psalmus 142.

Domine exáudi oratiónem meam, * áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo: * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terrâ vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi: * & anxiátus est super me spíritus meus, * in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum: * meditátus sum in ómnibus opéribus tuis: * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine: * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me: * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam: * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem: * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis Dómine, ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tuâ.

Edúces de tribulatióne

ánimam meam: * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam: * quóniam ego servus tuus sum,

Glória Patri.

℣. Et véniat super nos misericórdia tua, Dómine.

℟. Salutáre tuum secúndùm elóquium tuum.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

MEmor esto, quæsumus Dómine, fragilitátis humánæ; & qui justè vérberas peccatóres: parce propítius afflíctis. Per Dóminum.

Deinde dicitur. Réquiem ætérnam.

Psalmus. De profúndis. *ut suprà.* ccxlj.

ORDO
COMMENDATIONIS
Animæ.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Sancta María, Ora pro eo. *vel*, ea.

Omnes sancti Angeli & Archángeli. Oráte pro eo.

Sancte Abel, ora.

Omnis chorus justórum, ora pro eo.

Sancte Abraham, ora.

Sancte Joánnes Baptísta, ora pro eo.

Omnes sancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte pro eo.

Sancte Petre, ora.

Sancte Paule, ora.

Sancte Andrea, ora.

Sancte Joánnes, ora.

Omnes sancti Apóstoli, & Evangelístæ, oráte pro eo.

Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte pro eo.

Omnes sancti Innocéntes, oráte pro eo.

Sancte Stéphane, ora pro eo.

Sancte Irenæe, ora pro eo.

Omnes sancti Mártyres, oráte pro eo.

Sancte Gregóri, ora.

Sancte Augustíne, ora.

Sancte Euchéri, ora.

Omnes sancti Pontífices & Confessóres, oráte pro eo.

Sancte Benedícte, ora pro eo.
Sancte Marcélle, ora pro eo.
Omnes sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora pro eo.
Sancta Blandína, ora.
Omnes sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro eo.
Propítius esto, Parce ei Dómine.
Propítius esto, Líbera eum *vel* eam Dómine.
Propítius esto, líbera.
Ab irâ tuâ, líbera.
A perículo mortis, libera eum Dómine.
A malâ morte, líbera.
A pœnis inférni, líbera eum Dómine.
Ab omni malo, líbera.
A potestáte diáboli; líbera eum Dómine.
Per Nativitátem tuam, líbera eum Dómine.
Per Crucem & Passiónem tuam, líbera eum Dómine.
Per mortem & sepultúram tuam, líbera eum Dómine.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs sancti Paracléti, líbera.
In die judícij, líbera.
Peccatóres, Te rogámus audi nos.
Ut ei parcas, Te rogámus audi nos.
Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Deinde cùm in agone sui exitûs anima anxiatur, dicantur sequentes Orationes.

Oratio.

PRoficíscere ánima christiána de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit: in nómine Jesu Christi Fílij Dei vivi, qui pro te passus est: in nómine Spíritûs sancti, qui in te effúsus est: in nómine Angelórum & Archangelórum: in nómine Thronórum & Dominatiónum: in nómine Principátuum & Potestátum: in nómine Chérubim & Séraphim: in nómine Patriarchárum & Prophetárum: in nómine sanctórum Apostolórum & Evangelistárum; in nómine sanctórum Mártyrum

tyrum & Confeſsórum: in nómine ſanctórum Monachórum & Eremitárum: in nómine ſanctárum Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei: hódie ſit in pace locus tuus, & habitátio tua in ſancta Sion. Per eúmdem Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Oratio.

DEus miséricors, Deus clemens, Deus qui ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum peccátum pœniténtium deles; & præteritórum críminum culpas véniâ remiſſiónis evácuas: réſpice propítius ſuper hunc fámulum tuum N. & remiſſiónem ómnium peccatórum ſuórum totâ cordis confeſſióne poſcéntem deprecátus exáudi. Rénova in eo, piiſſime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólicâ fraude violátum eſt: & unitáti córporis Eccléſiæ membrum redemptiónis annécte. Miſerére Dómine gemítuum, miſerére lacrymárum ejus: & non habéntem fidúciam, niſi in tuâ miſericórdiâ, ad tuæ ſacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

COmméndo te omnipoténti Deo, chariſſime frater, & ei, cujus es creatúra, commítto: ut, cùm humanitátis débitum morte interveniénte perſólveris, ad Auctórem tuum, qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore ſpléndidus Angelórum cœtus occúrrat: judex Apoſtolórum tibi ſenátus advéniat: candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet: liliáta rutilántium te Confeſſórum turma circúmdet: jubilántium te Vírginum chorus excípiat: & beátæ quiétis in ſinu Patriarchárum te compléxus aſtríngat: mitis atque feſtívus Chriſti Jeſu tibi aſpéctus appáreat, qui te inter aſſiſténtes ſibi júgiter intereſſe decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod ſtridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus ſátanas cum ſatelli-

tibus ſuis : in advéntu tuo te comitántibus Angelis contremíſcat , atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus , & diſſipéntur inimíci ejus : & fúgiant qui odérunt eum , à fácie ejus. Sicut déficit fumus , defíciant : ſicut fluit cera à facie ignis , ſic péreant peccatóres à fácie Dei : & juſti epuléntur , & exúltent in conſpéctu Dei. Confundántur ígitur & erubéſcant omnes tartáreæ legiónes , & miníſtri ſátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Chriſtus , qui pro te crucifixus eſt. Líberet te ab ætérnâ morte Chriſtus , qui pro te mori dignátus eſt. Conſtítuat te Chriſtus Fílius Dei vivi intra paradíſi ſui ſemper amœna viréntia , & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnóſcat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat , atque ad déxteram ſuam in electórum ſuórum te ſorte conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas , & præſens ſemper aſsíſtens , maniſeſtíſſimam beátis óculis aſpícias veritátem. Conſtitútus ígitur inter ágmina beatórum , contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Oratio.

SUſcipe Dómine ſervum tuum in locum ſperándæ ſibi ſalvatiónis à miſericórdiâ tuâ.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui ex ómnibus perículis inférni , & de láqueis pœnárum , & ex ómnibus tribulatiónibus.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui , ſicut liberáſti Henoch & Eliam de commúni morte mundi.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui , ſicut liberáſti Noë de dilúvio.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui , ſicut liberáſti Abraham de Ur Chaldæórum.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam ſervi tui , ſicut liberáſti Job de paſſiónibus ſuis.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Isaac de hóstiâ; & de manu patris sui Abrahæ.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Loth de Sódomis, & de flammâ ignis.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Daniélem de lacu leónum.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti tres púeros de camíno ignis ardéntis, & de manu regis iníqui.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Susánnam de falso crímine.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti David de manu regis Saül, & de manu Góliæ.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam vírginē & mártyrem tuam de tribus atrocíssimis torméntis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam hujus servi tui, & tecum fácias in bonis congaudére cœléstibus.

℟. Amen.

Oratio.

COmmēdámus tibi Dómine ánimam famuli tui N. precamúrque te Dómine Jesu Christe Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas: Agnósce Dómine creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo & vero: quia non est álius Deus præter te, & non est secúndùm ópera tua. Lætífica Dómine ánimam ejus in conspéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, & ebrietátum, quas suscitávit furor sive fervor mali desidérij. Licet enim peccáverit: tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum sanctum non negávit, sed crédidit; & ze-

lum Dei in se hábuit, & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

Oratio.

DElícta juventútis, & ignorātias ejus, quæsumus, ne memíneris Dómine: sed secúndùm magnam misericórdiam tuā memor esto illíus in glóriâ claritátis tuæ. Aperiántur ei cœli, collætémtur illi Angeli. In regnum tuum Dómine servum tuum súscipe. Suscípiat eum sanctus Míchaël Archángelus Dei, qui milítiæ cœléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, & perdúcant eum in civitem cœléstem Jerúsalem. Suscípiat eum beátus Petrus Apóstolus, cui à Deo claves regni cœléstis tráditæ sunt. Adjúvet eum sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo sanctus Joānes eléctus Dei Apóstolus cui reveláta sunt secréta cœléstia. Orent pro eo omnes sancti Apóstoli, quibus à Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro eo omnes sancti & elécti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc sæculo sustinuérunt: ut vínculis carnis exútus perveníre mereátur ad glóriam regni cœléstis: præstánte Dómino nostro Jesu Christo: Qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicuntur hi Psalmi, videlicet, Confitémini Dómino quóniam bonus. 25. *& totus Psalmus.* Beáti immaculáti. *per Horas distributus.* 26.

Egressa autem anima, dicitur hoc ℟. Subveníte Sancti Dei, occúrrite Angeli Dómini: * Suscipiéntes ánimam ejus: * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi. ℣. Suscípiat te Christus qui vocávit te, & in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te. Suscipiéntes. ℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine: & lux perpétua lúceat ei. Offeréntes.

Deinde. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Posteà, Secretò. Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed

líbera

libera nos à malo. ℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei. ℣. A portâ ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus. ℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

TIbi Dómine commendámus ánimam fámuli tui *N.* ut defúnctus sæculo tibi vivat; & quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta cōmísit; tu véniâ misericordíssimæ pietátis abstérge; Per Christum Dóminum nostrum.

BENEDICTIO MENSÆ.

Ante prandium Sacerdos benedicturus mensam incipit, Benedícite. *& alij repetunt,* Benedícite.

Deinde dicitur. ℣. Oculi ómnium. *& alij prosequūtur.* in te sperant Dómine, & tu das escam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. *Secretò.* Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo.

Posteà Sacerdos dicit:

Orémus.

BEnedic Dómine nos, & hæc tua dona, quæ de tuâ largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum. ℟. Amen.

Deinde Lector. Domne jube benedícere. *Benedict.* Mensæ cœléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

Post prandium aguntur gratiæ hoc modo dicto à Lectore. Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias. *omnes surgunt.*

Sacerdos incipit ℣. Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua. ℟. Et sancti tui benedícant tibi. ℣. Glória Patri.

Posteà Sacerdos absolutè dicat:

AGimus tibi grátias omnípotens Deus pro univérsis beneficiis tuis: Qui vivis & regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Psalmus 50.

MIserére mei Deus: * secúndùm magnam misericór-

misericórdiam tuam.

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum : * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea: * & à peccáto meo, munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * & peccátum meum, contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci: * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * & in peccátis concépit me, mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ, manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo ; & mundábor : * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudiam & lætítiam:* & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis : * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : * & spíritum rectum ínnova, in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tuâ: * & Spíritum sanctum tuum, ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * & spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * & ímpij ad te convertént ur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ : * & exultábit lingua mea, justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries : * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum & humiliátum, Deus non despícies.

Benígnè fac Dñe in bona voluntáte tuâ Sion: * ut ædificéntur muri Jerúsalẽ.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos. Glória Patri.

Vel Psalmus 116.

LAudáte Dóminũ omnes Gentes : * laudáte eum.

eum ómnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. *Sacerdos dicit*, Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Benedícam Dóminum in omni témpore. ℟. Semper laus ejus in ore meo. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea. ℟. Audiant mansuéti, & læténtur. ℣. Magnificáte Dóminum mecum. ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum. ℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

Deinde sine Oremus.

Retribúere dignáre Dómine ómnibus nobis bona faciéntibus propter nómen tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen. Pater noster. *Secretò.*

Quo finito, dicit Sacerdos, Deus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

Ante cœnam Sacerdos benedicturus mensam incipit. Benedícite. *& alij repetunt*, Benedícite.

Deinde Sacerdos incipit ℣. *& alij prosequuntur.*

Edent páuperes, & saturabúntur, & laudábunt Dóminum, qui requírunt eum: vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. *Secr.* Pater noster. ℣. Et ne nos. Orémus Bénedic Dómine: *ut suprà in prandio.* ccxlix. Domne jube *Bened.* Ad cœnam vitæ ætérnæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

In fine cœnæ dicitur ℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dñs: escam dedit timéntibus se.

Glória Patri.

Sacerdos dicat:

Benedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis: Qui vivit & regnat in sæcula

cula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus. Laudáte Dóminum omnes Gentes. *& reliqua ut suprà.* ccl.

Quando semel comeditur, omnia dicantur ut in cœna.

Prædictus modus benedicendi mensam, & agendi gratias, servatur omni tempore præterquam diebus infrascriptis quibus Versiculi & Psalmi tantùm variantur.

In Nativitate Domini, usque ad cœnam Vigiliæ Epiphaniæ exclusivè, dicitur ℣. Verbum caro factũ est, allelúia, Et habitávit in nobis, allel. Glória Patri.

In fine dicitur ℣. Notum fecit Dóminus, allel. Salutáre suum, allel. *Alia ut suprà, Psalm.* Cantáte. ij. 126. *vel* Laudáte Dñm omnes Gentes, ccl. *Qui Psalmus semper ad beneplacitum dici potest etiam in aliis solemnitatibus.*

In Epiphania, & per totam Octavam. ℣. Reges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent, allel. Reges Arabum & Saba dona adducent, allel. Glória Patri.

In fine dicitur. ℣. Omnes de Saba vénient, allelúia. Aurum & thus deferéntes, allelúia. Glória Patri.

Psalmus. Deus judícium tuum. 98.

Feria quinta in cœna Domini dicitur absolutè, & sine nota ℣. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem.

Deinde Pater noster. *totum secretò. Quo dicto, sine pronuntiatione aliqua Sacerdos signo Crucis benedicit mensam: nec dicitur,* Domne jube, *nec,* Tu autẽ,

In fine repetitur ℣. Christus factus est. *ut suprà, Posteà Psal.* Miserére mei Deus. ccxlix. *Quo finito sine* Glória Patri. *Secretò dicitur,* Pater noster.

Deinde Sacerdos dicit absolutè Orationem.

Oratio.

Respice, quæsumus Dñe, super hanc famíliam tuam, pro qua Dñs noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis subíre torméntum.

Et non pronuntiatur. Qui tecum *nec* Fidélium ánimæ, *sed secretò dicitur.* Pater noster. *nec addit.* Deus det nobis suam pacem.

In Parasceve eodem modo fit sicut in cœna Domini, sed additur ad Vers. Christus factus est. Mortem autem crucis.

Sabbato sancto ad benedicendum mensam dicitur, Benedícite. ℟. Benedícite. ℣. Véspere autem Sábbati, quæ lucéscit in primâ Sábbati, allelúia. Venit María Magdaléne, & áltera María, vidére sepúlchrum, allelúia. Glória Patri.

In fine repetitur ℣. Véspere autem. *ut suprà cum* Glória Patri.

Psalmus. Laudáte Dñm omnes Gentes. ccl. *cum* Glória Patri. Kyrie eléisō. Christe eléison. Kyrie eleíson. *& alia ut suprà in prima Benedictione*.ccxlix.

In die Pascha, & deinceps usque ad cœnam sequentis Sabbati, ad benedicendum mensam dicitur ℣. Hæc dies quam fecit Dñs, allel. Exultémus & lætémur in ea, allelúia.

Glória Patri.

In fine repetitur, Hæc dies quam fecit, *cum* Glória Patri. *Psalmus.* Confitémini. 25.

In Ascensione Dñi, usque ad Vigiliam Pentecostes exclusivè, ℣, Ascéndit Deus in jubilatióne, allelúia, & Dóminus in voce tubæ, allelúia.

Glória Patri.

In fine dicitur ℣. Ascéndens Christus in altum, allelúia. Captívam duxit captivitátem, allel. Glória Patri. *Psalm.* Omnes Gentes pláudite mánibus. 77. *vel* Laudáte Dñm. ccl.

In Pentecoste à Vigilia ejusdem inclusivè usque ad cœnam sequentis Sabbati exclusivè, ℣. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúia: & hoc quod cōtinet omnia, sciéntiam habet vocis, allelúia.

Glória Patri.

In fine dicitur ℣. Repléti sunt omnes Spíritu sancto, allel. Et cœpérunt loqui, allelúia. Glória Patri. *Psalm.* Magnus Dñs. 77. *vel* Laudáte. *ut suprà.*

ITINERARIUM.

Clericus in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari, si cum sociis, in plurali. Aña. In viā pacis.

Canticum Zachariæ.

Lucæ 1. g

Benedíctus Dñs Deus Israël: * quia visitávit,

vit, & fecit redemptiónem plebis suæ.

Et eréxit cornu salútis nobis : * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à sæculo sunt, Prophetárum ejus :

Salútem ex inimícis nostris : * & de manu ómnium qui odérunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris : * & memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum : * datúrum se nobis.

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti : * serviámus illi.

In sanctitáte & justítiâ coram ipso : * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer Prophéta Altíssimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus.

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus : * in remissiónem peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos, óriens ex alto.

Illumináre his, qui in tenebris & in umbrâ mortis sedent : * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis. Glória Patri.

Antiphona. In viam pacis & prosperitátis dírigat nos omnípotens & miséricors Dóminus : & Angelus Ráphaël comitétur nobíscum in viâ, ut cum pace, salúte, & gáudio revertámur ad própria. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. *Secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Salvos fac servos tuos : ℟. Deus meus sperãtes in te. ℣. Mitte nobis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére nos. ℣. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci. ℣. Nihil proficiat inimícus in nobis. ℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis. ℣. Benedíctus Dóminus die quotídiè. ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum. ℣. Vias tuas Dómine demónstra nobis. ℟. Et sémitas tuas édoce nos. ℣. Vtinam dirigántur viæ nostræ. ℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas,



tuas. ℣. Erunt prava in dirécta. ℟. Et áspera in vias planas. ℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui filios Israël per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique tribus Magis iter ad te stellâ duce pandísti: tríbue nobis quæsumus iter prósperum, tempúsque tranquíllum: ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demùm ad ætérnæ salútis portum perveníre felíciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti: quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis Dómine in procínctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúviâ & frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus: ut te duce, quò téndimus, prósperè perveniámus, & demùm incólumes ad própria redeámus.

ADésto, quæsumus Dómine, supplicatiónibus nostris: & viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne: ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus: ut família tua per viam salútis incédat; & beáti Joánnis Præcursóris hortaménta sectándo, ad eum quem prædíxit, secúra pervéniat: Dóminum nostrum Jesum Christum filium tuum: Qui tecum vivit, &c.

℣. Procedámus in pace.

℟. In nómine Dñi. Amen.

F I N I S.





Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google